


R. 2481

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20



CURSUS PHILOSOPHICUS

Del. Coll. & AD MENTEM *la Comp. & l'Esprit.*

B. GIDIJ

de Trinitate. ROMANI B. S. S.

Philosophici Augustiniensium,
Archiepiscopi Bituricensis, Aquitanie Pri-
matis, & S. R. E. Cardinalis, illustre
Authoritibus P. N. Augustini, &
Preceptoris Angelici.

AUCTHORE


P. A. P. N. P. P. T. U. R. O M A N S O
*Magister in Universitate Castellae in Alcantaricensi Academi-
a Philosophiae Professor: Collegii Bituricensis P. N. Augustini olim Priore,
et in Universitate Complutensi in Philosophia Professor, et pro
Provincia in Comitibus Generalibus
Romae celebratis.*

AD ILLVST. ET REVER. D. D.
FR. FRANCISCUM EMMANUELEM
DE ZVEIGA, ET SOTOMAYOR
Episcopum Civitatem &c.

TOMUS SECUNDUS.

A tertio usque ad octavum Logicae libros complectens.

Cum Privilegio Regis. Ann. 1709.



DON Bernardo de Solis, Secretario del Rey Nuestro Señor, y su Escrivano de Camara mas antiguo de los que residē en el Consejo : certifico, que aviendose visto por los Señores de el dos libros intitulados Summulas, y Logica Egidianas, compuestos por Fr. Pedro Manso, Religioso del Orden de San Augustin, que con licencia de los dichos Señores han sido impresos ; tallaron à seis mrs. cada pliego, y el de la Logica parece tiene ciento y dos, y noventa y vno el de las Summulas, sin principios, ni tablas, que al dicho respecto monta mil ciento y cinquenta y ocho mrs. y à este precio mandaron se venda , y que esta certificacion se ponga al principio de cada tomo : y para que conste lo firmè en Madrid à veinte y siete dias del mes de Julio de mil setecientos y nueve años. *Don Bernardo de Solis.*

ERRATA CORRIGENDA IN HOC SECVNDO TOMO,

FOL. 15. col. 1. lin. 15. *humam, lege humanam.* Fol. 24. col. 1. lin. 34. *natalli, lege naturali.* Fol. 36. col. 2. lin. 16. *eximus, lege eximius.* Fol. 48. col. 2. lin. 38. *positavam, lege positivam.* Fol. 52. col. 1. lin. 3. *laudatur, lege laudatus.* Fol. 53. col. 1. lin. 38. *dubium, lege dubiam.* Et col. 2. lin. 5. *cum, lege eum.* & lin. 29. *noſtri, lege noſter.* Fol. 54. col. 2. lin. 7. *huna, lege humana.* Fol. 58. col. 2. lin. 40. *erra, lege ea ratione.* Fol. 85. col. 1. lin. 40. *ita, lege tia.* Fol. 92. col. 1. lin. 30. *species, lege speciei.* Fol. 98. col. 2. lin. 16. *illa, lege illo.* Fol. 99. col. 1. lin. 30. *positiva, lege positivè.* Fol. 114. col. 2. lin. 40. *divisa, lege indivisa.* Fol. 116. col. 1. lin. 26. *taturam, lege naturam, & lin. 28. nepræſentaret, lege repræſentaret, & lin. 31. tſit, lege ſit.* Fol. 118. col. 2. lin. 28. *expresſum, lege expreſſam.* Fol. 127. col. 2. lin. 5. *diſcurſis, lege diſcuſſis.* Fol. 128. col. 1. lin. 1. *aliter, lege alter.* Fol. 133. col. 2. lin. 20. *quare, lege quarum.* Fol. 134. col. 2. lin. 28. *univarſalis, lege univerſalis.* Fol. 135. col. 1. lin. 28. *dicenda, lege diſcenda.* Fol. 143. col. 2. lin. 31. *ſuſcepta, lege ſuſpecta.* Fol. 145. col. 2. lin. 40. *dicet, lege dicit.* Fol. 148. col. 1. lin. 29. *inſiſtitiva, lege inſiſtitiva.* Fol. 150. col. 2. lin. 13. *iſta, lege iſtam.* Fol. 153. col. 1. lin. 1. *Grabielis, lege Gabrielis: ibi lin. 37. Calero, lege Cabero.* Fol. 155. col. 2. lin. 8. *explicatam, lege explicitam.* Fol. 164. col. 1. lin. 29. *ne, lege nec.* Fol. 165. col. 2. lin. 26. *conversione, lege conſervatione.* Fol. 166. col. 1. lin. 24. *numeros, lege numero.* Fol. 193. col. 2. lin. 35. *quæ, lege quem.* Fol. 199. col. 1. lin. 5. *primi, lege primum.* Fol. 208. col. 1. lin. 24. *pro iſto nomine, lege pro iſta nomina.* Fol. 210. col. 1. lin. 7. *non diſferunt, lege diſferunt.* Fol. 214. col. 1. lin. 13. *ratione, lege rationalis.* Fol. 217. col. 2. lin. 40. *recipiunt, lege accipiunt.* Fol. 224. col. 1. lin. 34. *pareret, lege peteret.* Fol. 233. col. 1. lin. 1. *ſiſte termini, lege & termini.* Fol. 234. col. 2. lin. 39. *relatio, lege realis.* Fol. 237. c. 2. l. 39. *diſſicilis, lege diſſicilius.* F. 240. c. 1. l. 37. *arguit, lege arguat.*

F. 241. c. 2. l. 25. verbi, *lege* verbis. F. 247. c. 1. l. 16. in Deum, *lege* intra Deū.
 F. 258. c. 2. l. 40. verificantur, *lege* verificatur. F. 284. c. 1. l. 35. adde probatur
 antecedens. F. 284. c. 2. l. 25. negavimus, *lege* negabimus. F. 285. c. 1. lin.
 24. præfatione, *lege* præfatione, c. 2. l. 28. ac, *lege* at. F. 289. c. 1. l. 37. ratio-
 nibus, *lege* rationis. F. 295. c. 2. l. 17. quæ, *lege* quem. F. 296. c. 1. l. 6. quam,
lege quod. F. 297. c. 1. l. 13. sed non, *lege* sed nos. F. 301. c. 2. l. 17. vaguum,
lege vagum. F. 320. c. 1. l. 23. dicis, *lege* dicit. F. 324. c. 2. l. 22. diffinitio, *lege*
 Probo min. diffinitio. F. 325. c. 2. l. 23. Thomiam, *lege* Thomam. F. 229. c. 2.
 l. 16. sophilina, *lege* sophilmata. F. 334. c. 1. l. 36. duo, *lege* duæ. F. 336. c. 1.
 l. 5. hominis, *lege* homini. F. 352. c. 1. l. 21. le &. *lege* lect. F. 376. c. 1. l. 37.
 dubitatur, *lege* dubitetur. ibi column. 2. l. 8. inadæquata, *lege* inadæquatè. F.
 382. c. 2. l. 27. qualis, *lege* qualem. F. 383. c. 1. l. 19. min. *lege* maj. F. 385. c. 1.
 l. 33. quas, *lege* quibus. F. 387. c. 2. l. 1. at, *lege* ac. Ibi l. ult. Hodic, *lege* Hoc di-
 ctum. F. 389. c. 1. l. 5. species, *lege* species. F. 394. c. 2. l. 6. ceterum, *lege* certū.
 F. 410. c. 1. l. 19. simile, *lege* simili. F. 427. c. 1. l. 8. categoriæ, *lege* categoria.
 F. 445. c. 2. l. 11. habet, *lege* habetur. F. 453. c. 1. l. 10. ipsa sit, *lege* ipsa non sit.
 F. 470. c. 2. l. 5. dici, *lege* dic. F. 475. c. 2. l. 22. contra, *lege* contraria sententia.
 F. 476. c. 2. l. 33. vel, *dele*. Fol. 492. col. 1. l. 14. latebat, *lege* latebant. F. 505.
 c. unica l. 20. Doctorem, *lege* Doctorum. F. 110. c. 1. l. 26. &. *lege* est. F. 526. c.
 2. l. 31. amictum, *lege* amictus. F. 528. c. 2. l. 26. ab, *lege* ad. F. 538. c. 1. l. 2. no-
 tatis, *lege* notatis, respondeo. Ibi c. 2. l. 10. indiganda, *lege* indaganda. F. 539.
 c. 1. l. 22. videmus, *lege* videmus. Ibi l. 29. docemus, *lege* dicemus. F. 547. c.
 2. l. 3. explicari, *lege* explicari de. F. 554. c. 1. l. 1. at, *lege* ac. Ibi c. 2. l. 20. in-
 quireretur, *lege* inquiritur. F. 556. c. 1. l. 14. accidens, *lege* quantitas. F. 560. c.
 1. l. 23. præhabet, *lege* præhabent. Ibi c. 2. l. 31. superius, *lege* superior. F. 563.
 c. 2. l. 10. accedit, *lege* accidit. F. 569. c. 2. l. 32. lineam, *lege* linea. F. 578. c.
 2. l. 1. quo, *lege* quibus. F. 579. c. 1. l. 3. sic, *lege* si. F. 597. c. 2. l. 7. diffinitus,
lege diffinitur. F. 608. c. 2. l. 37. quod, *lege* supra quod. F. 626. c. 1. l. 26. quate-
 nus, *lege* quæ quatenus. F. 700. c. 1. l. 24. egrediuntur, *leg*. egreditur. F. 723. c. 2.
 l. 24. quibus, *leg*. quæstionibus. F. 741. c. 1. l. 10. plètè, *leg*. plènè. l. 13. tist, *leg*.
 est. l. 15. æualitas, *leg*. æqualitas. l. 17. quamq̄tatis, *leg*. quantitatis. F. 747. c.
 1. lin. 28. determinativi, *lege* determinavi. Fol. 760. col. 2. lin. 40. in
 queo ad, *leg*. in eo quod. F. 789. c. 1. l. 40. reflectere, *leg*. reflectere. F. 795. c. 1.
 l. 17. contradictoria, *leg*. contradictorio. F. 797. c. 1. l. 2. movondo, *leg*. movendo.
 F. 801. c. 2. l. 7. juxti, *leg*. iusti. F. 809. c. 1. l. 19. quodd, *leg*. dic quodd. F. 813.
 c. 1. l. 1. subordinatur, *lege* subordinantur. F. 816. c. 2. l. 38. Arithmetica, *lege*
 Arithmetica.

*E visto estos dos tomos intitulos : Summulas y Logica Egidianas, su
 el Rmo P. M. Fr. Pedro Manso Cathedratico de la Vniuersidad de Salamanca.
 con estas erratas corresponden à su original. Madrid, y Julio 27. de 1709.*

*Lic. D. Benito de Rio, y Cordido,
 Corr. Gen. pòr su Mag.*

LIBER TERTIUS DE UNIVERSALIBUS.



ATERIA HUIUS LIBRI SPECTAT AD

Metaphysicam, cūnī ferè tota sit de uni-
 versali in essendo, quod pertinet ad Meta-
 physicam, & ideò vocatur universale me-
 taphysicum. Si quid autem addit universa-
 le logicum, est sola secunda intentio præ-
 dicabilis, de qua satis libro præcedenti, &
 prolixius libro sequenti Jam tamen DD. hoc
 loco tractant de universalī Metaphysico,
 quid sit, & quomodo fiat? Pro elucidatione primi disputant, an
 sint universalīa in rebus? Et quomodo? De quo noluit Porphy-
 rius disputare ob ingentem difficultatem hujus quæstionis, quæ sui
 discipuli Chrysaorij, & omnium addiscentium, superat captum.
 Pro explicando secundo movetur quæstio de præcisionibus ob-
 jectivis, quæ est non minus celebris, quàm difficilis. Omnia dis-
 quiremus possibili claritate, nostramque sententiam Augustino
 duce proponemus, & Beatorum DD. Thomæ, & Ægidij te-
 stimonij explicabimus. Pro quo sit.

QUÆSTIO PRIMA.

An dentur universalīa in essendo?

§. I.

Explicatur quid sit, & quotuplex universale.

UNIVERSALE juxta no-
 minis significationem
 est *Unum versas plu-
 ra*, vel *unum plura respiciens*.
 Hoc modo sumitur quadrupli-
 citer, scilicet universale in cau-
 sando, in repræsentando, in es-
 sendo, & in prædicando. Uni-
 versale in causando est *Causa*
continens plures effectus diver-
si ordinis, & diversæ speciei,
 Talis est Deus rerum omnium

A Crea

Creator. Universale in repræsentando est *illud quod cum in se sit unum, repræsentat plura*, ut vox homo, quæ una est, sed omnes homines repræsentat. Universale in essendo est *Vnum potens esse in multis*, v. g. Natura humana, quæ una est, & potest esse in multis hominibus. Universale in prædicando est *Vnum potens prædicari de multis*, ut eadem natura humana, quæ est affirmabilis de Petro, Paulo, & alijs.

Utrumque brevius diffinitur sic, *Vnum in multis, & de multis*. Et observa quod universale in prædicando non est diversum ab universali in essendo; sed est veluti proprietas ejus, quia prædicabilitas est passio secuta ad essentiam universalis in essendo. Nihilominus veluti duo universalia sumuntur, & universale in essendo dicitur metaphysicum, universale in prædicando dicitur universale logicum. Non agimus de universali in causando, quia hoc pertinet ad secundam lib. Physicorum ubi agitur de causis. Nec de universali in repræsentando, quia de specie, plura repræsentante, agit aristotelicus. Nec de universali in prædicando, quia de hoc erit sermo lib. sequenti. Quare in hoc libro unice tractamus de universali in essendo.

2. Universale in essen-

do petit aliquas conditiones. Prima est quod natura universalis sit perfecte una; hoc est quod sit una unitate univoca. Ob defectum hujus unitatis excluduntur à ratione universalis primò æquivoca, quia licet conveniant in nomine, res verò per nomen significata est omnino diversa. Excluduntur analogæ, quia in re significata partim conveniunt, & partim differunt. Tertio excluduntur complexæ, v. g. *homo albus*, quia non sunt una natura, sed duæ unitatæ, & copulatæ.

Secunda conditio universalis est, quod natura sit apta, vel potens esse in multis ejusdem denominationis, hoc est per multiplicationem in illis, defectu hujus excluditur à ratione universalis natura Divina, quia licet sit apta esse in multis, non in multis dijs, sed in multis personis, & hoc sine multiplicatione naturæ in eis. Hoc probatum est à nobis in secunda parte nostræ Dialecticæ quæst. 2. ubi diximus, quod *Deus* est terminus communis, sed non universalis, quia non significat rem pluribus communicabilem cum reali multiplicatione, sed sine illa. Secundò excluditur corpus Christi, & Deus, qui licet sint in pluribus locis, & sacramentalibus speciebus, Deus non est in locis, ut in dijs, nec multiplicatus; item nec Christus D. est

est ut in pluribus Christis, aut corporibus. Tertio excluditur anima rationalis, quæ licet sit in pluribus partibus corporis rota, non est multiplicata, sed una remanens in eis est.

Tertia conditio est, quod natura universalis aliquomodo distinguatur ab inferioribus, in quibus potest esse, & aliquomodo cum illis identificetur. Ratio primi est, quia unum, & plura debent aliquomodo distingui: sed quod est unum in multis, est unum, & plura: ergo debent aliquomodo distingui. Ratio secundi est, quia quod est in multis, est prædicabile de illis: sed quod prædicatur de alio, identificatur aliquomodo cum illo: ergo universale petit aliquomodo identificari cum singularibus in quibus est.

3. Dividitur universale apud DD. antiquos in *Ante rem, in re, & post rem*. Universale *ante rem* est illud quod concipitur ante quam natura existat in singularibus. Tale erat quod dicit Aristoteles positum fuisse à Platone, nam, eo teste, dicebat, quod antequam producerentur homines, erat idea hominis, & erat quædam natura humana non producta, sed æterna, ad cuius instar facti sunt homines. De hac quæst. 2. seq. Quia ergo hæc natura erat una potens esse in multis, erat uni-

versalis; & quia erat ante productionem omnium hominum, dicebatur universale *ante rem*. Universale *in re* est convenientia plurium singularium in eadem natura; talis est natura humana in Petro, Paulo, &c. ubi est una specificè, & multiplicata in hominibus existentibus in re: unde dicitur universale *in re*. Universale *post rem* est natura abstracta per intellectum à singularibus, in quibus existit; & quia sic abstracta est una, potens esse, & prædicari de multis, est universalis. Et quoniam abstractio ista fit postquam res existunt in re, dicitur universale *post rem*.

4. Observa quod aliud est *universale*, aliud *universalitas*. Universalitas est secunda intentio, & relatio rationis naturæ universalis ad inferiora. Hæc non datur in rebus, sed in solo intellectu, quia, ut vidimus lib. 2. ens rationis non existit nisi purè objective in intellectu. De hac intentione est veram, quod non datur in rebus, sed quod *Solus intellectus facit universalitatem*, ut est communis locutio Arist. Avicenæ, D. Thomæ, Agidij nostri, & omnium antiquorum. Universale dicit concretum ex natura universalis, & intentione universalitatis. Sicut *album* est concretum ex subjecto, & albedine. Quare universale pro ma-

teriali dicit naturam, & proformali intentionem universalitatis. In quo sensu, quærere an universale formaliter sit à parte rei, est quærere an ens rationis existat realiter in rebus? Quod non potest rationaliter dubitari. Restat ergo inquirere in sequentibus de substrato universalitatis, an detur in rebus natura, quæ sit una in multis?

His notatis, en pulsat dubium, an dentur universalia in essendo? Ratio dubitandi est, quia scientiæ non agunt de singularibus, quæ sunt contingentia, & corruptibilia; sed de universalibus, quæ sunt æterna, & perpetua: sed scientiæ agunt de rebus: ergo in rebus dantur universalia; talia sunt universalia in essendo. Ex altera parte videtur, quod non dentur in rebus universalia. Quia res quæcumque est, producta & existens est: sed res quæcumque existens, est singularis, non enim est in mundo quid existens, quod non sit singulare: ergo nullum in rebus datur universale, & consequenter non datur universale in essendo. Propter rationem istam dubitandi, quam infrà cum alijs rationibus expendemus, ortæ sunt duæ sententiæ, una Cratylly, & Heracliti, qui cum omnia viderent esse singularia, negant dari scientias, quem errorem sequuti sunt Academici tenen-

tes nihil sciri posse. Altera fuit Nominalium, qui ne negarent scientias, dixerunt eas non esse de rebus, quia singulares sunt, sed de vocibus, & nominibus, quæ sunt universalia in repræsentando. Contra hos agimus in præsentia. Pro quo sit.

§. II.

Probatum contra Nominales dari universalia in essendo, & non solum in repræsentando.

§. UT scias contra quos est conclusio nostra, scito Philosophos dividi in Reales, & Nominales. Reales dicuntur, qui ponunt scientias agere de rebus; Nominales, qui dicunt scientias agere de nominibus. Nominales moderni non sunt, sed antiqui, contra eos invehitur S. Anselmus lib. de incarnat. Verbi eos vocans *Hereticos Philosophiæ*. Hanc sententiam penè antiquatam denuò suscitaverunt Okamus, Gabriel, & N. Gregorius Ariminensis dictus *Princeps Nominalium*. Huius insignis Doctoris fuerunt discipuli duo alij Augustiniani celeberrimi Burlæus, & Venetus, qui in principio Nominales, veritate tamen coacti venerunt ad Realium castra, ut refert

noſter Veracencius. Contra hos, & aliquos Societatis Iesu procredit nostrum assertum, & ut de R.R. Societatis sit etiam sermo.

Observa, quod docent universale nihil aliud esse, quàm actum intellectus repræsentantem singularia confuse cognita. Negant præcisiones objectivas de quibus postea, & ponunt solas formales; quo dato, sequitur ex suis principijs, quod universale est actus intellectus repræsentans singularia; sicut vox homo repræsentat plures homines. En isti, sicut primi solum concedunt universale in repræsentando, quare cum Nominalibus computandi sunt, & citantur Hurtado, Arriaga, Tellez, Oviedo, Quiros, Bonaspes, Alphonus, & Peynado.

6. Probatum ergo primo conclusio nostra ex P. Augustino lib. 1. de doctrina Christiana cap. 1. ubi ait: *Omnis doctrina vel rerum est, vel signorum, sed res per signa discuntur. Proprie autem nunc res appellavi, quæ non ad significandum aliquid adhibentur, sicuti est lignum, lapis, specus, atque huiusmodi cetera.* En scientiæ partiuntur in duas partes, unam quæ agit de rebus, ut Philosophia, Mathematica, &c. alteram, quæ agit de signis, ut Grammatica, Rhetori-

ca, & aliqua ex parte Dialectica: sed scientiæ agunt de universalibus: ergo nedum dantur in signis universalia, quæ sunt talia in repræsentando, sed etiam in rebus universalia sunt, quæ sunt talia in essendo.

Confirmatur ex eodem S. P. lib. 19. de Civit. Dei cap. 18. ubi contra Academicos negantes scientias, probat eas dari, & esse de rebus. Verba P. N. sunt hæc: *Quod autem attinet ad illam differentiam, quam de Academicis nobis Varro adhibuit, quibus incerta sunt omnia; omnino civitas Dei talem dubitationem, tanquam dementiam detestatur, habens de rebus, quas mente, atque ratione comprehendit, etiam si partem propter corpus corruptibile quod aggravat animam, quoniam sicut dicit Apostolus ex parte scimus, tamen certissimam scientiam, creditque sensibus in rei cujusque evidentia, quibus per corpus animus utitur, quoniam miserabilis fallitur, qui nunquam putat eis esse credendum.*

Ecce negare scientias cum Academicis, & dicere nos nihil scire, quia nihil est certum, sed omnia dubia, est insignis dementia; & oppositum demonstratur ex verbis Apostoli 1. ad Corinth. 13. dicentis, *Ex parte scimus.* Hæc scientia nostra certissima est, sed

parva, quia Salomone teste, *Corpus quod corrumpitur aggravat animam*, hoc est, non sinit eam plenè se tradere cognitioni, & speculationi. Rursus certissima hæc nostra, sicut parva scientia, est *De rebus, quas mente, atque ratione comprehendimus*. Hujus ratio datur à P. N. quia scientia, & cognitio nostra incipit à sensibus; & licet sensus quandoque fallatur, plus falluntur Academici, imò & miserabilius, putantes nūquam esse sensibus credendum. Ergo juxta S. P. & veritatem in rebus, de quibus est scientia nostra certissima, dantur universalia, quæ sola sciri, & diffiniri possunt, ut patebit.

7. De mente Aristotelis nullum est dubium, quia eam expressit multis locis præcipuè lib. 1. Perhiern. capit. 5. ubi ait: *Quasdam res esse universales, & quasdam particulares*. Idem tenet, & ibidem explicat S. Thomas lect. 10. & nosster Ægidius in expositione dicti textus dicit de mente Philosophi sic: *Afferit ergo quòd rerum quadam sunt singulares, & quadam universales; & statim declarat membra per diffinitionem dicens, quòd universale est, quod est aptum natum prædicari de pluribus, & singulare est, quod est aptum natum de uno solo prædicari &c.* Constat etiam ex dictis à

nobis lib. 1. quæst. 2. ubi de mente Philosophi, D. Thom. & N. Ægidij probatum est, quòd scientia est *Cognitio rei per causam per quam res est &c.* ergo scientia non est cognitio nominis, aut signi, sed rei; nec per causam in representando, sed per causam in essendo; quia est *Per causam per quam res est*.

8. A ratione probatur communis sententia nostra sic: Objectum hujus vocis *homo* est universale, sed non est universale in representando: ergo est universale in essendo; quare præter universalia in representando, dantur universalia in essendo. Probatur maj. Quod prædicatur de pluribus, & identificatur cum illis, est universale: sed objectum hujus vocis *homo* prædicatur de pluribus, & identificatur cum illis: ergo objectum illud est universale. Min. probatur: Quando dicimus *Petrus est homo, Paulus est homo*, non prædicamus vocem *homo* de Petro, & Paulo; alioquin propositio esset falsa: ergo prædicamus de pluribus objectum significatum per vocem *homo*.

Confirmatur. Quando scientia nostra tractat de Coelo, de homine, & alijs, non tractat de voce *homo*, nec de voce *Coelum*, sed de rebus significatis; nec item tractat de actu intel-

lectus representante hominem, coelum, & alia, sed de rebus representatis: ergo ultra universalia in representando concedenda sunt universalia in essendo. Antecedens patet, & probatur exemplo: Philosophia diffinit hominem sic *animal rationale* sed vox *homo* non est animal rationale; nec conceptus representans hominem, est animal rationale, ut patet: ergo quando scientia nostra &c.

9. Secundò probatur à ratione redarguendo Nominales. Vos admittitis signa universalia in vocibus, de quibus dicitis esse scientiam: sed hoc ipso tenemini admittere universalia in rebus: ergo scientiæ sunt de rebus, in quibus dantur universalia. Probatur min. Primò, quia signa dicuntur universalia, vel particularia ratione signati: ergo si admittitis signa universalia, res signatæ erunt universales. Secundò signa ex se scibilia non sunt, sed ratione signati: ergo signa universalia sunt, quia res signatæ sunt universales.

Confirmatur: Dum dicitur *Petrus est homo*, vel vox *homo* prædicatur de voce *Petrus* vel significato vocis *homo* de significato vocis *Petrus*? Si primum. Ergo propositio est falsa, quia una vox non est alia. Si secundum. Ergo significatum vocis *homo* est singulare,

vel universale? Si universale: Ergo jam dantur universalia in rebus, & in essendo. Si singulare. Ergo non dantur universalia in vocibus. Probo hanc consequentiam. Quia ideò vox *homo* est universalis, quia ejus significatum est plurificatum: sed si est singulare, non est plurificatum: ergo vel dantur universalia in essendo, vel non dantur in representando.

Confirmatur secundò: Dum dicitur *Petrus est homo, Paulus est homo*, vel idem est prædicatum in utraque propositione, vel non est idem. Si primum? Ergo significatum hujus vocis *homo* est natura humana communis utriusque, & sic est universalis in essendo. Si est diversum. Ergo vox *homo* in prima propositione significat humanitatem Petri, & in secunda humanitatem Pauli diversam. Nunc sic. Sed ex hoc sequitur quòd vox *homo* non sit universalis, sed singularis in representando: ergo vel non dantur universalia in representando, vel dantur in essendo. Probatur min. subsumpta: Istæ voces *Petrus, Paulus* sunt singulares in representando, quia representant unum tantum univ. soli conveniens: sed si *homo* in prima propositione dicitur solam humanitatem Petri, & in secunda solam humanitatem Pauli, significat unum tantum uni soli

soli conveniens: ergo vox *homo* non erit universalis, sed singularis in representando.

10. Dices: Vox *homo* non significat naturam Petro, & Paulo communem, sed aggregatum ex multis hominibus, & humanitatibus realiter diversis. Quare significatum non est universale, etsi vox universalis sit. Sed contra: Nam hæc propositio est vera *Petrus est homo*: sed si *ly homo* significaret aggregatum ex omnibus hominibus, propositio esset falsa: ergo non significat aggregatū, sed naturam universalem, utriusque & alijs communem. Patet min. quia Petrus non est aggregatum ex multis hominibus.

Omnes istæ rationes, quibus probatur contra Nominales debere admitti universale in essendo distinctum ab universali in representando, probant contra RR. Societatis debere etiam dari universale in essendo distinctum à cognitione confusa singularium. Ratio est clara, quia hæc cognitio confusa solum est universalis in representando; cum hoc solo discrimine, quod Nominales dicunt de voce, quod isti de cognitione confusa; immò cum voces sint signa conceptuum, quia eo modo res nominamus, quo illas concipimus, Nominales admittentes voces universales,

admittebant etiam cognitiones confusas singularium: & tamen ultra hoc convincuntur rationibus factis admittere universalia in essendo distincta à vocibus, & conceptibus confusis: ergo eisdem rationibus factis contra Nominales, impetuntur RR. Societatis supra laudati.

11. Tandem contra utrosque probatur communis sententia. A parte rei, & in rebus datur diffinitum per has voces *Animal rationale*. Sed diffinitum per has voces non est vox *homo*, nec conceptus *homo*: nec *Petritas*, vel *Paulcitas*, sed sola natura humana omnibus communis: ergo in rebus dantur universalia distincta à vocibus, & cognitionibus confusis, representantibus singularia. Consequentia tenet, & major est certa, quia tale diffinitum non est quid fictum, & impossibile, sed quid existens in re, & ab æterno possibile, vel potens existere. Min. probatur quoad omnes partes quia vox *homo* non est *animal rationale*; nec item cognitio nostra confusa est *animal rationale*, sed quid distinctum realiter ab homine cognito: rursus *animal rationale* non explicat singularitatem Petri, & Pauli, quare non est diffinitio Petritatis, & Paulcitis; immò cum ignoremus differentias individuales

re-

rerum; non possumus singularia diffinire: ergo restat, quod diffinitum in ea diffinitione sit natura humana omnibus individuis communis, & sic universale in essendo.

12. Dices: De singularibus potest esse diffinitio; nam logica verè diffinit individuum, & singulare, dicens, est *Quod significat unum tantum*. Vel est *Unum pluribus incommunicabile*: ergo in diffinitione hominis possunt diffiniri singularia, & sic non tenet ratio nostra. Rursus: De singularibus possunt esse propositiones æternæ veritatis, ut hæc *Petrus est homo*, *Paulus est animal*. Ergo de illis poterit esse diffinitio, immò & scientia.

Sed contra: Quia dum individuum, & singulare diffinitur, tunc accipitur sub ratione communi individui, & singularis, quæ est communis ad omnia individua, & singularia: ergo singulare ut distinctum ab alio singulari non diffinitur, immò nec est à nobis scibile, & sic procedebat ratio nostra. Nec tenet secunda instantia, quia, ut diximus cum D. Thoma, & Agidio 2. parte nostræ Dialecticæ quæst. 5. nullæ dantur propositiones æternæ veritatis de subjecto singulari. Vide ibi dicta. Sunt enim propositiones illæ essentielles, sed de subjecto corruptibili, & singu-

lari, quare sunt veritates temporales. Nec fieri potest instantia de Deo, qui singularis est. Quia est singularis simpliciter æternus & indefectibilis, & sic de eo est scientia; immò maxima scientiarum, scilicet Theologia de Deo supernaturali, & Metaphysica de Deo auctore naturæ.

Thomistæ RR. & quotquot eorum tenent sententiam, dicunt quod hæc propositio *Petrus est animal* est æternæ veritatis, non ratione singularis Petri, sed ratione naturæ humanæ, in qua convenit cum alijs hominibus, sub qua ratione est universalis in essendo.

§. III.

Expendantur fundamenta Nominalium, & RR. Societatis.

13. **P**PRIMUM fundamentum Nominalium sumitur ex Arist. lib. de Catheg. cap. de *substantiis*, ubi diffiniens secundas substantias, quæ sunt genera, & species, dicit *Significare quale quid*. sed significare convenit vocibus, non autem rebus: ergo juxta Aristot. genera, species, & universalia, non dantur in rebus, sed in vocibus.

B

Con

Confirmatur ex eodem lib. 1. Poster. cap. 18. & 19. ubi docet, quod uniuersale, nihil est præter singularia: sed si in rebus nihil est nisi singularia, solum dantur uniuersalia in uocibus: ergo idem. Præterea: 4. Ethic. cap. 2. fatetur quod differere de statu Reipublicæ, non est aliud, quam tractare de his uocibus *Regnum, Aristocratia, & Respublica*.

Respondetur bene cum Conimbricentibus, quod Aristoteles eodem modo dixit primas substantias significare *hoc aliquid*: sed primæ substantiæ, scilicet Petrus, Paulus, & alia singularia non sunt uoces juxta Aristotelem, immò nec juxta Nominales, quia dantur in rebus: ergo nec colligitur Aristotelem sentire secundas substantias esse solas uoces. Quare dicendum est Aristotelem ibi loquutum figuratè, accipiendo nomina rerum pro rebus significatis. Eadem solutione soluitur dictum nobis objectum ex 4. Ethicorum. Ad aliud dic, ibi loqui contra Platonem ponentem uniuersalia extra singularia, contra quem dicit non esse uniuersale præter singularia, hoc est *extra*, & separatum à singularibus. Intra uerò, & cum singularibus conjuncta dantur uniuersalia, ut cum Aristot. patet infra.

14.

Secundum funda-

mentum proponitur sic: Si darentur uniuersalia in rebus, natura humana v.g. esset una in omnibus individuis: sed inde plura absurda sequuntur: ergo non est concedendum dari uniuersalia in rebus. Major patet ex diffinitione data uniuersalis *unum in multis*. Min. probatur. Nam primò sequeretur, quod Petrus non distingueretur à Paulo, quod est euidenter falsum. Probatur sequela ex illo principio *Quæ sunt idem cum uno tertio, sunt idem inter se*: sed Petrus, & Paulus sunt idem in natura humana, si hæc est una in utroque: ergo sunt idem inter se, & sic non distinguuntur.

Secundò sequitur, quod eadem natura potest suscipere contrarias affectiones, v.g. potest simul beari, & damnari, esse in Cælo glorificata, & torqueri in inferno detenta. Probatur hæc sequela. Nam Petrus potest damnari, & Paulus saluari: ergo si eadem est utriusque natura, eadem patitur, & glorificatur &c.

Explicatur: Vel natura humana, quæ à Philosophis realibus ponitur una in Petro, & Paulo, ponitur una cum utroque identificata, vel ab utroque separata, & distincta? Si identificata. Tenet in omnibus argumentum, & ejus confirmatio. Si distincta. Ergo Philosophi rea-

les

les incidunt in sententiam Platonis, ponentis uniuersale in natura quadam distincta, & separata ab inferioribus, quæ sententia est absurda, ut uidebimus quæst. sequenti.

15. Ut respondeas, nota, quod illud principium *Quæ sunt idem cum uno tertio &c.* negatur ut falsum à Caramuele, & alijs, quia ferè semper fallit. Alij illud non admittunt in Diuinis. Quia Pater, & Filius sunt idem cum essentia Diuina; & non sunt idem inter se. Alij illud limitant dicendo esse verum, quando illud tertium est unum unitate simplicitatis, & incommunicabili, secus quando est tertium communicabile, ut patet in natura Diuina quæ est una, sed pluribus communicabilis, & ideò non probat in Diuinis illud principium. Alij limitant illud de uno tertio, quod est unum tam realiter, quam virtualiter, juxta quas limitationes unusquisque soluit difficultatem præsentem, & alias, quæ ex illo principio sæpè occurrunt.

Ceterum cum in illo principio fundetur tota vis syllogistica, illud negare, est destruire artem syllogizandi. Illud item variè limitare, est uoluntarium, & importunum. Quare accipe explicationem illius principij, quæ adhibita nunquam fallaris, & illud possis etiam in

Diuinis admittere.

16. Dicimus, quod ea quæ sunt idem cum tertio, sunt idem inter se, eo modo, & ea identitate, qua sunt unum cum tertio. Sic Pater, & Filius in Diuinis sunt idem cum essentia identitate essentiali: ergo sunt idem inter se identitate essentiali, & hæc est uera consequentia. Ad rem nostram, Petrus, & Paulus sunt idem in natura humana unitate essentiali & specifica, non autem unitate individuali: ergo sunt idem inter se unitate essentiali & specifica, non autem individuali, & totum est uerum. In forma ad argumentum nego maj. & primam sequelam. Ad probationem ejus disting. maj. distinctione data, & etiam minorem negando consequentiam. Quia Petrus, & Paulus sunt idem solum identitate essentiali, non individuali, quare sunt individua distincta, quæ eandem habent essentiam, & naturam.

Ad primam confirmationem nego sequelam. Ad probationem ejus concesso antecedenti, nego suppositum consequentis. Supponitur enim, quod tales affectiones conueniunt naturæ specificè & essentialiter sumptæ, & hoc est falsum. Nam beari est intelligere, amare, & agere. Torqueri, & damneri est pati: sed actio & passio est propria singulariū,

B2

in-

individuum, & existentium; nec possunt convenire naturæ nisi ut individuata: ergo si in Petro; & Paulo non est eadem natura individualiter & numericè, ut dictum est, non sequitur quòd eadem natura torqueatur, & glorificetur. Ut enim hoc sequeretur, oportebat probare, quòd illa talia cõveniunt naturæ specificè sumptæ, sed nec probatur, nec potest, ut dictum est.

17. Observa, quòd SS. PP. in concionibus de Ascensione Christi D. in Cœlum dicunt, quòd Christus Dominus nostram substantiam super Angelos exaltavit, & ad dexteram Dei Patris sedere fecit: at natura humana Christi non est natura numericè, sed solum specificè: ergo jam videtur natura specificè glorificata. Rursus sicut non producitur sola individuatio, & prima substantia, sed etiam prædicata universalis, & secundæ substantiæ producuntur; ita totus homo beatificatur; & totus torquetur: ergo affectiones illæ nedum conveniunt naturæ individuæ, sed naturæ specificæ.

Ad primum dicimus Christum Dominum esse caput nostrum, nosque membra corporis ejus; & *Quòd præcessit gloria capitis, eò spes vocatur, & corporis*, ut dicit S. Leo Papa serm. 1. de Ascensione

Domini. Eodem sensu dixit Paulo Dominus, *Cur me persequeris?* sibi tribuens, ut capiti, quòd membra ejus patiebantur, & valet mutua hoc sensu prædicatio. Vel attenda convenientia specifica, de qua P. August. lib. 7. de Trinit. cap. 6. dicit, quòd *Abraham. Isaac, & Jacob, speciem, quæ homo dicitur communiter, habent.* Hoc modo Christus Dominus verus homo, speciem, quæ homo dicitur, Calos invexit, & super Angelos exaltavit. Ceterum ista non conveniunt naturæ specificæ ratione sui, sed ratione identitatis cum individuatione, quare idem est, ac si non naturæ, sed individuo soli cõvenirët. Nec naturæ affectiones contrariæ gaudij, & torturæ conveniunt secundum idem, sed secundum diversa, quia conveniunt ratione individualitatum, quæ sunt multæ, & tot, quot homines; contrariæ non possunt convenire eidem subjecto secundum idem; benè autem secundum diversa.

Hinc patet ad explicationem fundamenti. Non enim ponimus naturam hominis separatam, sed identificatam cū singularibus, & cum eis simul productam, simul beatam, aut cum singularibus damnatis damnatam. Sed quid inde? Nil sanè, nisi quòd naturæ, quæ individualiter est multiplex, in

uno damnatur, in alio beatur; & eadem secundum diversa individualia in quibus est, admittit affectiones contrarias; sed propriè in eo casu non sunt contraria quia diffiniuntur contraria *Quæ ab eodem subjecto mutuo se expellant*, vel logicè *Affirmatio, & negatio ejusdem de eodem secundum idem.* Hæc nec sunt in eodem subjecto numerico, nec secundum idem conveniunt naturæ, ut dictum est.

18. Tertium fundamentum Nominalium est. Si darentur in rebus universalis in essendo, darentur etiam in prædicando; sed non darentur in rebus natura universalis, quæ possit de pluribus prædicari: ergo nec quæ possit in pluribus esse. Probatur min. Universale comparatur ad singulare sicut totum ad partem: sed totum nequit prædicari de parte; non enim valet *Brachium est homo*: ergo &c. Et confirmatur. Hæc propositio est falsa, *Singulare est universale*: ergo universale nequit prædicari de singulari.

Confirmatur secundò. Omnia, quæ sunt à parte rei, singularia sunt: sed de singularibus nequit prædicari universale: ergo &c. Probatur maj. Quidquid existit à parte rei, est vel Deus, & iste est singularis; vel aliquid creatum, & hoc est etiam singulare, quia productio

solum terminatur ad singularia: ergo omnia quæ sunt à parte rei, singularia sunt.

Confirmatur tertio: Hæc vox *homo* immediatè significat singularia: ergo non significat aliquid commune, & universale. Probatur antecedens. Hæc vox *homo* significat aliquid potens existere à parte rei: sed sola singularia existunt à parte rei: ergo vox *homo* &c. Explicatur: Universale non potest dari à parte rei: sed vox *homo* significat aliquid, quod potest dari, & datur à parte rei: ergo non significat universale, sed singularia naturæ humanæ.

Confirmatur quarto: vox *homo* est terminus communis: sed terminus communis est qui significat plura divisim: ergo vox *homo* non significat unum universale, sed plura singularia. Explicatur vox *animal* est totum divisibile in suas species, v.g. in hominem, leonem, &c. sicut vox *homo* est totum divisibile in Petrum, Paulum, & alia individualia: sed vox *animal* immediatè dicit suas species; cùm totum nihil aliud dicat, quàm suas partes: ergo vox *homo* immediatè dicit singularia.

19. Respondetur ad argumentum neg. min. ad probationem ejus dic, quòd universale non est totum *actuale*, sed *potentiale* respectu singula-

ris Jam verò licet totum actu-
le non possit prædicari de parte,
ut in exëplo dato, & in alijs patet;
benè verò totū potentiale, quod
est contrahibile & determina-
bile per suas partes; unde valet
Homo est animal: & *Petrus
est homo*. Non valet *Materia
prima est compositum*; & *rectum
est domus* &c. quia in his præ-
dicatur totum actuale de parti-
bus.

Ad primam confirmatio-
nem dic. quòd hæc prædica-
tio *Singulare est universale*, in
sensu formali est falsa; sed in
sensu identico est vera. Dicit
universale secundam intentio-
nem universalitatis, quæ non
est prædicabilis de intentione
singularis: & ideò quia absolu-
tè sumpta propositione, facit
sensum formalem, ideò nega-
tur. Ceterùm identicè sumpta
pro natura, & prædicato reali
quod vocatur *singulare*, ut *Pe-
trus*, & *universale*, ut *homo*,
sic est tam verū *singulare est u-
niversale*, ac *Petrus est ho-
mo*.

Ad secundam confirma-
tionem disting. maj. omnia à
parte rei sunt singularia, vel sin-
gularizata, concedo maj. sin-
gularia præcisè, nego maj. A
parte rei in Petro datur natu-
ra humana, quæ etiam datur
in Francisco, & alijs. Petrus ex
se est singularis, sed natura hu-
mana in eo singularis non est,

sed singularizata; quia natura
humana ex se non est indivi-
dua, & distincta à natura Pau-
li, sed individuatur, & singu-
rizatur à Petreitate. Hoc mo-
do: Materia prima à parte rei
est divisibilis, non ex se, sed
ratione quantitatis adjunctæ.
Quantitas verò ex se est divisi-
bilis. Exemplum hoc unice
rem explicat, notato discrimi-
ne, quòd quantitas realiter di-
stinguitur à materia, secus sin-
gularitas à natura, ut dicemus q.
3. & 5.

20. Ad tertiam confir-
mationem, nego antecedens, ad
probationem nego min. Non
enim sola singularia existunt à
parte rei, sed universalia, quia
quidquid producitur, existit;
hoc enim est produci, poni
sub existentia: sed non solùm
producentur primæ substantiæ,
quæ sunt singularia, sed etiam
secundæ; item destructis pri-
mis substantijs destruantur etiã
secundæ juxta Aristot. cap. *de
Substantia*: ergo non sola sin-
gularia existunt, sed universa-
lia. Hinc ad explicationem di-
sting. maj. universale non po-
test dari à parte rei, separatim
à singulari, concedo maj. in-
clusum, & identificatum cum
singulari, nego maj. ob ratio-
nem datam, de quo quæst. 3.
sequenti.

Ad quartam confirmatio-
nem nego maj. & simul min.

cu.

cujus contrarium diximus ex D.
Thoma, & Beato Agidio in 2.
parte nostræ Dialecticæ quæst.
1. ibi ostensum est, quòd solus
terminus *Deus* est communis;
nec diffiniendus est ut in con-
firmatione, sed *Qui significat
rem pluribus communicabilem
sine multiplicatione*. Universa-
lis diffiniendus est, *Qui signi-
ficat rem pluribus communica-
bilem cum reali multiplicatione*.
Hinc sequitur quòd termi-
nus *homo* qui nec singularis, nec
communis est, sed universalis,
significat naturam humanam plu-
ribus communem cum multi-
plicatione, & sic significat, non
plura divisim, sed quid univer-
sale in essendo.

Ad explicationem quartæ
confirmationis dicimus, quòd
totum actuale nihil est nisi par-
tes ex quibus actu componitur.
Ceterùm totum potentiale est
quid distinctum à partibus, quia
partes addunt actualitatem su-
pra totum potentiale: genus
autem relatè ad species; & spe-
cies relatè ad individua, sunt
totum potentiale, non autem
actuale; quare nego min. &
probationem inclusam, quæ
solùm est vera de toto actua-
li.

21. Quartum funda-
mentum, & ceteris difficilijs,
proponitur sic: *Vox homo* non
significat aliquid affirmabile de
pluribus: ergo non significat

quid universale, sed singularia
in confuso. Probatur antece-
dens; illud affirmabile esset idè-
tificatum cum quolibet, v. g.
cum Petro: sed quod identifi-
catur cum Petro, nequit esse
affirmabile de pluribus: ergo.
Probatur min. quòd identifica-
tur cum Petro, nequit identi-
ficari cum Paulo realiter di-
stincto à Petro: sed quòd ne-
quit identificari cum pluribus
distinctis à Petro, non est affir-
mabile de pluribus: ergo &c.

Confirmatur. *Vox homo*
significat aliquid identificatum
cum Petro: sed quòd identifi-
catur cum Petro nequit iden-
tificari cum alijs distinctis à Pe-
tro: ergo *vox homo* significans
aliquid identificabile cum Pe-
tro, Paulo, & alijs, non signi-
ficat unum tantum, sed plura
identificabilia cum eis; & con-
sequenter non significat quid
universale, sed plura singula-
ria.

Confirmatur secundò: My-
sterium Trinitatis consistit in
eo quòd eadem natura, unica,
& immultiplicabilis, commu-
nis est per identitatem tribus
Personis realiter distinctis: sed
si *vox homo* significat unum tan-
tum, sequitur in creatis myste-
rium Trinitatis dari, quòd est
impossibile: ergo *vox homo*
non significat unum tantum, sed
plura. Probatur min. Si *vox ho-
mo* significat unum tantum,
si.

si.

significat naturam humanam unam tantum, & per identitatem communicabilem Petro, Paulo &c. realiter distinctis: sed hoc est ponere in creatis mysterium Trinitatis: ergo.

2. Solutio hujus fundamenti pendet ex dicendis quæst. 3. Thomistæ, ut videre est apud Palanco tractatu 3. de univers. quæst. 9. num. 25. respondent, quod unum realiter unum, nequit communicari, & identificari cum pluribus realiter distinctis: & in hoc consistit mysterium Trinitatis, quia natura Divina realiter una, identificatur cum tribus Personis realiter distinctis. At vox *homo* non significat unum tantum, quod sit realiter unum, sed unum quod per rationem unum est, sed in re est multiplex. Quare significat humanitatem, quæ in Petro est distincta ab humanitate Pauli eadem distinctione, qua Petrus & Paulus distinguuntur. Ceterum humanitates istæ realiter plures, fiunt unum per rationem ab intellectu abstrahente; & hoc sufficit, ut sic illud unum sit universale.

Omittimus nunc, quæ contra solutionem istam occurrunt, de quibus in sequentibus quæst. citata. Dicimus interim argumentum, etsi difficile, debere solvi etiam à Nominalibus; nam vox *homo* jux-

tà illos significat omnes homines singulares, & ideò est universalis in representando: sed omnes homines non sunt aliquid affirmabile de Petro; cum Petrus non sit *omnes homines*: ergo vox *homo* vel solum significat hominem Petrum, & sic est singularis in representando; vel tenentur explicare quomodo significat aliter, quàm prædicat.

3. Nostra solutio est, quod Petrus, & Paulus distinguuntur numericè, sed non specificè; quare sunt plura numero, sed specificè unum. Hoc modo humanitas, identificata cum utroque, est una specificè, sed duplex numericè. Identitas naturæ cum Petro non causat in natura majorem distinctionem à natura Pauli, quàm sit distinctio inter Petrum, & Paulum: sed Petrus, & Paulus solo numero distinguuntur, non autem specificè; quare licet numericè sint plures, specificè sunt unum: ergo natura cum utroque identificata erit una specificè, licet sit plures numericè. Hinc vox *homo* dicit naturam humanam affirmabilem de Petro, Paulo, & alijs. Hæc natura, sic affirmabilis, est una, & plures; una specificè, plures numericè. Argumentum non vult discernere has distinctiones numericam, & specificam; & ideò ingerit dif-

ficulatè. Fatemur, quod id numero tale quod identificatur cum Petro, nequit identificari cum Paulo: sed negamus, quod id specificè tale, quod identificatur cum Petro, non possit identificari cum Paulo: quia natura Pauli, licet realiter numericè distincta à natura Petri, est idem specificè cum natura ejus, quia specificè non est duplex natura, sed unica. De hoc latè quæst. 3. seq.


In forma ad argumentum nego antecedens, ad probationem, nego min; ad probationem, distinguo maj. Quod identificatur cum Petro, nequit identificari cum Paulo, Quod numero tale identificatur cum Petro, concedo maj. Quod specificè tale identificatur cum Petro, nego maj. quia natura Pauli identificatur cum Paulo, & hæc est specificè idem cum natura Petri; unde jam idem specificè tale identificatur cum utroque, & sic est affirmabile de pluribus realiter distinctis.

Ad primam confirmationem concessa maj. distinguo min. distinctione data: & dist. etiam consequens: ergo vox *homo* non significat unum, sed plura; unum numericè tale, concedo consequentiam; unum specificè tale, subdistinguo, &

plura numericè talia, concedo consequentiam, & plura specificè plura, nego consequentiã. Vox *homo* significat humanitatem, hæc est una specificè, & plures numericè: ergo vox *homo* significat unum, & plura, vel unum in pluribus, quod requiritur ad universale, quia non sufficit unum ad rationem universalis, sed multa, & unum: ergo cū vox *homo* significet unū, & multa, ideò est propriè terminus universalis, & significatum ejus est universale in essendo.

Ad secundam confirmationem nego min. Ad probationem ejus, dico, quod mysterium Trinitatis consistit in eo quod una natura tam specificè, quàm numericè, sine multiplicatione adhuc numerica communicetur tribus Personis realiter distinctis. In nostra sententia non ponitur sic natura creata, quia licet specificè una communicetur multis, in eis numericè multiplicatur; & natura Petri realiter distingui-

tur à natura Pauli. De quo nunc satis.



QUÆSTIO SECUNDA:

Utrum dentur universalia in essendo; ab inferioribus separata?

§. I.

Explicatur sententia Platonis juxta mentem Aristotelicam.

1. **C**ONTRA Heraclitum Ephesium, & Cratylum discipulum ejus, qui non inuenientes universalia in rebus creatis, negarunt scientias, tenentes nihil sciri posse; item contra Ambrosium, & totam Epicureorum scholam, quæ cum videret omnia esse singularia, & fluxu perpetuo defectibilia, assererat nihil posse scientificè cognosci; quibus postea adhæserunt *Academici* de omnibus dubitantes, & nihil certò cognosci asserentes; contra hos fuerunt *Plato, Prothagoras, Aristoteles*, & alij posteriores, ponentes dari in rebus universalibus perpetua, indefectibilia, & æterna, de quibus agerent scientiæ. Et omisso errore *Prothagoræ* qui juxta N. Fundatiff. Doct. lib. de Generat. & Corrupt. dicebat universale esse Coelum, quod putavit esse quoddam animal respirans, suaque respiratione atomos emittens, quæ descendentes in aërem, terram, & aquam, corpora vivificant. Hoc omisso, de sola

Platonis sententia, nunc etiam celeberrima, & infœliciter impugnata, præsentem quæstionem cum RR. instituimus.

2. Igitur Aristoteles, Platonis discipulus loquens de ideis Platonis 1. Ethic. cap. 6. 1. Metaphysicæ à textu 5. & lib. 7. Metaphysicæ ferè per totum, dicit, Platonem posuisse ideas universales, de quibus erant scientiæ, & istas nihil aliud esse, quàm naturas per se subsistentes, à singularibus separatas. Dicemus de homine, quod applicabis ad alias species, & naturas. Idea ergo hominis erat juxta Platonem, natura quædam unica, separata ab omnibus singularibus, quæ erat æterna, improducta, & perpetua, per se subsistens, & eadem semper manens. Ab ista recipiebant esse per participationem ejus omnes homines geniti, qui à Deo creabantur ad similitudinem illius naturæ. Has naturas separatas à singularibus vocabat ideas, rationes, & exemplaria. Et aliqui dicunt eas po-

QUÆST. II.

positas fuisse à Platone in concavo lunæ; sed non proferunt aliquod Platonis testimonium pro tali positione.

Loco laudato 1. Metaph. cap. 6. Aristoteles sui Magistri Sententiam, sic propositam, impugnat, & prætexens veritatis amorem, eam vellicat dicens: *Tametsi nobis sit hæc quæstio lubrica sanè, atque ardua futura, propterea quòd homines amici (idest Plato) ideas introduxerunt, fortasse autem præstare, atque ad eò oportere videatur veritatis tuendæ causa, vel monstra ipsorum decreta evertere: præsertim cum etiam nos Philosophi simus.* Noster Egidius 1. parte Hexameron sic inducit loquentem Aristotelem, *Gaudeant species; monstra enim sunt; & si sunt, nihil ad rationem.* Alij autem referunt dixisse, *Valcant Platonis idea, quia nihil sunt, aut monstra sunt.*

Hinc ortum habuit vocare ideam Platoniam, quidquid monstruosum reputatur, aut impossibile. Quare ore pleno plures RR. sententiam Platonis vocant erroneam; ipsumque ab antiquis Divinum Philosophum nuncupatum, nec inter gregales hoc loco numerandum censent: cum è contra P. Augustinus, de quo infra, putet Platonem ob suas ideas omnes Philosophos excedere,

§. I. 79
meritoque nomèn Divinum ei appropriari.

3. Sententiam sic explicatam impugnat Aristot. & cum eo Peripatetici antiqui, & RR. Primò, nam tales naturæ separatae non possunt esse universales, sed singulares; ergo licet ponantur separatae, non habetur intentum ponendi in rebus universalibus. Antecedens probatur. Tales naturæ necessariò sunt aliquid creatum: ergo singulare; quia creatio terminatur ad dandam existentiam, qua sola singularia existunt.

Secundò: Vel tales naturæ essent de essentia singularium, vel non? Si non sunt: ergo jam singularia non conveniunt in aliqua ratione communi, & universali: & sic non dantur universalibus in rebus. Si sunt: ergo tales naturæ nec possunt distingui à singularibus, nec ab eis separari. Patet hæc consequentia, quia nihil potest distingui ab eo, quod est sibi essentialiale; nec separari potest realiter à sua essentia.

Tertiò: Tales naturæ vel essent productæ, & sic forent singulares, ut dictum est. Vel improductæ; & sic forent Deus. Quare cum ponantur plures, & distinctæ; oporteret ponere plures deos. Hoc ultimum videtur sensisse Platonem teste P. Augustin. lib. 7. de Civit. Dei. cap. 28. ubi de Platone ita de-

ponit, *Cœlum Iovem; terram Innonem; ideas Minervam* *Vale. intelligi: Cœlum, à quo fiat aliquid, terram de qua fiat; exemplum, secundum quod fiat.* Vide apud Bajonam alia absurda, quæ sequuntur ex sententia Platonis sic explicata.

§. II.

Explicatur sententia Platonis cum P. Augustino, & vindicatur ab impostura Aristotelica.

4. **H**ABUIT Plato suos vindices egregios, ut sunt Jamblicus Porphyrij auditor, Apuleius, Eustratius, & alij antiqui Philosophi, qui testantur concordēs, Platonem idearum nomine non intelligere substantias communes, & universales, separatas à singularibus; sed exemplaria creaturarum existentia in mente Divina. Sic intellexit sententiam Platonis Seneca Epist. 66. Pater August. lib. 22. de Civit. Dei, & alijs locis, sed præcipuè tom. 4. lib. 83. q. 46. per totam. Noster Fundat. Doct. quæst. 8. de cognitione Angelorum latissimè, & eruditissimè. Citantur etiam Justinus Martir, D. Thomas opusc. 20. Durandus, & alij; quibus adhærent.

aliqui RR. dicentes Aristotēlem aut non intellexisse mentem sui Magistri Platonis, aut ingratum noluisse benè exponere, ut facilius impugnaret, & gloriam sibi arriperet. Quidquid sit.

Audi nostrum Leonardum Coquæum, illustrem Augustini interpretem cap. 28. lib. 7. de Civit. Dei, ubi invehitur contra Aristotelem, Platoni resistentem, & ait: *Perperam illas ideas Platonis contendit Aristoteles; nec enim earum nomine Plato intelligit universalia quædam, à singularibus rebus sejuncta; verum rationes in mente Divina rerum ipsarum creandarum, ut olim D. Augustinus, Seneca, & reliqui intellexerunt.*

Eandem sententiam defendimus cum P. Augustino, & alijs supra laudatis, cum quibus dicimus, quod Plato in omnibus magnus, in ista controversia maximus, idearum nomine intellexisse exemplaria creaturarum existentia in mente Divina: quæ exemplaria sunt æterna, improducta, & perpetua; & sunt Deus ipse. De ideis sic positis tractant Theologi cum D. Thoma 1. p. quæst. 15. per totam, quæ est de Divinis ideis. Eas negare nullus potest, nisi infidelitatis reus juxta P. Augustinum, quem allegans D. Thomas dicit ideas, sic

sic sumptas, esse de fide dari in Deo. Quare unicè nobis demonstrare restat, Platonem eas posuisse sic.

5. Probatur primò ex verbis Platonis in Timæo pag. 159. ubi ait: *Fateri oportet esse speciem, quæ semper eadē sit sine ortu, atque interitu; quæ nec in se accipiat quidquid aliud aliunde; nec ipsa procedat ad aliud quidquam, sensuque corporis à nullo percipiatur: atque hoc est, quod ad sacram intelligentiam pertinet, ejusque intentionis est proprium.* Vocat sacram intelligentiam mentem Divinam, & speciem ideam, ut constabit ex Platonis interpretibus, ex quibus

Probatur secundò ex Seneca Epist. 58. ubi ait, Platonem subintelligens, *Ideas vocat, ex quibus omnia quæcumque videmus fiunt, & ad quas cuncta formantur* (scilicet à Deo) *in cujus mente existunt, ut immortales, immutabiles, & invariabiles.* Oro te, notes quo fundamento aliqui dixerint, Platonem suas posuisse ideas in concavo lunæ, si Seneca de mente Platonis ponit illas in mente Divina, & Plato ipse expressè dicit esse in sacra intelligentia? Sed rem ulterius duce Seneca explicemus. Unde,

6. Probatur tertio ex Seneca Epist. 65. ubi juxta doctrinam Platonis dicit: *Quin-*

que ergo cause sunt, ut Plato dicit, id ex quo; id à quo; id quo; id ad quod; id propter quod: novissimè id quod ex his est, scilicet effectus. Et ponens exemplum in statua ærea, subdit: *Id ex quo, æs est; id à quo, artifex est; id quo, forma est, quæ aptatur illi; id ad quod, exemplar est quod imitatur is, qui facit; id propter quod, facientis propositum est; id quod ex istis, est ipsa statua.* En tota doctrina Platonis, quam sequitur ejus discipulus Arist. 2. Physicorum assignans causas, materialem, formalem, exemplarem, finalem, & efficientem: quas omnes nec opportuniori exemplo, nec brevioribus verbis nullibi explicatas invenies.

Progreditur Cordubensis noster statuens de mente Platonis, has omnes causas concurrere in operibus Dei ad extrà; & dicit: *Hæc omnia mundus quoque, ut ait Plato, habet: faciens, hic Deus est. Ex quo fit, hæc materia est. Forma hæc, est habitus, & ordo mundi, quem videmus. Exemplar scilicet, ad quod Deus hanc magnitudinē operis pulcherrimi fecit. Propositum, propter quod fitam Deo? Bonitas: ita certè Plato ait. Mirare Platonem; non ut Philosophum, sed ut Theologum, non ut Gentilē,*

principia fidei ignorantem, sed ut illuminatum loqui: quo notato, vide, quanto fundamento P. Augustinus, & cum eo plures DD. asseveraverint, Platonem sacros libros Hebræorum vidisse, & ex eis quàm plura dogmata suis doctrinis interpolasse.

7. Has ideas in mente Divina existentes posuit Plato teste nostro Ægidio in 1. Sent. distinct. 36. quæst. 2. art. 7. propter duos fines, quia erant necessariae ad generationem, & ad scientiam. Ad generationem, quia ex ideis dimanabant formæ sensibiles, & creatæ in materia. Ad scientiam, quia ex illis ideis dimanabant species intelligibiles in mentes Angelorum, & hominum. Ex quo videtur Plato ab alia impostura: nam putant aliqui has ideas posuisse, ut de illis esset nostra scientia, & in eis cognoscere res creatas. Non sic certè, non sic: quia ideas Divinæ sunt nobis occultæ, sicut Divina essentia quoad quid est. Solum enim innotescunt nobis quoad an est; quia scimus Deum esse, habere essentiam, & ideas factibilium; ignoramus tamen quidditatem Dei, quam soli Beati cognoscunt facie ad faciem. Quare sic ponere ideas in Deo, foret inutile pro scientia nostra, ut bene arguunt R.R. sed ex falso

supposito contra Platonem.

Ponuntur ergo ideas in mente Divina, ut Deus artificioso modo, & sapientissimè omnia producat, nam eo dato, ait P. Augustinus quæst. laudata, *Restat ut omnia ratione sint condita; nec eadem ratione homo, qua equus; hoc enim absurdum est existimare: singula igitur proprijs sunt creata rationibus. Has autem rationes, ubi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris?* En ibi sunt, ut Deus ratione conderet univèrsa. Ceterùm conducunt ad scientiam nostram, quatenus ex illis derivantur species rerum in intellectum nostrum, & Angelicū; & per has species, in intellectu nostro existentes, intelligimus res creatas. Vide nostrum Ægidium quæst. 8. de cognitione Angelorum §. *Ad tertiam difficultatem.* Ubi probat, quòd ab ideis Divinis derivantur species rerum in mentes Angelorum. Non ergo Angeli cognoscunt res creatas in ideis, sed in speciebus, ab ideis derivatis.

Hoc ipsum tenuit Plato, & omnis ejus schola de hominibus, docens, quòd sicut Deus creando Angelos, concreavit in intellectu Angelorum species rerum creatarum; ita creando animam rationalem, concreavit in mente species; & tam nostræ, quàm Angelicæ, de-

derivatæ erant à Divinis ideis. Consequenter ad ista dicebat, nos in scholis nihil de novo adiscere, sed oblita rememorare. Quia omnium scibilibum habemus species in anima congenitas, quarum non recordamur, nisi studio, & opera Magistri. Hujus asserti rationem inveniebant ex eo, quòd si quis v. g. bene interrogetur circa Geometralia, respondet iterùm, & iterùm usque dum veniat ad conclusionem, quam nunquam didicerit: ergo non adiscit de novo, sed reminiscendo recognoscit.

8. Sententiam istam de ideis Platonicis sic explicatam, item de speciebus concreatis in mente nostra; & de reminiscencia rerum scitarum, defendit mordicus Cicero eloquentiæ Princeps lib. 1. Tusculanarum quæstionum, ubi referens sententiam Aristotelis, & aliorum Philosophorum, dicit, laudata prius sententia Platonica, *Errare me, Hercule, malo cum Platone, quem tu quanti facias, scio. quàm cum istis vera sentire.* Sententiam istam de reminiscencia tribuit etiam Socrati, omnium Philosophorum Patri, dicens: *Ex quo effici vult Socrates, ut discere nihil aliud sit, quàm recordari. Quem locum magis etiam accuratius explicat in eo sermone, quem habuit, eo ipso die, quo*

excessit è vita. Docet enim quædam, qui omnium rerum rudis esse videatur, bene interroganti respondentem, declarare, se non tunc illa discere, sed reminiscendo recognoscere.

9. Ab ista opinione non fuit alienus P. Augustinus lib. de quant. animæ. Item lib. de immortalitate ejusdem, nec mirum, quia sicut dicitur de D. Thoma, quòd nimis aristotelizavit, ita de Augustino P. dici potest platonizasse. At quia Plato cum suis putavit animas vixisse extra corpora, antequàm corporibus unirentur; & post unionem recordari eorum quæ ante unionem cognoverunt per species infusas: ideò quantum ad hoc impugnat sententiam Platonis lib. 13. de Trin. c. 15. ubi ait: *Vnde Plato ille Philosophus nobilis, persuadere conatus est, vixisse hic animas hominum, antequàm ista corpora gererent. Et hinc esse, quòd ea quæ discuntur, reminiscuntur potius cognita, quàm cognoscuntur nova. Retulit enim puerum quendam, nescio quæ de Geometria interrogatum, sic respondisse, tanquam esset illius peritissimus disciplinæ. Gradatim quippe, atque artificiosè interrogatus, videbat quòd videndum erat, dicebatque quòd viderat.*

Impugnat non absolute recordationem istam, sed ante-

teactam vitam animæ extrâ corpore, aut cognitionem præteritam in statu animæ ante unionem cum corpore. Ibi sic: *Sed si recordatio hæc esset rerum antea cognitarum, non utique omnes, vel pœnè omnes, cum illo modo interrogarentur hoc possent. Non enim omnes in priori visa Geometria fuerunt, cum tam rari sint in genere humano, ut vix possit aliquis inveniri.* En impugnatio: audi solutionem illius experientia Platonicæ, quæ nedum in puerro de Geometricis interrogato, sed de penè omnibus concedit P. Augustinus, si gradatim, & benè interrogentur de disciplinis. Et sanè Augustinus ipse id expertus est in filio Adeodato, quem edocet Grammaticam, Musicam, Rhetoricam, Dialecticam, & alia, gradatim interrogante Patre, & respondente Filio. An ne hoc fuit reminisci veritatis, in antea acta animæ vita cognitæ? Minimè.

10. *Sed potius (ait) creandum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, ut rebus intelligibilibus naturali ordine disponente Conditor, subjuncta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac corporea luce circumadjacent, cujus lucis capax, eique con-*

præcens est creatus. En effectus ille tribuendus est Conditori naturæ, qui dedit lucem incorporatam menti, qua subjuncta videat in speciebus intelligibilibus, naturali ordine dispositis.

An autem species illæ sint concreatæ animæ, ut vult Plato; an verò acceptæ per sensus, & à rebus causatæ, ut vult Philosophus Aristoteles dicens, intellectum nostrum nasci tanquam tabulam rasam, in qua nihil est depictum? Hic non decidit P. August. Et probabiliter potest utrumque defendi; nam de Adamo est certum, creatum esse cum scientijs, & speciebus infusis, ut vidimus lib. 1. Log. quæst. 9. §. 2. De posteris est certum nos nasci cum peccato originali, trahente secum pœnas luendas in corpore, & præsentî vita; inter quas est ignorantia. At possunt species esse quasi sopitæ, & per sensus excitari, ita ut scientia nostra causetur à rebus, incipiat à sensibus, tanquam à principio excitante species animæ congenitas. Hæc sufficiat insinuasse. Vide, si alia desideres nostrum Ægidium in 1. Sentent. quæst. 3. Prologi art. 3.

11. Concludimus probationem, & testimonia mentis Platonicæ, verbis P. Augustini lib. 83. qq. quæst. 46. quæ tota est de Divinis ideis, & tota ex doctrina, & mente Platonis.

tonis, quam diligenter rimatus est P. noster, ut de illis exponeret quod magis congruit veritati. Incipit quætionem sic: *Ideas Plato primus appellesse perhibetur; non tamen si hoc nomen, antequam ipse institueret, non erat, idè vel res ipsæ nonerant, quas ideas vocabat, vel à nullo erant intellectæ; sed alio fortasse, atque alio nomine ab alijs, atque alijs nuncupatæ sunt.* Rationem assignat, *Nam non est verisimile, sapientes aut nullos fuisse ante Platonem; aut istas quas Plato, ut dictum est, ideas vocat, quæcumque res sint, non intellexisse. Siquidem tanta in eis vis constituitur, ut nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit.* Hæc S. P.

Ex quibus habemus Platonicas ideas non esse tales, quales Aristoteles Magistro imposuit; sed tales, quales decebant Philosophum Divinum: nec esse erroneam Platonis sententiam, ut passim invenies sugillatam apud RR sed catholicam, immò quæ negari non potest sine periculo erroris in fide. Nec quiquam sapiens esse potest, teste P. N. nisi intelligat ideas Platonicas; quare ne teneretur Augustinus negare, sapientes extitisse plures ante Platonem, dicit ipsum inventorem fuisse nominis *idea*; sed non rei, aut cognitionis ejus. Quare Platonem per Græ-

tiam divagantem; & in alias mundi plagas peregrinum inducit, ut sapientes audiens hæc de ideis, & alias veritates suæ doctrinæ colligens, discipulis tradiderit.

12. Sed dices: Aristotelis sententia longè præponenda est sententiæ Platonis: ergo Aristoteles non est corripiendus pro eo, quod Platonem corriperit; sed ipse Plato, eò quod ab Aristotele correptus sit. Probatur antecedens. D. Thomas 1. p. quæst. 15. art. 1. & alibi sæpè recedit ab opinione Platonis, & se convertit ad Aristotelicam. Eundem sequitur N. Ægidius in 1. distinct. 36. quæst. 4. & ferè omnes DD. qui ideas Platonis tanquam figmenta cōtremnunt: ergo Aristot. sententia longè præponenda est Platonicæ.

Rursus Plato putavit, ideas esse quosdam deos inferiores summo, & omnipotenti Deo, ut vidimus cum P. Augustino num. 3. laudato, & expressè docetur à N. B. Doct. Ægidio loco ubi proximè citato. At in hoc ut Gentilis erravit: ergo sententia ejus tanti faciendâ nō est, ut contendimus.

13. Respondemus ad primū negando antecedens cū P. August. qui lib. 8. de Civit. Dei cap. 12. cōmendat Arist. sed ipsum postponit, & meritò Platoni dicens: *Aristoteles Platonis discipulus, vir excellentis ingenij,*

eloquio Platoni quidem impar, sed multos facile superans. En Aristoteles multos superans ingenio, & eloquio, Platoni impar fuit, teste ingeniosissimo Doctorum Ecclesie Augustino, ejus judicio refragari non audeamus. Item lib. 5. contra Julianum cap. 15. testatur, quod Cicero non dubitaverit appellare Platonem pænè deum Philosophorum: & merito, quia & ipsum Aristotelem Plato docens edocuit, nec est unde major eo non extiterit.

Ad D. Thomam, & B. Ægidium cum alijs allegatis, dicimus, ipsos non curasse de sensu Platonis, fuerit ne, quem Aristoteles ei attribuit, quia id non reputarunt necessarium, cum plene additi essent sententiæ Aristotelicæ pro philosophicis, & Augustinianæ pro doctrina de Divinis ideis. Impugnarunt Platonis sententiam sub conditione explicita vel implicita, *Si hoc essent ideæ, quod Aristoteles testatus est.* Hanc conditionem expressit Doctor noster quæst. laudata 1. Sent. distinct. 36. dicens: *Positio Platonis de ideis, si sic sensat, ut Aristoteles ei imponit, supervacua est, & fabulosa.* En Ægidius (& idem dic de D. Thoma, & alijs Principibus scholasticis) impugnat absolutè sententiam Platonis, sed sub conditione, quod senserit, ut Ari-

stoteles ei imponit: sed probatum est à nobis non sic sensisse, sed longè aliter, ut supra vidimus: ergo non impugnant Platonem, sed signamentum Aristotelicum.

Ad secundum dicimus, Aristotelem eodem vitio laborasse, tenens errorem, Gentilibus communem, de pluralitate deorum. Id constat vel solo testimonio Diogenis Laërtij, qui in vita Aristotelis dicit, eum testamento legasse varia Junoni, Minervæ, & alijs, dum morti proximus de domo sua disposuit. Quare non est, cur ex hoc Plato sit Aristoteli postponendus. Dicendum secundò cum pluribus, Platonem, Aristotelem, Socratem, & alios Philosophos cognovisse unitatem veri Dei; sed vocasse deos inferiores intelligentias, genia, & alia etiam corporea, sicut modò Astronomi stellas appellant *Jovem, Martem, Venerem, Castorem* &c. in quo nullus error est. Id que de Platone nostro facile suadetur, cum posuerit ideas existentes in sola mente Divina: ergo non putavit quid distinctum à Deo vero. Vocat eas *Minervam* teste P. Augustino ubi supra; sed loquitur figuratè ad mentem Poëtarum, qui finxerunt, Minervam è Jovis cerebro profluissè. Ideas certè Divinas in mente Crea-

toris, quasi de Dei cerebro profluere, impropria locutio est, sed accomodata locationibus Poëtarum, popularibus satis notis.

§. III.

Rationibus suadetur sententiam Platonis præponendam esse Aristotelicæ.

14. VIDIMUS §. præcedenti, Platonem in statera Augustiniana Aristoteli præponderare; & contra testimonium solius Aristotelis, testis suspecti in præfenti materia, tres alios testes, omni exceptione majores, reproductimus, scilicet P. Augustinum, Senecam, & Ciceronem, ut in ore horum trium stet verbum hoc verissimum, scilicet, quod *Plato Divinus*, ut ait Cicero; *nobilis Philosophus*, ut dicit Augustinus, non posuerit universalia, ut ea depingit Aristoteles; sed in mente Divina, ut sana Theologia demonstrat. Restat, ut ad nostrum institutum revertentes, utramque sententiam ad stateram Logicalem, aut Philosophicam, revocemus: nec dubitamus quod stando rationi præponenda sit Platonis sententia.

Sit ergo prima ratio pro Platone. Illa sententia præponenda est, quæ cum æquali, aut majori certitudine veritatis, est clarior, & facilius penetratur. Sed pro defendendis scientijs, & designando objecto earum (quidquid sit de veritate, de qua erit secunda ratio pro Platone) hujus sententia est clarior, & facilius penetratur, quàm Aristotelica: ergo titulo majoris claritatis præponenda est sententia Platonis. Minor probatur ponendo ante oculos utriusque sententiam. Uterque contra Heraclitum, & Cratylum negantes scientias, quia omnia sunt singularia, & defectibilia, contendit suo modo designare, res creatas habere veritatem perpetuam, & invariabilem. At quomodo? audi primò Platonem.

15. Plato dicit omnes res creatas existere in Divinis ideis, ubi habent esse æternū, perpetuum, & invariabile: quod principium veluti dogma Theologicum proponitur à P. August. quæstione laudata, & eum sequuntur omnes Theologi. Dicit quod à Divinis ideis derivantur species rerum in intellectu nostram, & Angelicam; quod de Angelico etiam est communis sententia Theologorum, & de humano est satis probabilis, ut vidimus num. 14.

Quare sicet res creatæ existentcs extra intellectum, non habeant veritatem permanentem in se, sed defectibilem; in speciebus nostri intellectus habent veritatem perpetuam & permanentem; quia veritas rei creatæ in specie impressa non sumitur à rebus creatis, existentibus in se extra intellectum, sed à rebus ipsis ut existentibus in Divinis ideis, ubi habent esse perpetuū, æternum, & invariable. Ergo licet res creatæ sint singulares, & defectibiles, de illis potest esse scientia, quæ solum est de perpetuis. Hæc sententia clarissima est; & pendet ex principijs solidis, ut patet.

16. Aristoteles dicit, omnes res esse singulares, & defectibiles in se; ceterum defectibilitas nascitur ex singularitate, non autem ex prædicatis specificis, quæ ab eo vocantur secundæ substantiæ; nam prædicata ista solum generantur, & corrumpuntur per accidens, ratione singularium in quibus sunt. Quare semel quod intellectus abstrahat prædicata ista à singularibus, abstrahit à defectibilitate, & corruptione: unde prædicata ista sic abstracta, sunt universalia: sunt perpetua, & indefectibilia; & de eis sic consideratis, & abstractis, dantur scientiæ. Hæc in summa est doctrina, & sententia Aristotelis. Atque sententia

Platonis est clarior: ergo hoc titulo est præponenda.

17. Probo minorem dupliciter. Primò, quia Porphyrius Aristotelicus in sua isagoge, aut tractatu de prædicabilibus renuit disputare de universali Aristotelico ob ingentem difficultatem, verba ejus in initio sunt. *Mox de generibus, & speciebus, illud quidem sive subsistant, sive in solis nudis intellectibus posita sunt; sive subsistentia corporalia sunt, an incorporalia; & utrum separata à sensibilibus, an in ipsis sensibilibus posita, & circa consistentia dicere recusabo. Altissimum est enim hujus negotium, & majoris egens inquisitionis.* En ferè incomprehensibilis Aristotelis sententia de universalibus, propter difficultates, quas Porphyrius insinuat, & omittit. At Platonis sententia supra explicata, his angustijs non premitur: ergo clarior est Aristotelica.

Probatum secundò minor ex D. Thoma, qui pro explicanda mente Aristotelis circa universalia, duo integra confecit opuscula, quæ sunt 55. & 56. in quibus Magister Angelicus, qui difficultates majores Theologiæ unico, & brevissimo articulo sæpè explicat radicatus, unde merito Ioannes XXII. dixit tot esse patrara miracula à D. Thoma, quot

articuli ab eo conscripti; nihilominus in his duobus opusculis de universalibus juxta mentem Aristotelis, vix percipies quid sentiat, quid dicat, & quid nos edoceat; idque patet ex diversis intelligentijs Doctorū adhuc Thomistarum. Quid ergo? Obscurus est D. Thomas? Absit, nisi velis dicere solem obtenebratum. Obscura est sententia Aristotelis, quam nec Scholasticorum sol potuit irradiare. E contra sententia Platonis ita est perspicua, ut etiam meis obtenebrata vocibus num. 15. à radioribus percipiatur.

18. Sit secunda ratio pro Platone. Sententia illa præponenda est, quæ verior, aut verosimillior apparet diligenter consideranti: sed sententia Platonis est verosimillior Aristotelica: ergo Platonica præponenda est. Probo min. primò, quia Plato ponit veritatem objecti creati certam, & perpetuam, desumendo illam ab ideis Divinis: Aristoteles eam ponit in conceptu abstracto naturæ, desumendo illam ab ipsis rebus, à quibus per sensus incipit cognitio nostra: sed verosimilius est veritatem invariabilem summi ab ideis, ubi est; quàm à rebus creatis in se ipsis, ubi non est; vel si est, existit identificata cum singulari defectibili, quod est imperceptibile: ergo sententia Platonis est verosimilior.

Explicatur Juxta Aristotelem scientia nostra causatur à rebus, quia est per species, quas à rebus accipimus per sensus: ergo si species nostræ habent veritatem æternam in nostro intellectu, illa desumpta est juxta Aristotelem à rebus ipsis, unde extracta, vel abstracta est. Nunc sic. Vel ergo in rebus ipsis ante abstractionem est veritas æterna, vel non est? Si non est. Quomodo inde sumitur? Nemo enim dat quod non habet. Si est in rebus. Ad quid deservit abstractio, & ponere res abstractas intra intellectum, si extra contractæ habent veritatem invariabilem?

19. Dices forsan. Res extra intellectum habent veritatem æternam in suis prædicatis essentialibus; sed quia ista prædicata identificantur cum singularitate defectibili; idè est necessaria abstractio intellectus, qua separaret æterna veritas à contingenti. Bene: sed ecce rem intelligibilem, & mysterium Aristotelicum. Ponis in re extra veritatem æternam secundæ substantiæ, identificatam realiter cum substantia prima singulari, quæ est defectibilis: atqui quod realiter identificatur cum defectibili, & temporali, non est realiter æternum, & indefectibile: ergo in rebus extra non est realiter

veritas æterna, & indefectibilis. Ergo nec in rebus abstractis est veritas æterna, quæ sit à rebus extrâ desumpta. Unde ergo desumitur veritas æterna naturæ abstractæ? non à rebus extrâ, ut probatum est. Non ab intellectu nostro, qui etiam est defectibilis, aut saltem intelligit per actionem plenè defectibilem. Unde ergo? Nisi venias ad principium Platonicum, non inuenies principium, unde sumas veritatem æternam.

Urgetur amplius. Esse quod habent res creatæ intra intellectum, est desumptum ab esse quod res habent extra intellectum: ergo esse invariabile, & æternum, quod res habent intra intellectum nostrum, ut sic de eo sit scientia invariabilis, sumendum est ab esse quod res habent extra intellectum nostrum. Plato dicit hoc esse invariabile sumi ab illo esse, quod creaturæ habent in Divinis ideis, ubi sunt invariabiliter, & indefectibiliter: Aristoteles dicit esse invariabile rerum in intellectu nostro sumi ab ipsis rebus in se existentibus, ubi variabiliter, & defectibiliter existunt. Ergo nisi velimus in meridie cæcutire, sententia Platonis vera, & clara est; sententia Aristotelis, si non sit falsa, est difficilis, & obscura.

20. Sit tertia ratio pro

Platone. Illa sententia præponenda est, quæ certius impugnat errorem antiquorum negantium scientias de rebus: sed talis est sententia Platonica: ergo præponenda est. Major patet, nam ad id Aristoteles excogitavit universalia abstracta, & Plato suas ideas; ut scilicet unusquisque poneret veritatem rerum creaturarum perpetuam, & indefectibilem, ut de ea essent scientiæ, quæ solum sunt de perpetuis. Minor probatur. Quod creaturæ in Divinis ideis habeant esse indefectibile, est de fide, ut ostendit P. Augustinus quæst. 46. laudata; & supra illud Ioannis 1. *Quod factum est, in ipso vita erat.* Quare arca (hoc exemplo utitur Augustinus) in se existens, vita non est; sed in ideis, & arte Dei vita est. Unde licet in se non habeat esse indefectibile, in ideis autem Divinis habet esse indefectibile. Ergo cum ab ideis Divinis deriventur species nostræ, in nostris speciebus res creatæ habeat esse indefectibile. Hoc videtur certum, & ex certis principiis.

At non sic de sententia Aristotelis, qui ponit res certas intra intellectum nostrum, derivando certitudinem, vel à rebus in se ipsis, vel ab intellectu abstrahente res de singularibus. Utrumque est incertum, & rationabiliter negabile, non so-

solum ab antiquis Philosophis negantibus scientias, sed à quocumque nostri temporis Philosopho. Quia cum res in se sint defectibiles, ab eis non potest sumi veritas perpetua. Intellectus autem abstrahens non dat veritatem objecto, sed supponit, vel quærit in illo; quare abstractio non est actio factiva, & practica, sed speculativa, & contemplativa. Item intellectus ipse, vel actiones ejus sunt de numero singularium, & defectibilium: ergo non habent in se veritatem perpetuam, quam tribuant objectis.

21. Confirmatur: Sententia Aristotelica, ut assignet sua universalia, pendet à præcisionibus objectivis, ut videbimus infra, & concedunt, immò propugnant omnes Thomistæ, qui per solam præcisionem objectivam inveniunt in natura unitatem, qua sit *una in multis*. Sententia Platonis ab hac præcisione non pendet, quia in Deo, & Angelis agnoscit scientiam de rebus; cum tamen nec Deus, nec Angeli præcendant objectivè, quare ab hac præcisione non pendet juxta Platonem certitudo objecti scientiarum. Atqui recursus ad præcisionem objectivam, est recursus ad principium dubium, quod nostris temporibus negatur à DD. Societatis, & quam pluribus alijs, ut videbimus: er-

go sententia Aristot. non est ita certa, nec ita convincens errorem negantium scientias, ac est sententia Platonis.

Confirmatur secundo. Illa sententia certius probat scientias in nobis de rebus creatis, quæ probat illam ex principio uniformi ad scientiam Dei innegabilem: talis est sententia Platonis, secus Aristotelica: ergo sententia Platonis certior est. Probatur min. Sententia Platonis probat scientiam in nobis de rebus, quia res habent esse invariabile in nostris speciebus, derivatum ab ideis Divinis; sententia Aristotelis probat in nobis scientias, quia res in intellectu nostro abstractæ, habent esse invariabile, & perpetuum. Sed hoc principium Aristotelicum non probat de Deo, & Angelis, qui non abstrahunt; & est incertum, ut supra tactum est. Principium autem Platonis de esse invariabili creaturarum in ideis, est solidum, fide certum, & probans in Deo scientiam certam creaturarum; quare est principium uniforme ad scientiam nostram, Anglicam, & Divinam invariabilem: ergo &c.

22. Sit quarta ratio pro Platone. Illa sententia præferenda est, quæ se sola est vera, & illa postponenda, quæ non est vera nisi reducat ad aliam veram. Sed sententia Platonis

se sola est vera; sententia vero Aristotelis vera non est, nisi reducat ad Platoniam: ergo sententia Platonis præponi debet. Probatur min. quoad primam partem: sententia Platonis, ut sit vera solum pendet ex his duobus principiis, primum est, *Creaturae in Divinis ideis habent esse invariabile*, Secundum est, *Esse invariabile creaturarum in speciebus impressis nostris, & Angelicis, derivatur à Divinis ideis*. At nullum ex his principiis pendet à sententia Aristotelica de universalibus: nam primum est Theologicum, & secundum Theologicè illatum. Ergo sententia Platonis se sola est vera.

Quoad secundam partem probatur min. Sententia Aristotelis pendet ex hoc principio, *Res in se existentes, sunt defectibiles; sed abstractæ per intellectum, sunt indefectibiles*. Sed hoc principium in se non est verum, nisi reducat ad principia Platonica: ergo sententia Aristot. non est vera, nisi reducat ad Platoniam. Probatur min. Res abstractæ nequeunt esse indefectibiles, nisi hoc esse derivetur à Divinis ideis: at hoc est recurrere ad secundum principium Platonium: ergo. Probatur maj. ex dictis n. 18. & 19. ubi probatum est, quod esse indefectibile rei

abstractæ, non potest desumi ab intellectu abstrahente; nec insuper à rebus in re extrà existentibus: sed non restat aliud principium, unde desumatur, nisi à Divinis ideis: ergo res abstractæ &c.

23. Dices. Sententia Platonis pendet ex hoc etiam principio, scilicet, quod *Species nostræ sunt infusæ, sicut Angelicæ, & derivatæ à Divinis ideis*. Sed hoc principium est dubium, immò apud plures DD. est falsum, quia species nostræ non sunt infusæ, sed acquisitæ per sensus; & ideò scientia nostra causatur à rebus, & cognitio nostra incipit à sensibus: ergo sententia Platonis dubia, & forsitan falsa est, & sic non præponenda Aristotelicæ.

Sed contra, nam major est falsa. Licet enim Plato putaverit species nostras esse congenitas menti, & hoc sit probabile, ut vidimus num. 10. At etiam hoc negato, subsistit veritas sententiæ Platonis circa scientias de rebus: ergo non pendet sententia ejus ex isto principio, sed ex duobus à nobis assignatis. Probatur antecedens, licet species nostræ sint acquisitæ per sensus, & generatæ nostris actibus, stat quod sint participationes à Divinis ideis: sed in hac participatione consistit veritas indefectibilis nostræ scientiæ, ut probatum est

est: ergo &c. Probatur maj. Licet Abel non sit factus per creationem, ut Adamus, sed via generationis, uterque tamen habuit esse derivatum, & participatum à Divinis ideis: ergo licet ponamus in Angelis species concreatas, & in nobis acquisitas, esse rerum creaturarum in utrisque speciebus esse derivatum ab esse indefectibili rerum in Divinis ideis.

24. Dices iterum: hoc exemplum esse contra nos, & Platonicos. Nam licet esse creaturarum in se ipsius sit derivatum à Divinis ideis, est esse defectibile: ergo licet esse rerum in intellectu nostro sit derivatum à Divinis ideis, non erit indefectibile. Quare falsificatur secundum ex principiis à nobis designatis pro Platonis sententia.

Sed contra: Nam licet antecedens sit verum, consequens est falsum, ob manifestam disparitatem. Creaturae in ideis habent duplex esse, unum objectivum, alterum subjectivum. Esse subjectivum est illud quod in tempore habent in se dum producantur. Hoc esse subjectivum non est in ideis subjectivè, sed repræsentativè, quia ab æterno idea repræsentat illud esse subjectivum, quod creatura habitura est in tempore, vel potest habere. Hoc esse subjectivum indefectibiliter re-

præsentatur, quia repræsentatio ejus est indefectibilis; sed non repræsentatur ut indefectibile; quia alioquin idea falsò repræsentaret, si ostenderet ut indefectibile, quod indefectibile non est. Ergo cum hoc esse subjectivum in ideis repræsentetur, ut defectibile, inde est, quod creatura participans hoc esse subjectivum, sit subjectivè defectibilis, & existens defectibiliter.

Species nostræ & Angelicæ participant ab ideis non esse subjectivum; sed esse objectivum, quod creaturae habent in Divinis ideis. Hoc esse objectivum creaturarum in ideis indefectibile est. Quia consistit in veritate objectiva prædicatorum essentialium, & objectiva connexionem eorum cum suis proprietatibus. Quæ omnia ab æterno sunt vera, veritate indistincta à veritate Divinæ essentiae, ut diximus in 2. parte nostræ Dialecticæ quæst. 5. ex D. Thoma, & nostro Agidio: & hinc salvant Beati Doctores isti, quod ab æterno non sunt plures veritates æternæ, sed unica; quia ab æterno omnia sunt vera veritate Divinæ essentiae. Sed de his satis, & de defensione Platonis.

25. Ex dictis colliges pro solutione tituli apposti in dubio, quod dantur universalia

tia in essendo ab inferioribus realiter separata; & ista sunt solum in Divinis ideis juxta sententiam Platonis. Colliges secundò quòd in speciebus Angelicis & nostris dantur etiam universalia juxta Platonem; ceterùm species nostræ & Angelicæ non sunt universales in essendo, sed in representando; quia res creatæ non participant suum esse à nostris speciebus, sicut participant ab ideis; quare licet ideæ sint universales simul in essendo, & representando, at nostræ species & Angelicæ solum sunt universales in representando.

Colliges tandem, quòd universale Aristotelicum est universale in essendo, & representando, quia consistit in natura abstracta per intellectum;

abstractio illa est actio factiva universalis, & format conceptum objectivum, representantem naturam abstractam. Conceptus iste objectivus est universalis in representando. Natura abstracta representata, est universalis in essendo. Ceterùm non est universale hoc separatum realiter à singularibus, ut Platonium; sed separatum per conceptus nostros, & ut alij dicunt per rationem. De isto erit totus labor in sequentibus pro merito obsequio Aristoteli præstito; nam sequentes vestigia Platonis jam ex hîc dictis ferè absolutam habent difficultatem. Quanta restet pro sententia Aristotelis, videbis ad nauseam usque in sequentibus. Sit ergo.

rebus, ut ibi probatum est; quare jam sumus intra choram Philosophorum realium contra Nominales. Actum est etiam quæst. 2. de universali Platónico, quòd est universale in essendo realiter separatum à singularibus rebus. Et quoniam communis sententia Peripateticorum trahit nos vel invito in sua castra, ut nostrum tale quale suffragium demus circa universale Aristotelicum, ideò præsentem quæstionem institui-mus cum communi sententia.

Pro ea supponimus ex dictis quæst. 1. quòd dantur universalia in rebus. Supponimus ex dictis quæst. 2. pro placito Aristotelico, quòd in rebus non dantur universalia, realiter separata à singularibus. Restat ergo quòd dentur in rebus universalia realiter inclusa in singularibus. Patet consequentia, quia si dantur in rebus: ergo vel separata; vel non separata. Probatum est quæst. 2. cum Aristet quòd non dantur separata à singularibus: ergo sunt inclusa realiter in illis. Putabis forsan dissolutum dubium: expecta parum, videbis multas, & ferè insolubiles surgere, & apparere difficultates.


2. Prima est, an hæc universalia identificentur cum singularibus, in quibus sunt inclusa? Negant Nostri Burlæus,

Venetus, & ex alijs Caramuël. Isti conveniunt in eo quòd natura humana universalis inclusa in Petro, Paulo, & alijs, est realiter distincta ab eis. Disconveniunt, quia nostri Doctores dicunt naturam humanam, sic distinctam, esse realiter unam in omnibus. Ceterùm Caramuël dicit naturam humanam realiter distingui à singularibus, sed in illis multiplicari. Sed in quolibet individuo dantur duas humanitates realiter distinctas, aut duas formas reales, unam, quam dicunt formam totius, & alteram, quam vocant formam partis.

Scotistæ cum suo Subtili Doctore docent, quòd natura universalis, inclusa in rebus singularibus, non est realiter entitativè distincta ab illis, sed realiter formaliter ex-natura reie; quare universalia in rebus identificantur entitativè, sed non realiter formaliter. Ex quo inferunt, quæ videbis in alijs difficultatibus.

Thomistæ, & alij ejusdem sententiæ docent, quòd universalis inclusa in rebus, sunt realiter entitativè & formaliter identificata cum singularibus. Ex quo inferunt pro alijs difficultatibus quòd dicemus de mente illorum.

3. Secunda difficultas est: cum universale sit unum in multis: quam unitatem habent



QUÆSTIO TERTIA.

Quomodo dentur in rebus universalia?

§. I.

Quædam supponuntur, & ratio dubitandi proponitur.

1. VIDIMUS quæstione prima hujus libri contra Nominales, & aliquos RR. Societatis, quòd dantur universalia non solum in

representando, sed etiam in essendo; quare dantur non solum in vocibus, & actibus intellectus representantibus res creatas; sed etiam dantur in ipsis re-

cent à parte rei universalis in rebus inclusa? Pater Fonseca distinguens cum Thomistis tres status naturæ, scilicet status *solitudinis*, quo consideratur natura ante singularia; status *contractionis*, quo consideratur natura in rebus singularibus; & status *abstractionis*, quo natura concipitur abstracta: dicit, quòd in statu solitudinis habet natura unitatem formalem positivam; secus in statu contractionis.

Scotistæ præcipuè antiqui cum suo Doct. docent, quòd natura in statu contractionis habet unitatem formalem positivam. Hoc explicant dupliciter. Aliqui putantes naturam humanam esse in omnibus realiter formaliter unam. Alij, licèt multiplicatas naturas concedant, dicunt tamen quòd natura Pauli v. g. est indifferens, & potuit esse natura Petri, si cum Petreitate poneretur.

Thomistæ docent, quòd in statu solitudinis habet natura unitatem formalem negativam. Ceterum in statu contractionis nulla datur unitas formalis positiva, aut negativa; quare requiritur abstractio intellectus, ut natura in statu abstractionis sit una positivè, & universalis.

4. Tertia difficultas est: cum hæc unitas varia ponatur, ut vidimus, à diversis Scholis, & sententijs; an hæc unitas sit

realis, vel rationis? Pater Fonseca, & Scotistæ dant unitatè realem formalem positivam. Ceterum Thomistæ licèt in statu solitudinis dent unitatem realem negativam; at formalem unitatem, quam dant in statu abstractionis, dicunt non esse realem, sed rationis.

5. Quarta difficultas: Cum universale non solum sit *unum*, sed etiam sit *aptum esse in multis*, quæritur de ista aptitudine, an sit realis, vel rationis? De hoc disputat expressè Eximus Suarez; & resolvit, quòd talis est aptitudo, qualis unitas formalis positiva. Sed Scotistæ ponunt unitatem formalem positivam realem, Thomistæ solam unitatem rationis: ergo Scotistæ dicent talem aptitudinem esse realem, Thomistæ verò esse aptitudinem rationis.

6. Quinta difficultas est; an universale abstractum ab intellectu fiat per præcisionem objectivam, an per formalem? Thomistæ mordicus defendunt præcisiones objectivas: è contra RR. Societatis solas admittunt præcisiones formales. Istà difficultatem de præcisionibus gravissimam; & alias, ut sunt de distinctione graduum metaphysicorum; & de actu quo fit universale ab intellectu. Remittimus seorsim disputandas. In hac verò quæstione erit decisio a-

lia-

liarum, quæ tetigimus usque ad numerum quintum. Nec timeas tot simul aggredi difficultates, etenim singulas sententias diversis §§. expendemus, & nostram in fine cum P. Augustino, D. Thoma, & B. Ægidio, dilucidè proponemus. Sit ergo.

§. II.

Expenditur singularis sententia Veneti, Burlæi, & Caramuëlis.

7. **E**XPLICATA est num. 2. sententia nostri Veneti, Burlæi, & Caramuëlis; & ut clariùs procedamus, audiendus est primò Caramuël, qui in *Metaphysica* lib. 4. disp. 3. sect. 1. art. 7. docet, quòd natura humana universalis inclusa in Petro, Paulo, & alijs, realiter distinguitur à Petreitate, Pauleitate, & differentijs individualibus. Quare licèt natura multiplicetur in individujs, & sit singularis in eis: at secundum se est una specificè natura, & ex se indifferens, ut recipiat diversas hæcèitates, & singularitates. Hæc sententia solum discrepat ab alijs, de quibus infra, in eo quòd ponat naturam realiter distinctam à singularitate in Petro, & alijs individujs. Quoad reli-

quæ nil speciale dicit.

Pro distinctione ista reali naturæ à singularitate, nullum fundamentum vidimus; probari tamen potest, quia singularitas aliquid reale addit supra naturam specificam: sed hoc reale additum distinguitur ab eo, cui fit additio: ergo natura realiter distinguitur à singularitate. Min. patet, quia nemo sibi potest se ipsum addere. Major probatur. Homo, vel natura ex se est divisibilis, & multiplicabilis; Petrus, vel res singularis non est multiplicabilis, nec divisibilis; *Individuum enim, est idem ac non dividuum, vel non divisibile.* Sed natura realiter divisibilis, nequit reddi realiter indivisibilis sine aliquo realiter addito: ergo singularitas aliquid realiter addit supra naturam.

Confirmatur ex P. Augustino lib. 7. de Trinit. cap. 6. ubi ait: *Non sicut homo dividitur in Abraham, Isaac, & Jacob; ita unus homo & in aliquos singulos homines subdividi potest: omnino enim non potest, quia unus homo jam singulus homo est.* Ecce homo est realiter divisibilis in plures homines; singulus homo, vel homo singularis, vel homo unus, non est realiter divisibilis: ergo quia singularitas aliquid reale addit naturæ, quo tollit ejus realem divisibilitatè.

Pa-

Patet consequentia, quia nisi quid reale addideris naturæ, manebit natura realiter, ut erat antea: sed antea erat realiter divisibilis: ergo ne sic maneat in Petro, debet Petreitas addere aliquid reale naturæ. Hoc additum reale, est realiter distinctum, ut supra probatum est.

8. Contraria sententia est omnium Philosophorum, ut ostendit Suarez disp. 5. Metaphysicæ sect. 5. ubi agit contra Henricum, qui aliquando in contrarium inclinavit. Impugnatur sententia Caramuellis sic. Vel hæc prædicatio *Petrus est homo*, est essentialis, vel non est essentialis? Si primum: ergo homo dicens naturam, non distinguitur realiter à Petreitate, vel singularitate Petri. Patet hæc consequentia, quia nemo distinguitur realiter ab eo, quod est de ejus essentia; quidquid autem essentialiter prædicatur, est de essentia subjecti, de quo prædicatur. Si secundum: ergo non datur natura humana universalis in singularibus, cujus contrarium intendit Caramuël. Probatur hæc consequentia. Si datur natura humana universalis in singularibus, datur ut species: sed species, ut videbimus lib. seq. est id *Quod prædicatur de pluribus differentiibus numero in eo quod quid; hoc est essentialiter: ergo si prædi-*

catio illa non est essentialis *Petrus est homo*, non datur natura humana universalis in singularibus.

Confirmatur. Nihil realiter distinguitur à sua essentia: sed natura existens in Petro est essentia Petri: ergo Petrus nõ dicit singularitatem realiter distinctam à natura. Major patet lumine naturæ. Minor probatur. Natura existens in Petro est quidditas ejus; quidditas est idè ac essentia. Rursus natura existens in Petro est natura Petri: ergo est essentia Petri. Patet consequentia, quia essentia, & natura sunt unum & idem realiter, & solum penes munerum distinguntur, quatenus eadem entitas, ut dicit ordinem ad existentiam, est essentia; ut autem dicit ordinem ad operationem est natura: ergo si natura in Petro est natura Petri, erit essentia Petri.

9. Dices cum Caramuële: quòd argumentum nostrum nil probat: nam illa prædicatio *Petrus est homo*, est essentialis. quia exponitur sic: *Subiectum habens humanitatem contractam Petreitate, est subiectum habens humanitatem.* Hoc modo exposita est essentialis, quia subiectum humanitatis, & subiectum humanitatis contractæ est idem. Sed nõ sequitur quòd Petreitas, & humanitas sint idem, & hoc de-

debat probari, quia hoc est quod ab eo negatur.

Nec confirmatio urget, quia instatur sic. Nihil adhuc virtualiter distinguitur à sua essentia: sed juxta communem sententiam singularitas Petri distinguitur virtualiter à natura, & essentia hominis: ergo sicut communis sententia tenet distinctionem virtuales, quin obstat hoc argumentum, nec obstat contra defendentes distinctionem realem naturæ à singularitate.

Sed contra primum adest, quòd expositio illa Caramuellis evertit communem Dialecticam, & Philosophiam. Omnes enim docent, quòd hæc prædicatio *Petrus est homo*, est essentialis; & hæc identica *Homo est homo*; & hæc accidentalis *Petrus est albus*. Sed posita expositione Caramuellis omnes istæ erunt essentialis: ergo expositio illa admittenda non est. Probatur min. exponendo ad ad sensum Caramuellis eas propositiones *Homo est homo*, idest *subiectum habens humanitatem, est subiectum habens humanitatem.* Item ista *Petrus est albus* exponitur sic: *Subiectum habens humanitatem contractam Petreitate, est subiectum habens albedinem.* Ecce in omnibus æqualiter prædicatur *subiectum de subiecto*: ergo in omnibus prædicatur idem de

eodem: ergo omnes erunt idènticæ, nulla formalis; nulla itè accidentalis, quod est contra omnium Dialecticam.

Nec instantia facta tenet, quia confirmatio nostra excludit distinctionem realem, sed non virtuales. Ratio est, quia hoc principiū *Nihil distinguitur adhuc virtualiter à sua essentia.* Est verum quando essentia est adæquata, v.g. *Animal rationale respectu hominis*, quia nil amplius dicit *homo*, quàm *animal rationale*. Ceterum *animal rationale* non est essentia adæquata respectu *Petri*, quia *Petrus* aliquid aliud dicit supra esse hominem, est enim *hic homo*, vel singularis homo; & singularitas quid additum est. Ceterum cum hoc additum non sit realiter distinctum à natura humana; ideò *Petrus* non distinguitur realiter ab essentia hominis, distinguitur tamen virtualiter.

10. Hinc facillè solvuntur, quæ num. 7. posita sunt pro sententia Caramuellis. Ad primum concessa majori, disting. min. hoc reale additum distinguitur ab eo, cui fit additio, distinguitur realiter, nego min. distinguitur virtualiter, cōcedo min. & nego consequentiam. Ut enim videre poteris in Suario disp. 4. Metaphysicæ, communis sententia concedit quòd singularitas est quid reale,

& additum naturæ, tum propter rationem factam, tum propter alias, à quibus nunc superledemus. At hoc additum reale, non additur *realiter*, nec *realiter* distinguitur à natura, cui additur. Ratio est, quia ab eodem principio *realiter* eodem, sumitur *ens*, & *unum*; quare quod dat Petro esse *ens*, dat ei esse *unum*, singulare, & indivisum. Cùmque forma dās esse, non sit *realiter* distincta à forma dante esse *Vnum*, & *singulare*; idèò singularitas nō distinguitur *realiter* à natura, nec additur *realiter*, sed solum virtualiter, etsi sit quid reale, & additum.

Ad confirmationem, quæ non addit novam difficultatem, sed præcedentem plus explicat, respondemus eadem solutione plus explicata. Dicit S.P. Augustinus, quòd est divisibilis in illos tres nominatos, sed singulus, vel singularis homo, non est divisibilis. Totum concedimus, sed inde suadetur solum, quòd singularitas contrahens naturam, addit aliquid, quo reddit naturam *realiter* indivisibilem. Hoc additum est reale, sed non additur *realiter*, nec *realiter* distinguitur ab eo, cui fit additio.

11. Expedito jam Grammaticale, restat agere de singularissima sententia nostri Veneti, & Burlæi. Docent isti

DD. ingeniosissimi, quòd in quolibet individuo est duplex forma substantialis. Una, quam vocant formam totius; & hæc est una in omnibus individuis, una quidem *realiter* & indivisibiliter sine reali multiplicatione. Altera est forma, quã dicunt formam partis; & hæc multiplicatur in individuis. Quæ propter in Petro, & Paulo v.g. est duplex forma partis, quia quilibet habet suam animam rationalem distinctam ab anima alterius. Ceterum quilibet ultra istam formam substantialem partis, habet alteram formam totius; quæ forma est *realiter* distincta à forma partis. Item formæ illa totius non est multiplex, sed unica & *realiter* indivisibilis in omnibus.

Hanc formam totius naturæ humanæ v.g. explicant exemplo animæ rationalis, quæ est tota in corpore, & tota in qualibet parte corporis. Et licet aliqua pars corporis denuò generetur aut corrumpatur; ipsa tamen anima rationalis nec generatur nec corrumpitur, sed retrahitur, vel extenditur: generata nova parte corporis, ad illam extenditur anima: & corrupta parte corporis, retrahitur anima ad alias incorruptas. Hoc modo individua humana continuo oriuntur, & intereunt; ipsa tamen forma totius naturæ, non oritur, nec interit; non

non generatur, nec corrumpitur; sed generato novo individuo, ad illud informandum extenditur; & corrupto aliquo individuo, cessat esse in illo forma totius, & retrahitur ad alia existentia.

Hinc inferunt, quòd natura humana est universalis in essendo, quia est una *realiter*, & in multis. Nec natura illa per se exillit, nec per se generatur, corrumpitur, movetur, aut operatur. Omnia enim ista conveniunt naturæ non per se, sed ratione individuum. Et quidem quidquid sit de veritate hujus asserti, sententia ipsa ingeniosa est, & nulla magis explicat universale in essendo, quod de mente Aristotelis inquirimus in rebus.

12. Sententia sic proposita multis probatur, & primo, quòd Petrus per distinctam formam sit homo, & sit talis homo. Effectus particularis dependet à causa particulari, & effectus universalis à causa universali: ergo effectus particularis, quo Petrus constituitur Petrus, provenit à forma substantiali particulari, & effectus formalis, quo constituitur homo, provenit à forma universali. Quare in Petro ponenda est forma duplex, una universalis, qua sit homo, altera particularis, qua sit Petrus.

Confirmatur. Illæ formæ

sunt *realiter* distinctæ in Petro, ratione quarum eidem Petro conveniunt distincta *realiter* prædicata: sed tales sunt forma, qua est homo, & forma, qua est Petrus: ergo sunt formæ *realiter* distinctæ. Probatur min. Petro convenit esse risibilem, & posse currere, vel actu currere; quare est vera hæc *Petrus est risibilis*, & etiam ista aliquando *Petrus currit*. Sed prima convenit Petro ratione formæ, qua est homo, valet enim, *Idèò Petrus est risibilis; quia est homo*. Secunda non convenit Petro ratione formæ, qua est homo: ergo convenit ratione formæ distinctæ, qua constituitur Petrus. Probatur hæc minor, quia si conveniret Petro currere ratione formæ, qua est homo, valeret dicere, *Idèò currit, quia est homo*, quod est falsum; alioquin omnis homo curreret, sicut omnis homo est risibilis. Secundo, quia in hoc distinguuntur denominationes convenientes Petro, ut est homo, ab eis, quæ illi conveniunt, ut est Petrus, quòd istæ sunt accidens quintum prædicabile; illæ verò sunt quartum prædicabile, vel passio naturæ.

Confirmatur secundo: De eadem forma *realiter* una non possunt verificari contradictoria. Hoc veluti dogma philosophicum proponit Aristoteles

4. Metaphysicæ textu 7. & fundatur in illo principio per se noto, *Quodlibet est, vel non est.* Quare sicut impossibile est rem simul esse, & non esse; ita est impossibile rem simul esse universalem, & non esse universalem. Sed forma qua Petrus constituitur homo, est universalis: forma qua constituitur in esse Petri, & singularis, non est universalis: ergo non est eadem forma qua constituitur Petrus homo, & qua constituitur Petrus. Hoc ipsum multis confirmant, de quibus redibit sermo agendo de distinctione inter gradus metaphysicos.

Jam verò quòd forma totius, qua Petrus constituitur homo, sit una realiter indivisibilis in Petro, Paulo, & alijs: probatur. Nam ratio substantiæ juxta Aristot. non dividitur, nisi per differentias essentielles: sed Petreitas, & Pauléitas, non sunt differentiæ essentielles naturæ humanæ, sed materiales, & à quibus objectivè præscindit: ergo in Petro, & Paulo non potest dividi natura humana; & consequenter est in utroque una realiter, & indivisibilis.

13. Hæc sententia in hoc ultimo, quod asserit, scilicet naturam humanam esse indivisibilem in Petro, & Paulo, est expressa contra P. Au-

gust. 7. de Trinit. cap. 6. cuius verba dedimus pro Caramuele num. 7. in fine. Ibi S. Doct. docet quòd homo est divisibilis in Abraham, Isaac, & Jacob; sed *hic homo*, qui est homo singularis, non est divisibilis. Et in quantum ponit in Petro duas formas realiter distinctas impugnatur sicut sententia Caramuelis num. 8.

Ultra hæc, continet sententia ista plura difficilia, quæ tantum insinuabimus, quia non est hujus loci ea expendere prolixius. Primum difficile est ponere in Petro, & in quolibet composito particulari, duas formas substantiales. Hoc est contra D. Thomam, & meliorem Philosophiam, de quo egit N. B. Doctor Ægidius insigni tractatu de Gradibus formarum, ubi solvit motiva Scotistarum ponentium in viventibus ultra formam vitalem, alteram quæ dicunt formam corporeitatis. De hoc erit sermo lib. 1. Physicorum. At sententia nostri Veneti, & Burlæi non solum in viventibus, sed in lapidibus, & inanimatis ponit duas formas, quod est præter communem Philosophiam. Rursus Scotistæ non docent, quòd forma corporeitatis sit una in omnibus viventibus, sed plures, quot viventes. At sententia hæc ponit formam totius esse unam realiter in multis. Tandem forma

ma corporeitatis Scotistica, est forma potentialis, & veluti generica. Forma verò hujus sententiæ est forma totius, specificæ, & actualis. Unde non potest probari fundamentis Scotistarum.

Secundum difficile est, quòd in Christo Domino erit hæc forma totius unita physice Divinitati: ergo cum in nobis sit eadem forma totius realiter & indivisibiliter, immò & in damnatis: jam in damnatis, & in nobis peccatoribus erit aliquid substantiale physice unitum Divinitati. Quare in his propositionibus *Petrus est homo. Christus est homo* eadem realis forma & indivisibilis prædicatur de utroque, & est realiter in utroque. Sed *ly homo* prædicatum de Christo est *homo Deus*, quia est homo physice unitus Divinitati: ergo dum de nobis prædicatur, affirmatur *Homo Deus*, quod non est possibile, nec perceptibile. Omitimus alia argumeta Theologica.

14. Tertium difficile est: quòd in hac sententia non salvatur, quòd Deus possit annihilare solum Petrum, manentibus alijs hominibus. Sequela est clara. Quia annihilatio est destructio omnium, quæ sunt in Petro ad differentiam corruptionis; quæ non est destructio omnium, quæ sunt in subjecto; quare dum Petrus corrumpi-

tur, deficit unio, sed manent corpus, & anima separata. Corrupto equo, pereunt anima, & unio, sed manet materia: & idem de alijs, nam materia semper manet. In annihilatione totum perit. Quare solus Deus, qui potest creare, solus potest annihilare; agentia verò naturalia possunt generare, & corrumpere. Sed destructo à Deo Petro, non destruerentur omnia, quæ in eo sunt, quia forma totius naturæ humanæ maneret in Paulo, & alijs: ergo nequit Deus annihilare Petrum, nisi annihilaret totam naturam humanam, & omnia individua ejus. Hoc difficile est.

Ultra insinuata, quæ difficilia sunt, adhuc sententia ista non habet intentum. Nam ponit hanc formam totius, ut sit universalis. Sed talis forma, ut sic posita non est universalis, sed singularis: ergo non habet intentum. Probatur minor. Forma quæ est individua, est singularis, ut patet: sed forma illa, ut ponitur ab his DD. est individua: ergo singularis. Probatur minor. *Individuum est idem ac non dividuum*, vel non divisibile in plures tales; ideò enim juxta P. Augustinum num. 7. allegatum *unus homo* non potest dividi in alios, quia est *singulus homo*, vel *homo singularis*; sed forma totius ponitur ab his DD. indivisibilis, & existens:

ergo est singularis, & non universalis. Quare ut bene probat Suárez disp. 5. Metaphysicæ sect. 1. num. 5. illa forma totius in Petro, & Paulo existens, esset tertius homo singularis, distinctus ab utroque, non autem esset natura utrique communis, & universalis.

15. Ad fundamenta huius sententiæ respondemus, & primò ad exemplum animæ rationalis dicimus non probare propter disparitatem, quæ datur inter compositum physicum, & compositum metaphysicum. Hæc enim est mala prædicatio: *Homo est materia, & hæc, homo est anima rationalis*, quia pars physica non potest prædicari de toto physico, nec è contra. Ceterùm hæc est vera, & bona prædicatio, *Homo est animal; & hæc homo est rationalis*, quia de toto metaphysico potest prædicari pars metaphysica. Et ratio huius est, quia pars metaphysica est totum physicum, secus pars physica. Materia dicit solam materiam; sed animal dicit materiam, & formam sensibilem. Quo fit ut ab eadem anima secundum alios, & alios gradus substantiæ, viventis, sensibilis &c. præsentur materiæ illa prædicata metaphysica. Quare ab anima rationali Petri datur Petro esse hominem, & esse talem hominem. Audi P. Augustin. serm.

51. de verbis Domini, cap. 2. dicentem: *Homo hominem generat. Cujus substantiæ est pater, qui generat: ipsius substantiæ est filius qui generatur. Quid est ipsius substantiæ? Respondent nostri DD. juxta hanc suam sententiam, quod substantia patris, & filij est natura humana realiter una, indivisibilis, & utrique communis. Sed Augustinus non respondet sic, sed ita: *Homo est ille, homo & ille. Animam habet ille, animam iste. Carnem habet ille, carnem iste.* En uterque homo, quia uterque habet carnem, & animam: sed non habent eandem animam, & eandem carnem, sed realiter distinctam: ergo non sunt homo per eandem formam, sed per duplicem realiter inter se distinctam.*

Hinc fit, quod si partes corporis per diversas animas in-formarentur, sicut Petrus, & Paulus per diversas animas sunt homo; fieret quod corrupta una parte corporis, non retraheretur ad alias anima partis corruptæ, sed plenè deficeret. Ergo cum juxta P. August. & veritatem Petrus, & Paulus sint homo per animam, non per unam, sed per diversas; idè dum deficit Petrus, deficit natura humana, quæ est in Petros; nec retrahitur ad Paulum, ubi non est humanitas Petri, nec po-

potest esse, sicut in eo nec est, nec potest esse anima Petri.

16. Ad primum fundamentum sententiæ contrariæ positum num. 12. respondemus concessio antecedenti, disting. consequens; ita ut sit duplex forma realiter distincta, nego consequentiam, ita ut sit una forma realiter, & duæ virtualiter, concedo consequentiã. Petrus habet quod sit *Substantia, corpus, vivens, sensibile, rationale, & hic homo*, idest Petrus. Ista prædicata vocantur gradus metaphysici, quia sunt omnes veluti scala quædam, per quam intellectus à *Petreitate* ascendit usque ad *substantiam* quæ est supremum prædicatum; & vice versa à *substantia* descendit per gradus usque ad *infimum*, qui est *Petreitas, singularitas*, vel *hic homo*. Omnes gradus isti præstantur ab anima rationali, quia hæc anima substantia est, unde facit Petrum esse substantiam. Anima licet spiritualis, continet eminenter gradum corporeitatis; & illum dat Petro faciendo eum corporeum. Anima est principium vitæ; en dat Petro esse viventem. Anima est principium sentiendi; hoc dat Petro, & fit sensibilis. Est anima principium discurrendi; hoc tribuit Petro, & redditur rationalis, vel homo. Anima tandem est hæc anima, & singu-

laris reddit Petrum singularem, & hunc hominem.

Cum ergo omnes isti gradus præsentur ab eadem realiter anima, nec pro illis necessaria est duplex forma realiter distincta; nec gradus præstiti distinguuntur realiter inter se, sed solum virtualiter, ut infra dicemus cum communi sententiã. Quare cum eadem anima contineat in se gradus universales, & particulares; eadem præstat effectus universales, & particulares. Ceterùm, quia anima talia, & tanta continens, est virtualiter multiplex, quia in sua virtute æquivaleret multis formis dando tantos effectus; idè ipsi effectus præstiti distinguuntur virtualiter. Et quidem ut patet, argumentum probaret etiam tot esse ponendas in Petro formas substantiales, quot sunt in eo effectus formales, & prædicata magis, vel minus universalialia. Quod est contra Philosophiam, & id abhorret natura, quia *Frustrà sicut per plura quæ fieri possunt per pauciora.*

17. Ad primam autem confirmationem respondemus, quod *actu currere non convenit Petro, quia homo est*, nec quia *talis homo est*; alioquin cum existente Petro, sit semper *talis homo*, Petro existente semper curreret, sicut eo existente, semper est risibilis.

lis. Ergo ex eo quod actu currere, non conveniat Petro, ut homo est, non sequitur, quod conveniat illi ratione formæ substantialis distinctæ. Directè respondemus, quod in talibus denominationibus, & prædicationibus involvitur sensus præcisivus, & cognitio intellectus; & inde nascitur, quod curren- te Petro, est verum *homo currit*, sed non est verum *Petrus secundum quod homo currit*; quia in hac secunda involvitur sensus formalis præcisivus, qui solum est verus, dum prædicata sunt essentialia. Et hoc est discrimen inter prædicationes convenientes Petro, ut homo est; & Petro, ut tali; quod illæ, & istæ sunt de eadem realiter forma; sed illæ veræ in sensu formali, istæ in sensu idèntico.

Ad secundam confirmationem eodem num. 12. positam, disting. maj. de eadem forma tan realiter, quàm virtualiter una, concedo maj. si forma sit una realiter, & distincta virtualiter, nego maj. nam de tali possunt verificari contradictoria, quoniam non verificantur de eodem secundum idem; sed de eodem secundum diversas virtualitates. Hæc solutio data est ab Aristot. 7. Metaph. ubi ait: *Hoc itaque principiorum omnium firmissimum est, fieri inquam non posse, ut idem simul*

insit, & non insit eidem, atque per idem. Id est secundum idè. Jam eadem est realiter forma qua Petrus constituitur *Homo, & talis homo*, sed est virtualiter diversa, ut dictum est num. 16. Quare de illa secundum diversos gradus, & virtualitates verificatur esse universalem, & non esse universalem, quod non implicat, nec est contradictorium, nisi quando applicatur eidem secundum idem. Sed de hoc, & alijs infra.

Ad ultimum ejusdem num. disting. maj. Ratio substantiæ non dividitur nisi per differentias essentielles, per se, & ratione sui; ceterum per accidens, & ratione materiæ, aut subjecti, in quo recipitur, potest dividi per differentias materiales. Solutio est nostri Ægidij quæst. 8. de cognitione Angelorum §. *Propter primum* Ubi dicit, quod si in uno leone esset tota materia leonina, non possent dari duo leones: nunc dantur duo, & plures distincti, in quibus natura dividitur, sed non dividitur per se, sed per accidens, quia dividitur ratione materiæ, non autem ratione formæ. De hoc infra latè dum nostram sententiam proponemus. Interim sufficiat distinctio, & exemplum datum.

§. III.

Expenditur sententia P. Fonseca circa unitatem positivam naturæ secundum se.

18. **P**ATER Fonseca ex Societate Jesu, Magister Molinæ, qui ante ipsum fundamenta scientiæ mediæ tradidit suis discipulis; ingeniosissimus quidem, sed totus datus Metaphysicis, & Philosophicis; hic lib. 5. Metaphysicæ cap. 28. per quinque primas quæstiones ponit specialem sententiam suam, quæ consistit in hoc. Dicit cum communi sententia, quod natura abstracta ab intellectu est universalis: sed addit, quod non solum in intellectu, sed in re à parte rei non in statu contractionis, sed in statu solitudinis, ut concipitur ante singularia, ut explicatum est num. 3. ibi habet natura unitatem realem positivam, qua est una, & indifferens ad essendum in multis. Hæc sententia est contra Thomistas, qui negant unitatem positivam in natura à parte rei. Et est contra Scotistas, quia isti ponunt unitatem positivam in statu contractionis, quam negat Fonseca ponens illam solum ante contractionem: quare sententia P. Fonseca est media inter Tho-

mistas, & Scotistas.

Probatur primò hæc sententia, quia natura humana secundum se, ut antecedit suas differentia, non est divisa: ergo est una. Patet consequentia, quia unum est *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*. Rursus, quod secundum se non est divisum, secundum se est indivisum: sed indivisum, & unum, sunt idem: ergo natura secundum se non divisa, est una. Primum autem antecedens est certum, quia natura humana solum est divisa per suas differentias, quibus contrahitur: ergo ante illas non est divisa.

Confirmatur primò: Natura secundum se est ens positivum & reale: sed ad ens positivum & reale, sequitur unitas positiva realis: ergo natura secundum se est una realiter positivè. Explicatur: Natura secundum se est ens positivum reale, ergo unum, vel plura: sed non est plura, quia per solas differentias individuales pluralificatur in statu sequenti contractionis: ergo in statu solitudinis est natura una realiter, & positivè.

Confirmatur secundò: natura secundum se dicit prædicata sua essentialia: sed unum ex prædicatis essentialibus naturæ est unitas: ergo natura secundum se dicit unitatem realem & positivam. Probatur

min. quia unitas est passio cuiuslibet entis; & ad ens positivum reale sola unitas positiva, & realis sequi potest ut passio: sed passiones entis sunt essentielles cuiuslibet naturæ non mixtus, quàm ens: ergo unum ex prædicatis &c.

Hoc confirmatur ultimò ex D. Thomæ opusc. 42. cap. 7. ubi dicitur: *Est tamen in ipsa natura absolute accepta, secundum quod non est in inferioribus considerata, quædam unitas, cum diffinitio ejus sit una, & nomen unum, ut patet.* En S. Doctor docet, quod in natura, solitariè accepta, est unitas, quæ non descendit ad inferiora: ergo quia natura secundum se habet unitatem realem, & positivam; est realis, quia datur ante operationem intellectus. Est positiva, quia est passio entis positivi.

19. Contraria sententia est communis inter DD. quia sententia P. Fonseca, ut testatur Suarius in Metaphysica disput. 6. sect. 3. est expressè contra D. Thomam lib. de ente, & essentia cap. 4. ubi ait: *Si quaeratur, utrum ista natura possit dici una vel plures, neutrum dicendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis, & utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, namquam posset esse una, cum ta-*

men una sit secundum quod est in Socrate. Similiter, si unitas esset de intellectu, & ratione ejus, tunc esset una, & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus pluralificari. En ratio, quam postea expendemus, & clara autoritas D. Thomæ, qua negat naturæ secundum se unitatem, & pluralitatem. Sed observa pro nostra sententia S. Doctorem loqui de unitate numerica, non de specifica, quia loquitur de unitate opposita pluralitati contractionis; sed dum contrahitur, solum pluralificatur numericè: ergo solum negat unitatem numericam naturæ secundum se.

Idem docuit N. Ægidius quæst. 2. super universalia in corpore, ubi ait: *Res de se, ut natura humana, non habet esse in anima, nec in re extrà, licet non sit dare tertium esse, quod non sit in anima vel in re extrà: tamen de se in nullo horum est. Sicut homo de se neque est albus, neque niger, neque medio colore coloratus, licet non sit dare medium &c.* Ex hoc exemplo, quo etiam utitur plures D. Thomas, probat quod natura de se non est universalis, nec singularis; una, vel plures &c. Quare ponere in natura secundum se unitatem positivam, videtur contra mentem utriusque B. Doct.,

A ratione probatur communis sententia ex verbis datis Præcept. Angel. Quod convenit naturæ secundum se, in omni statu debet illi competere: sed unitas positiva formalis non convenit naturæ humanæ in statu contractionis, ut faretur P. Fonseca: ergo nec naturæ secundum se. Major probatur. Quod convenit naturæ secundum se, convenit ei essentialiter; hoc enim est natura secundum se, natura quoad sua essentialia. Sed quod convenit rei essentialiter, convenit in omni statu; quia in nullo potest esse sine sua essentia: ergo &c.

Confirmatur. Si natura secundum se foret una, in nullo statu posset pluralificari: sed in statu contractionis pluralificatur: ergo secundum se una non est. Probatur maj. in nullo statu potest concipi natura cum prædicato opposito ei, quod convenit naturæ secundum se: sed pluralitas opponitur unitati: ergo &c. Patet maj. nam quia homo secundum se est rationalis, in nullo statu potest concipi, ut irrationalis.

20. Secundò probatur communis, & contraria sententia. Prædicatum quod nequit existere à parte rei, non est reale: sed unitas naturæ secundum se, est unitas, quæ nequit existere à parte rei: ergo non est unitas realis. Probatur min. Na-

turà à parte rei non existit nisi in singularibus: sed unitas naturæ secundum se non existit in singularibus, juxta authorem quem impugnamus: ergo.

Confirmatur. In instanti in quo natura est divisa in singularibus, non existit una positivè: sed ante hoc instans non existit natura, nec ejus unitas: ergo unitas hæc non est realis, nec realiter conveniens. Probatur min. Primò, quia natura non existit in ullo instanti nisi in singularibus. Secundò, quia natura identificatur cum singularibus: sed ex identificatis unum non potest existere ante aliud, ut patet: ergo nec natura, nec ejus unitas existit ante singularia pro aliquo instanti.

Hæc ratio, qua utitur Bajona, & alij ante ipsum multis confirmarunt, ut videre est in P. Suario loco laudato, efficax est, sed apparet contra ipsos Thomistas, qui in eodem statu solitudinis agnoscunt in natura unitatem realem negativam. Quomodo ergo natura illa, quæ in eo statu non potest existere à parte rei, habet realem unitatem negativam? Sed de hoc suo loco:

Observe, quod Thomistæ & Ægidiani, qui in creaturis distinguimus realiter essentiam ab existentia, ponimus essentiam realiter in aliquo statu viali

ante existentiam: nec tenemur sic ponere naturam quasi vitaliter ad singularia. Ratio est; quia essentia realiter distincta ab existentia, potest esse in via ad illam: sed cum natura identificatur cum singularibus, nequit esse in via ad singularia; quia nemo potest esse in via ad se ipsum.

21. Ad fundamenta ergo posita num. 18. respondemus ex dictis inter probandam conclusionem nostram: & pro solutione observa, quod *non divisum* sonat idem ac *indivisum*; sed revera idem non est; quia primum facit propositionem negativam, & secundum facit affirmativam. Unde non est idem dicere *Natura secundum se non est divisa*, ac dicere *Natura secundum se est indivisa*. Quia in primo nihil affirmatur, in secundo affirmatur aliquid, scilicet *indivisio*. Immo *ly non divisum* potest predicari per propositionem negativam sic, *Natura secundum se non est divisa*, vel per propositionem affirmativam sic, *Natura est non divisa*. Hoc notato, dicimus, quod propositiones affirmativæ de natura secundum se, omnes sunt falsæ; sed negativæ sunt veræ. Solutio est D. Thomæ opusc. 42. cap. 7. ubi ait: *Natura animalis tripliciter considerari potest: uno modo absolute, & secundum*

se, & sic nihil sibi convenit; nisi quod est de intellectu ejus, ut patet, de intellectu animalis est corpus animatum sensibile. Nihil enim aliud sibi attribui potest secundum hanc considerationem NISI FALSO, ut album, muscam, & alia hujusmodi.

Ecce nihil potest attribui naturæ secundum se, nisi definitio ejus: sed quod predicatur affirmando attribuitur subjecto de quo affirmatur ergo falso, ut ait D. Thomas; & sic omnis propositio de natura secundum se, si sit affirmativa, est falsa. Propositio verò negativa non sic, sed potest esse vera; quia nihil attribuit, sed potius remover. Sed removere à natura secundum se unitatem, vel pluralitatem, est verum, ut supra probatum est: ergo propositio negativa est vera, affirmativa falsa. Argumentum sententiæ contrariæ æquivocat, & non distinguit inter utramque. quare solvenda est æquivocatio. In forma concedo, naturam secundum se non esse divisam; nego consequentiam, & nego quod sit indivisa, quia non sunt idem; nam negare divisionem de natura, est verum, quia secundum se non est divisa, nec est plures. Affirmare de natura esse indivisam, est affirmare esse unam, & hoc est falsum, quia secundum se

se non est una, ut probatum est.

Ad primam confirmationem disting. min. unitas positiva realis sequitur ad ens reale, ad ens reale existens concedo, ad ens reale in statu præcisionis, nego min. Ad explicationem primæ confirmationis concessio antecedenti, nego consequentiam. Quia unitas est passio entis, sicut bonitas: sed bonitas solum est passio entis existentis: ergo & unitas. Quare cum natura secundum se non sit ens existens, ut probatum est; ideò nec est unum, nec plura. Adverte, quod creaturæ futuræ amantur à Deo, & habent bonitatem, non quia habent existentiam, sed quia dicunt ordinem ad existentiam suo tempore habendam. Sic etiam habent unitatem. Ceterum natura secundum se cum præscindat à singularibus, nec existit, ut probatum est num. 20. nec dicit ordinem ad existentiam, quia diceret ordinem ad singularia, cum solum in singularibus possit existere; si diceret ordinem ad singularia, jam non præscinderet ab eis, nec esset natura secundum se.

Ad secundam confirmationem disting. maj. Natura secundum se dicit sua prædicta essentialia, metaphysica, concedo maj. essentialia physica, nego maj. & disting. min.

unitas est prædicatum &c. physicum, vel naturæ physicæ sùptæ conveniens, concedo min. secundum se conveniens naturæ, nego min. & consequentiam. Naturæ secundum se, ut vidimus ex D. Thoma, & B. Egidio solum potest attribui id quod ei convenit essentialiter metaphysicè, id est id quod explicatur per definitionem essentialem metaphysicam naturæ. Quare cum in definitione hominis dicatur *animal rationale*; non tamen dicatur *Vnum, vel plura, muscus albus* &c. Ideò de natura secundum se non potest affirmari aliquid nisi *animal rationale*. Observa, quod natura humana secundum se est etiam *risibilis*, quod non explicatur per definitionem; sed implicatur, quia *rationale* est radix unde nascitur *risibilitas*, ut passio propria essentiæ metaphysicè sumptæ. Unitas, bonitas, & alia sunt passio entis existentis, vel dicentis ordinem ad existentiam, unde non conveniunt naturæ secundum se, qualiter præscindit ab existentia, sed naturæ physicæ, vel naturæ existenti, & sub statu contractionis.

22. Ad ultimam confirmationem ex autoritate D. Thomæ respondet Bajona cum Thomistis S. Doctorem ubi loquitur de unitate negativa, quæ convenit naturæ ratione status

solitudinis, non autem naturæ secundum se, & ideo non descendit ad inferiora. Ita laudatur Magister quæst. 3. de univers. art. 5. num. 290. sed sibi videtur contradicere, & alijs Thomistis, qui eodem artic. num. 253. probant in natura secundum se unitatem istam negativam ob sequentes rationes. Primò, quia diffinitur unica diffinitione. Secundò, quia ei convenit unicum nomen univocū. Tertio, quia est essentialiter ens, & sic unum. Quarto, quia secundum se non est plures: ergo una. At istæ rationes non probant de natura ratione status solitudinis, sed secundum se; quia independenter à statu, natura est essentialiter ens, non est plura; est univoco nomine explicabilis, & unica diffinitione diffinibilis: ergo unitas negativa (si de illa loquitur ibi D. Thomas) non convenit naturæ ratione status, sed secundum se; & ideo oportet, quòd descendat ad inferiora. De hoc suo loco.

Respondemus conformiter ad nostram sententiam infra ostendendam de mente nostrorum Doctorum, S. Thomam ibi non loqui de unitate positiva, quam ponit P. Fonseca; nec de negativa Thomistarum recentiorum; nec de Scotica; sed de unitate infra explicanda, quæ est unitas in

re inventa ab intellectu, (suprà quam fundatur alia unitas facta ab intellectu. Verba D. Thomæ ibidem sunt hæc. *Alia est autem unitas naturæ, quam habet ab intellectu, in quam omnia supposita conveniunt; ideo unitas quam facit intellectus in tali natura, fundatur super unitatem in re inventam, quæ una est illa unitate.* En loquitur S. Thomas de unitate reali naturæ, supra quam fundatur unitas facta ab intellectu. Sed unitas facta ab intellectu, non fundatur supra unitatem P. Foscæ, nec supra unitatem negativam, nec supra positivam Scotticam: ergo de nulla ex istis loquitur S. Thomas.

Hæc min. probatur breviter. Utraque unitas P. Foscæ & Thomistica, non est unitas, in quam conveniunt singularia; immò est unitas conveniens naturæ in statu solitudinis sine singularibus: sed unitas de qua loquitur D. Thomas, est unitas in quam conveniunt singularia: ergo non est unitas de qua Fonseca, & Thomistæ. Probatur hæc min. Unitas naturæ, de qua D. Thomas, est unitas supra quam fundatur *Unitas naturæ facta ab intellectu in quam omnia supposita conveniunt.* Ut dicit S. Doctor; at unitas in quam non conveniunt singularia, nequit esse fundamentum ad unitatem, in quam

quam singularia conveniunt, ut patet: ergo &c. De unitate Scotica infra. Satis sit nunc nobis agere cum P. Fonseca.

Dicit S. Doctor in auctoritate nobis objecta, quòd illa unitas est in illa natura, *Secundum quod non est in inferioribus considerata.* Sensus est, quòd non convenit illa unitas naturæ ex vi quòd est in inferioribus; sed secundum se, & ratione sui. Quare descendit cum natura ad omnem statum. Ratio est, quia juxta D. Thomam ibidem, quòd convenit naturæ secundum se, ei convenit in omni statu, sed non ratione omnis status. Quare unitas naturæ conveniens ei secundum se, convenit illi etiam in statu contractionis, sed non ex vi contractionis, nec ex vi quòd consideratur *in inferioribus*, quia consideratio ista plus facit ad pluralitatem, ac ad unitatem.

§. IV.

Expenditur universale Scoticum, sive formale ex natura rei.

23. **R**ADA insignis Scotista dicit mentem Scoti dubium esse circa unitatem formalem re-

pertam in rebus. Merinero disp. 1. de universalibus quæst. 3. sect. 2. conqueritur de Thomistis, & alijs, qui non lecta Scoti littera cum contra D. Thomam in præsentia quæstione producunt; contenditque varijs auctoritatibus demonstrare, Scutum nil aliud docuisse, nisi unitatem negativam, & convenientiam singularium in prædicatis essentialibus, quam defendunt Thomistæ, immò Subtilem Doctorem impugnasse etiam unitatem formalem positivam à parte rei. Quod si verum sit, nil in præsentia discutiendum habemus de mente Scoti, sed sententia ejus expendenda erit cum Thomistica §. sequenti.

P. Suarius loco laudato fatetur mentem Scoti esse dubiam, & ipsum videtur trahere ad communem Thomistarum sententiam. Citat tamen Monlorium, Andream, & alios pro contraria sententia. Et nostri Gavardi plures allegat ex Mastrio, qui docent, veluti de mente Scoti, dari in rebus unitatem formalem positivam. Hæc juxta nostrum Gavardi dupliciter ab his DD. defenditur. Alij dicunt, quòd in omnibus individuis naturæ humanæ, natura est una numero per existentiam, quare in illis non multiplicatur, nec dividitur for-

formaliter. Alij docent quòd natura multiplicatur realiter in singularibus. Ceterùm, quia natura Petri v.g. distinguitur formaliter à singularitate; idè est indifferens natura Petri ex se, ut potuisset esse in Paulo, sicut modò est in Petro. Ita num. 3. explicavimus hanc sententiam.

Observe cum Patre Suario, quòd à parte rei in Petro, & Paulo datur apud omnes unitas formalis consistens in carentia distinctionis formalis; quia apud omnes est verum, quòd Petrus, & Paulus non differunt in essentia. Quare si Scotticæ allegati nil aliud intelligunt quàm carentiam distinctionis formalis, sunt pro sententia communi. Hinc fit, quòd ultra illam negationem distinctionis debemus intelligere eos ponere in natura à parte rei communitatem, & indifferentiam ad essendum in multis. Ita ut natura Petri ex se sit indifferens ad essendum in Paulo, & potuerit in Paulo esse, sicut modò est in Petro. In hoc sensu sententia ista specialis est, & cujuscumque sit probatur sequentibus fundamentis.

24. Primo: Quia apud omnes natura humana à parte rei habet unitatem formalem, atqui etiam habet à parte rei quòd sit communicabilis multis: ergo à parte rei

datur in natura humana unitas pluribus communis, & ad ea indifferens. Minor probatur. Primò, quia natura humana de se non est incommunicabilis multis, alioquin actu non esset communicata: ergo de se est communicabilis multis. Patet consequentia, quia communicabile, & incommunicabile sunt contradictoria, quæ non admittunt medium relatè ad naturam existentem à parte rei.

Secundò probatur min. Natura de se non est hæc individua, sed ratione singularitatis additæ, & distinctæ à natura; ergo cum natura non possit existere separata; petit natura de se aliquam singularitatem in qua existat; atqui nõ petit unam, sed plures, & sic est apta ad plura; ergo natura de se est communicabilis multis. Prob. hæc min. subsumpta. Natura humana non adæquatur per unam singularitatem; immò talis adæquatio illi repugnat: ergo non petit unam singularitatem, sed plures, & sic est apta ad essendum in pluribus.

Tertiò probatur min. principalis. Quia natura humana formaliter ex natura rei distinguitur à singularitate: ergo sic formaliter distincta est indifferens ad hanc, vel illam singularitatem, & consequenter est

est communicabilis pluribus. Probatur consequentia, quia determinatio ad unum, unice venit à singularitate: ergo si ante omnem intellectum est natura realiter formaliter distincta, est indeterminata, & indifferens &c.

Quartò, Quia nisi ponatur natura ex se formaliter communis multis, ponitur plenè identificata cum singularibus: at hoc est incidere in sententiam Nominalium communiter impugnatam: ergo debemus ponere naturam ex se communem multis. Probatur hæc min. Si in re extra omnia sunt plenè identificata cum singularibus, omnia sunt singularia, & nihil est universale in essendo, sed in significando. At hæc sententia Nominalium: ergo.

25. Secundum fundamentum huus sententiæ est. Unitas est carentia distinctionis: sed à parte rei Petrus, & Paulus carent distinctione formalis: ergo natura in utroque est una formaliter. Min. probatur. Petrus, & Paulus carent à parte rei distinctione specifica, & solum numericam habent: sed distinctio numerica est materialis; specifica formalis est: ergo. Explicatur primò, quia à parte rei magis differunt Petrus, & equus, quàm Petrus, & Paulus: sed Petrus, & equus differunt specificè: ergo Petrus &

Paulus sunt unum specificè & essentialiter, nec differunt formaliter. Explicatur secundo, à parte rei Petrus & Paulus sunt magis unum, quàm Petrus & equus: sed non sunt magis unum unitate numerica, quæ nõ datur inter Petrum, & Paulum: ergo sunt magis unum unitate specifica à parte rei.

Confirmatur. A parte rei natura humana est in pluribus: ergo natura humana à parte rei potest esse in pluribus, & sic esse universalis. Probatur consequentia. Ubi datur actus datur potentia; & consequentia valet ab actu ad potentiam. Secundo, quia quando actus est realis, potentia debet esse realis: sed natura humana actu realiter est in pluribus: ergo realiter potest esse in multis. Tertio, quia nullus actus est incomponibilis cum sua potentia: ergo si à parte rei natura actu est in multis, à parte rei est natura potens esse in multis, & sic à parte rei est universalis.

26. Contraria sententia est communissima, in mò vix est unus, vel alter, qui teneat opinionem talem, ut in terminis posita est. Quoad utrumque modum explicatum reputatur à D. Thoma impossibilis; ita opusc. 55. de universalibus, ubi approbat istam propositionem Avicenæ in sua Metaphysica, *Impossibile est scilicet, quod*

una, & eadem res numero sit predicata de multis, ita quod unumquodque sit ipsa. Atqui sententia quam impugnamus, ponit in omnibus hominibus unam naturam per inexistentiam juxta primum modum dicendi; & juxta secundum ponit in Petro naturam sic indifferentem ex se, ut possit esse natura Pauli, & identificari realiter cum singularitate Pauli: ergo ponitur in ea sententia, id quod Avicena approbatus à D. Thoma reputavit impossibile.

Nec minor est repugnantia in secundo modo dicendi, quam in primo, quia non magis repugnat quod mea natura actu sit identificata cum tua singularitate, quam quod cum ea possit identificari: nam potentia est ad actum possibilem, quare eo modo repugnat potentia ad actum, quo repugnat actus: ergo eodem modo repugnabit posse identificari, ac actu identificari. Atqui ponendo meam naturam ex se indifferentem, ut identificetur cum tua singularitate; ponis illam potentem identificari cum tua singularitate: ergo si repugnat actu esse identificatam, repugnat posse, & esse indifferentem ad actu identificari. Propter hæc uterque modus dicendi allegatæ sententiæ reputatur æquè repugnare. Iam verò repugnantia probatur sic.

Implicat quod eadem natura una numero sit realiter identificata cum pluribus realiter distinctis: sed sententia allegata ita ponit naturam à parte rei communem juxta primum modum; vel potentem, & indifferentem ad identitatem cum multis juxta secundum modum: ergo implicatorie ponit naturam à parte rei universalem. Probatur maj. Nā mysterium Santissimæ Trinitatis consistit in eo, quod natura una numero identificatur cum tribus Personis realiter distinctis: sed ponere in creatis mysterium Trinitatis, est implicatorium: ergo &c.

Confirmatur. Implicat, quod natura à parte rei identificata cum uno individuo, possit à parte rei identificari cum alio: ergo natura actu identificata cum Petro, nec est natura identificata cum Paulo, nec est indifferentis, ut cum Paulo identificetur. Probatur antecedens. Natura identificata cum uno, nequit identificari cum alio, nisi vel manente identitate cum primo; vel relicta identitate cū primo. At utroque modo implicat: ergo &c. Probatur min. quoad primam partem, quia nulla natura, nisi sit Divina, quæ infinita est, potest actu simul identificari cum pluribus una, & eadem numero. Quoad secundam par-

tem probatur. Natura semel identificata cum uno individuo, nequit relinquere identitatem cum illo, quæ enim semel identificantur, semper sunt idem, nec potest dari inter ea distinctio realis, aut separatio.

Confirmatur secundò, vel ponitur una numero natura in Petro, Paulo, & Francisco cum diversis differentijs individualibus: vel ponitur multiplex natura secundum multiplicatam individuum? Si primum. Ponitur in creatis mysterium Trinitatis. Patet consequentia, quia Trinitas consistit in eo quod una natura identificetur unica realiter cum diversis realiter subsistentijs personalibus, quæ sunt differentiæ veluti individuales Personarum: ergo si ponitur una &c. Si secundum. In nullo individuo natura est indifferentis ad essendum in multis. Probatur hoc. Primò, quia natura identificata cum Petro, nequit esse indifferentis ad identitatem impossibilem cum Paulo. Secundò, quia cum eadem sit ratio de natura Petri, ac aliorum, sequeretur quod omnes naturæ Petri, Pauli, & aliorum, omnes seorsim, & ratione sui forent æquè indifferentes. Ergo omnes æquè forent universales. Ergo natura humana non esset una natura universalis, sed tot naturæ humanæ universales forent, quot indivi-

dua, quod est inauditum.

Rursus. Si ponitur natura una numero, ponitur singularis, & individua: ergo incommunicabilis pluribus. Ergo dicere naturam unam numero esse pluribus communicabilem, est implicatio in terminis: quare implicat primus modus dicendi. Hinc etiam implicat secundus. Quia natura in Petro est una, singularis, & individua: ergo incommunicabilis alteri. Sed implicat naturam in Petro esse indifferentem ad plura, si in eo est alteri incommunicabilis: ergo implicat quod a parte rei, vel eadem numero natura humana sit in multis; vel quod in quolibet individuo sit indifferentis ad plura.

28. Ad fundamenta contraria posita num. 24. respondemus, & ad primum negotium. Ad probationem ejus dicit quod natura humana de se nec est communicabilis, nec incommunicabilis; nam, ut videmus contra P. Fonseca, de se natura non est una, aut plures; ita de se non est communicabilis, aut incommunicabilis. Vide de dicta num. 21. & ea applica hic.

Ad secundam probationem minoris concessio antecedenti, disting. consequens: ergo natura petit de se aliquam singularitatem; petit exigentia & aptitudine subjectiva, nego consequentem.

quentiam, vel suppositum consequentis; exigentia objectiva, concedo consequentiam. Ad subsumptum dicursum applicatam distinctionem, & nega consequentiam. Ut videbitis in solutione confirmationis secundi fundamenti, non datur in natura humana potentia subjectiva ad essendum in multis, & ideò non est universalis. Hoc modo nunc dicimus quòd non datur in natura humana exigentia, & aptitudo subjectiva ad singularitates suas, sed merè objectiva ob rationem infra assignandam; quare non est universalis. Argumentum videbatur de ista loqui, & ideò negatum est suppositum consequentis.

Ad tertiam probationem minoris, nego antecedens. Infra enim cum communi sententia negabimus distinctionem formalem ex natura rei inter gradus metaphysicos; quare inde nil nobis probatur. Meritò, & alij, qui tenent distinctionem illam, dicent, quòd natura de se licet formaliter distincta, est tamen entitative idem cum singularitate; vi cuius identitatis ad summum erit objective indifferens, non autem subjective. Ut ergo foret universalis, & positive una, debebat esse subjective indifferens ad plura, sed talis non est.

Ad ultimam probationem

minor. respondent Thomistæ naturam à parte rei esse unam negativè, universalem fundamentaliter, quòd satis est, ut per intellectum fiat una, & universalis formaliter. Hoc sufficit ad recedendum à Nominalibus, qui nec per intellectum agnoscunt naturam multis communem. In nostra sententia dicendum est, dari à parte rei naturas universales inclusas in singularibus sine recurſu ad sententias, quas improbamus, quòd constabit ex dicendis.

29. Ad secundum fundamentum positum num. 25. respondent Thomistæ, quòd unitas specifica, & distinctio specifica, solum dantur inter prædicata, & principia formalia abstracta per intellectum, & metaphysicè considerata; quare à parte rei Petrus, & Paulus, non sunt unum specificè, nec plura; quia à parte rei non datur species. Imò Palanco instat argumentum sic. Hæc est mala consequentia *Deus, & creatura non distinguuntur specie: ergo sunt unum in specie. Deus finite non differt à creatura: ergo finite identificatur cum illa.* Sic etiam erit mala: *Petrus, & Paulus non differunt specie: ergo sunt unum in specie.* Et omnium ratio est, quia, ut sequatur unitas, debet esse ex non distinctione era

ratione, quam extrema participant: atqui Petrus, & Paulus non participant à parte rei rationem speciei: ergo nec distinguuntur specie, nec sunt unum in specie.

Hæc solutio videtur contra P. August. lib. 7. de Trin. cap. 6. ubi dicit: *Si autem species est essentia, sicut species est homo, tres verò illæ, quas appellamus personas, sic eandem communiter habent, quemadmodum Abraham, Isaac, & Jacob, speciem quæ homo dicitur communiter habent &c.* Ecce tres homines isti habent speciem, quæ est homo juxta P. Augustinum: ergo negare quòd Petrus, & Paulus participant speciè, vel quòd sunt ejusdè speciei, est negare Petro, & Paulo, quòd August. P. concedit Abraham, Isaac, & Jacob; & eo concessò in eis, quærit an ita essentia Divina sit speciei communis tribus Divinis Personis, quòd ibi negat.

Propter hæc Bajona dicit, quòd Petrus, & Paulus sunt ejusdè speciei fundamentaliter. Quid est hoc? Respondet, quòd actualiter non sunt ejusdè speciei, quia natura in utroque non est una, sed duplex. Possunt tamen per intellectum esse ejusdè naturæ, & tunc erunt ejusdè speciei: unde à parte rei sunt actu similes, non actu unum, sed in potentia. Ratio

est, quia à parte rei prædicata formalia specifica sunt identificata cum numericis: ergo multiplicantur realiter cum eis. Ergo non solum unitas numerica Petri est distincta ab unitate Pauli; sed etiam unitas specifica Petri, est distincta ab unitate specifica Pauli.

Totum hoc est verum; sed non solvit argumentum. Nam istæ duæ unitates specificæ Petri, & Pauli, sunt distinctæ numero, aut specie? Si specie; ergo non sunt ejusdè speciei, sed diversæ, ut homo, & equus, quòd est falsum. Si solo numero differunt: ergo sunt unum in specie, quòd intendebat argumentum.

Respondemus ex nostris principijs, quòd argumentum plene est pro nostra sententia, quam infra probabimus. Unde solum restat ostendere, quòd dato toto argumento, nihil pro se habent Scotistæ hujus opinionis. Hoc patet ex eo, quòd Petrus, & Paulus sunt ejusdè speciei, sed numericè distincti. Ergo non habent unam numerum naturam utrique communem, quòd intendebat primus modus dicendi. Sunt ejusdè speciei, quia licet distincta sit utriusque natura, non est distincta specificè, sed numericè: quòd est contra intentum primi modi dicendi.

Est etiam contra secundum
H: dū

dum, quia licet natura Petri non sit distincta specificè à natura Pauli, est distincta numericè, & identificata cum singularitate Petri: sed natura sic identificata cum singularitate Petri, non est indifferens ad essendum in Paulo, & alijs, ut probatum est num. 27. ergo dato plenè argumento, nil sequitur pro sententia Scotica, quia nec sequitur quòd eadem numero natura sit in multis; nec quòd natura unius individui sit ex se indifferens ad essendum in multis.

Ad confirmationem positam num. 25. in fine respondemus cum Thomistis distinguendo consequens; potentia objectiva, concedo consequentiam; potentia subjectiva, nego consequentiam. Omnis actus supponit potentiam, sed non semper objectivam, nec semper subjectivam. Potentia subjectiva est distincta ab actu, & est ad essendum aliquid distinctum à subjecto potente. Hac potentia potest homo esse albus. Potentia objectiva est indistincta ab actu, & est ad essendum aliquid identificatum, & essentialiter conveniens. Hac potentia potest homo esse animal rationale. Nam homo actu est animal: ergo potest esse animal, sed non potentia subjectiva, quia hæc solum datur ad ea quæ distinguuntur à subje-

cto potente; & homo non distinguitur à sua essentia. Sic natura actu est in multis per identitatem cum illis: ergo potest esse in eis; sed non potentia subjectiva, sed objectiva; quia ab eis non distinguitur. Hoc notato dicimus, quòd universale petit unitatem naturæ potentis subjectivè esse in multis; & hæc non probatur eo argumento.

Dices: Si in rebus natura identificatur cum singularitate, & nunquam habere potest potentiam subjectivam, nunquam in rebus erunt universalia, sed omnia erunt singularia; sed hoc est incidere in sententiam Nominalium: ergo solutio data favet Nominalibus. Probatur minor. Sententia Nominalium solum excluditur ponendo in rebus universalia: sed si universale petit potentiam subjectivam ad essendum in multis, non possunt in rebus dari universalia; quomodo ergo erunt universalia in rebus cum sola potentia objectiva ad essendum in multis? Respondemus adhuc restare examinandas sententiam Thomisticam, & nostram; & in hac dicemus quomodo in rebus universalia sint.



Expenditur universale Thomisticum juxta communioem sententiam.

31. THOMISTÆ omnes, quibus ex Scotistis, & PP. Societatis adherent plures, inter quos eminet P. Suarius in Metaphysica loco laudato, qui prolixè, & ingeniosè, ut assolet, discutit radicibus omnes sententias; docent quòd natura humana v.g. in statu solitudinis considerata, habet unitatem negativam. Quid sit ista? Explicant per negationem; scilicet, quòd natura non sit plures ex se, hoc est esse unam negativè. In statu autem contradictionis non ponunt unitatem istam negativam, ut videbis expressè apud Palanco.

Dicunt secundò, quòd natura à parte rei non habet unitatem positivam, aut negativam; habet tamen unitatem impropriam, & fundamentalem; quia in Petro, & Paulo natura multiplicata, est similis, & uniformis in utroque: hæc similitudo non est unitas propria, quia non est identitas: est tamen fundamentum, ut intellectus abstrahens naturam, faciat unitatem propriam rationis, de qua infra, Adverte, quòd sicut

in quolibet individuo dant naturam realiter distinctam ab alio; ita dicunt quòd unitas formalis naturæ humanæ datur in quolibet, identificata cum unitate numerica. At hæc unitas, quæ positiva est, non est unitas apta esse in multis, sed est solum apta esse in uno. Unde tot sunt unitates formales naturæ humanæ, quot naturæ, & tot naturæ, quot individua: & sicut inter naturas non est unitas propria, sed similitudo; ita inter unitates illas formales.

Dicunt tertio, quòd semel abstracta per intellectum natura, sit una, & apta esse in multis. Ceterum hæc unitas, sicut & aptitudo naturæ abstractæ, non est unitas realis, sed est unitas rationis; tum quia est facta ab intellectu; tum quia non est passio realiter dimanans à natura, sed conveniens illi per actionem intellectus. Si petas, an hæc unitas sit ficta? Respondent affirmativè; tum quia omne ens rationis apud ipsos consistit in esse ficto: tum quia fit per cognitionem rei aliter ac est in se. Nam in præsentia hæc unitas fit per cognitionem, qua intellectus cognoscit ut unum, quæ unum non sunt, sed plura, & ut identificata in ratione communi quæ in ea plurificantur. Ex quo inferunt, quòd universalia dantur in rebus fundamentaliter, sed in so-

lo intellectu formaliter.

32. Probant Thomistæ in statu illo solitudinis, supra explicato, suam unitatem negativam, sic. Primò ex D. Thoma opusc. 42. cap. 7. ubi ait: *Est tamen in ipsa natura absolute accepta, secundum quod non est in inferioribus considerata, quedam unitas, cum diffinitio ejus sit una, & nomen unum, ut patet.* En juxta S. Doctorem in natura secundum se, hoc est considerata præcisivè ab inferioribus, quedam unitas: atqui hæc unitas non est positiva, ut ex D. Thoma probatum est num. 19. contra P. Fonseca: ergo est unitas negativa.

Hinc à ratione illam probat Bajona sic. Quod diffinitur unica diffinitione, est aliquomodo unum: sed natura secundum se diffinitur unica diffinitione: ergo est una saltem negativè. Secundò: Significatû termini univoci est saltem unû negativè: sed natura secundum se significatur termino univoco; nam hæc vox *homo*, quæ hominem secundum se significat, est terminus univocus: ergo &c.

Tertiò Ens essentialiter est unum; unitas quippe est passio entis: ergo unitas convenit illi in quocumque statu: sed natura quælibet est ens: ergo adhuc secundum se est una. Sed

non positivè, ut probatum est: ergo est una negativè. Quartò: Natura secundum se non est plures: ergo est una negativè. Patet consequentia, quia unum negativè nihil est aliud, quàm non plura. Tam quia natura, quæ secundum se non est plures, secundum se caret divisione: ergo secundum se aliquomodo est una; unitas enim est carentia divisionis. Ita ad verbum Mag. Bajona quæst. 3. de univers. art. 4. §. 2.

Prosequitur ibi: *Quod si opponas, quidquid convenit naturæ secundum se, convenit illi in omni statu: sed unitas negativa non convenit naturæ in statu contractionis; cum in statu contractionis jam sit multiplicata: ergo naturæ secundum se non convenit unitas negativa.* Respondet sub distinctione sic: *Quidquid convenit naturæ secundum se ratione ipsius naturæ, convenit illi in omni statu, concedo maj. Quidquid convenit naturæ secundum se ratione status, & præcisionis, convenit illi in omni statu, nego maj. & concessa minor, nego conseq.*

33. Probant secundò Thomistæ de natura in statu contractionis omnia quæ diximus num. 31. Nam in hoc statu natura non habet unitatem positivam communem pluribus, immò nec negativam.

Pri

Primum de unitate positiva; pluribus cõmuni, suadent eis rationibus quibus §. præcedenti egimus contra universale Scotiçum. Secundum autem de unitate negativa probatur à Palanco tractatu tertio de universalibus quæst. 7. num. 5. sic: Naturam esse communem negativè, est illi ex se non repugnare identificari cum pluribus: sed nulla datur natura à parte rei, cui ex se non repugnet identificari cum pluribus, ut iã probavimus (scilicet impugnando unitatem positivam pluribus communem) ergo natura à parte rei, & contracta non est una, nec communis negativè.

34. Quòd autem in quolibet individuo detur unitas formalis positiva naturæ, quæ non sit communis pluribus, sed unì solùm propria & communicabilis, probant: Quia in Petro v.g. non solùm est singularitas, sed sunt in eo prædicata essentialia & specifica naturæ humanæ, est enim Petrus homo, & est *animal rationale*: sed hæc natura humana habet suam unitatem formalem & specificam, ut patet: ergo in Petro (sicut in alijs hominibus) datur non solùm unitas numeralis, sed unitas formalis specifica.

Jam verò quòd unitas hæc non sit pluribus communis, sed

foli Petro communicabilis, probant: quia hæc unitas identificatur cum singularitate Petri incommunicabili: sed quòd identificatur cum incommunicabili pluribus, est realiter pluribus incommunicabile: ergo unitas formalis specifica naturæ in Petro non est pluribus communis, sed foli Petro communicabilis. Hoc confirmant alijs rationibus supra positis numer. 27. contra Scotistas.

Hinc inferunt, & benè; quòd sicut tot in re sunt naturæ humanæ, quot sunt homines; ita tot, quot homines, sunt unitates formales naturæ humanæ realiter distinctæ. Ex quo fit, quòd sicut naturæ omnes humanæ non habent inter se unitatem omnibus communem, sed unicè habent inter se similitudinem, & conformitatem; ita unitates illæ formales sunt similes, & uniformes, quare non habent inter se unitatem propriam, sed impropriam, quatenus similitudo vocatur unitas. Hæc tamen similitudo est fundamentum, ut postea intellectus abstrahens naturam faciat illam unam & universalem. Hæc Thomistæ de statu contractionis.

35. De statu abstractionis docent, quòd intellectus fundatus in illa similitudine & uniformitate singularium, natura specifica; concipit naturam

ram

ram sine singularitate, & sic concepta redditur natura una, & potens esse in multis. Quare intra intellectum datur universale formaliter; in re extra solum datur fundamentaliter. Ad dunt quod hæc unitas naturæ abstractæ non est unitas positiva realis, sed rationis. Et idem docent de aptitudine ad essendum in pluribus; quia eo modo natura est apta esse in pluribus, quo est una: atqui natura abstracta non est una unitate reali positiva, sed unitate rationis facta ab intellectu: ergo solum est apta esse in pluribus aptitudine rationis. Hoc late probat P. Suarius ubi supra laudatus. Et partim hic, & num. 31. in fine dedimus probationes, quibus suadent, quod talis unitas est rationis, ficta, & facta ab intellectu cognoscente res aliter ac sunt in se.

Ex his colliges, quod in universali formaliter sumpto, sunt duo, vel tria entia rationis ficta, & facta ab intellectu. Nam datur unitas naturæ abstractæ, quæ est ens rationis, ostensum est, Datur aptitudo naturæ ad essendum in pluribus, quæ etiam est ens rationis. Et tandem datur relatio rationis naturæ abstractæ ad sua inferiora, quæ vocatur secunda intentio universalitatis. Quibus adde secundam inten-

tionem prædicabilis, quæ etiam est relatio rationis; & differt à prima, quia relatio universalitatis est *Ad plura in quibus potest esse natura*. Prædicabilitas est *Relatio naturæ ad plura de quibus potest prædicari*. An verò ista entia rationis sint distincta, & plura; an verò sit unum, & idem: non explicant DD. isti; sed quantum percipimus ex eorum principijs, videntur distincta, & quidquid sit, quæstio præfens non pendet ab hoc.

36. In hac sententia; quam fideliter pro viribus proposuimus, & suis fundamentis confirmavimus, plura sunt, quæ nos avertunt ab assensu. Sigillatim ea proponemus, ut clarius procedamus. Et primò circa unitatem negativam in solo statu solitudinis propugnatam, licet desumpta sit ex Cajetano, egregio D. Thomæ interprete; non videtur defensata ad mentem D. Thomæ. Hoc suadet multis.

Et primò sic: Hæc propositio est falsa apud D. Thomam, *Natura secundum se est una negativè*, ergo unitas hæc negativa non est de mente, sed contra mentem Sancti Doctoris. Probatur antecedens ex D. Thoma opusc. 42: cap. 7. unde Thomistæ probant unitatem negativam, ibi S. Doctor dicit sic: *Natura animalis*

lis tripliciter considerari potest: uno modo absolute, & secundum se; & sic nihil sibi convenit, nisi quod est de intellectu ejus, utputà, de intellectu animalis est corpus animatum sensibile. NIHIL ENIM ALIUD SIBI ATTRIBVI POTEST, SECUNDUM HANC CONSIDERATIONEM NISI FALSO. En juxta S. Doct. de natura animalis secundum se, solum potest affirmari sic, *Animal est corpus animatum sensibile*; & quid aliud affirmetur, falso affirmatur, & attribuitur: ergo juxta D. Thomam dum affirmatur *Animal secundum se est unum negativè*, falso affirmatur, & consequenter propositio est falsa.

Rursus. Juxta D. Thomam solum potest affirmari de natura secundum se quod est diffinitio ejus: sed unitas negativa non est diffinitio naturæ: ergo dum unitas hæc affirmatur de natura secundum se, propositio est falsa. Min. constat, & consequentia tenet. Major est certa, tum exemplo D. Thomæ, quia de animali solum affirmat *Corpus animatum sensibile*, quod est diffinitio animalis. Tum quia expressè dicit solum posse affirmari quod est de conceptu naturæ secundum se, & essentialiter sumptæ, qualiter est diffinibilis; hoc tale sunt prædicata essentia;

lia naturæ, & sic diffinitio ejus.

Tertiò, quia juxta Thomistas impugnantem unitatem positivam P. Fonseca in statu solitudinis, hæc est propositio vera, *Natura secundum se non est divisa*. Ceterum ista est falsa, *Natura secundum se est indivisa*. Hoc ideò, quia licet idem videatur dici per *Non divisum, & indivisum*, prima propositio est negativa, & sic vera; secunda est affirmativa, & ideò est falsa. Ergo licet hæc sit vera propositio, *Natura secundum se non est plures*: at ista est falsa, *Natura secundum se est una negativè*. Patet consequentia, quia licet idem videatur esse *Non esse plura, ac esse unum*; tamen prima propositio est negativa, & sic vera, & habetur in D. Thoma lib. de Ente, & essentia cap. 4. Secunda verò est affirmativa, & sic falsa. Vide dicta num. 21. quæ confirmant hoc, & nota hanc esse doctrinam Thomistarum contra P. Fonseca, de qua videtur de Bajonani ubi supra art. 5. §. 3.

Quarto. Natura humana secundum se non est plures negativè: ergo secundum se non est una negativè. Antecedens à nemine vidimus concedi. Consequentia probatur ex D. Thoma lib. de Ente, & essentia cap. 4. ubi de natura secundum

dum se æquè negat unitatem ; & pluralitatem per hæc verba: *Si quaeratur, utrum ista natura possit dici una vel plures, neutrum dicendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis, & utrumque potest sibi accidere.* En juxta S. Doctorem æquè negata unitas naturæ secundum se, ac pluralitas: ergo vel loquiritur de unitate negativa, & sic neganda est naturæ juxta D. Thomam: vel de unitate positiva, & pluralitate item positiva; & sic sicut negata unitate positiva adstruitur unitas negativa; negata pluralitate positiva, ponenda erit in natura secundum se pluralitas negativa. Hoc implicat, quia aliàs natura secundum se esset negativè unum, & plura, quod est imperceptibile.

Quinto. Nam idè ubi proximè negat D. Thomas unitatem naturæ humanæ secundum se, quia deberet illi convenire in statu contractionis; & sic in eo non esset plurificabilis, verba S. Doctoris sunt hæc. *Similiter, si unitas esset de intellectu, & ratione ejus, tunc esset una & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus plurificari.* At hæc ratio D. Thomæ probat non solum de unitate positiva, quam negavimus contra P. Fonseca, sed de unitate

negativa, quæ opponitur pluralitati, & idè non admittitur à Thomistis in statu contractionis, ut vidimus num. 33. ergo hæc unitas negativa videtur contra mentem D. Thomæ.

Sextò. Juxta D. Thomam quod convenit naturæ secundum se, in omni statu, etiam contractionis, debet illi convenire: sed unitas negativa juxta Thomistas non convenit naturæ in statu contractionis: ergo vel contra D. Thomam ponunt unitatem istam in natura secundum se; vel ea posita de mente D. Thomæ: contra mentem ejus negatur naturæ in statu contractionis. Maj. probatur ex D. Thoma opusc. laudato 41. cap. 7. ubi ait: *Alio modo potest considerari hæc natura prout est recepta in aliquo singulari sui generis (in statu contractionis) & adhuc inerit sibi ratio, quæ de intellectu ejus est absolutè.* En quod convenit naturæ secundum se, ei inest etiam dum est contracta, & constat exemplo D. Thomæ ubi supra, quia enim animal secundum se est vivens sensibile, animal etiam contractum, est vivens sensibile; & etiam abstractum per intellectum vivens sensibile est: ergo &c.

37. Nec serenat solutio M. Bajona posita num.

32. in fine. Nam in natura secundum se duo distinguit, aliud ratione status conveniens naturæ, aliud ratione sui. Et dicit unitatem istam convenire naturæ secundum se, non ratione naturæ, sed ratione status. Hæc solutio non serenat, quia rationes, quibus à Bajona probatur hæc unitas, probant quòd illi conveniat ratione naturæ, & non ratione status: ergo vel unitas illa non benè probatur, vel solutio non est ad rem. Probo antecedeas. Idè juxta ipsum tenenda est unitas ipsa, quia natura secundum se est ens, & sic unum. Quia diffinitur unica diffinitione, & ob alia, quæ videbis supra num. 32. Atqui naturæ secundum se non convenit ratione status esse ens; esse diffinibilem, sed ei convenit ratione naturæ, quia enim est natura, est ens, & habet essentiam: ergo &c.

Rursus, si quod convenit naturæ ratione status, convenit ipsi secundum se; ita poterit dici quòd natura in statu contractionis est positivè multiplex secundum se; item quòd natura in statu abstractionis est secundum se una positivè: at hoc non potest concedi, nisi abutatur terminis: ergo nec solutio data. Maj. patet, quia ratione status contractionis, convenit naturæ multiplicitas, & ratione status abstractionis

convenit naturæ unitas positiva. Min. patet etiam, quia convenire rei secundum se, est convenire essentialiter; convenire ratione status accidentalis, est convenire accidentaliter juxta D. Thomam de ente, & essentia cap. 4. atqui convenire aliquid essentialiter accidentaliter, est abuti terminis, & implicare terminos: ergo & convenire aliquid secundum se ratione status, est implicare, & abuti terminis.

Rursus, vel hæc unitas negativa conveniens naturæ secundum se, est realis, vel rationis. Non rationis, quia hæc solum ponitur in tertio statu abstractionis ab intellectu facta; status verò unitatis negativæ non est tertius status, sed primus, qui præcedit statum contractionis, ut vidimus num. 31. ergo unitas illa negativa erit realis. Nunc sic. Prædicatum, quod non potest existere à parte rei, non est reale: sed unitas negativa nequit existere à parte rei: ergo non est realis. Probatur min. Natura à parte rei nequit existere, nisi in singularibus, & contracta: sed unitas negativa non existit in natura contracta juxta Thomistas: ergo nequit existere à parte rei. Vide supra num. 26. rationes, quibus Thomistæ impugnant P. Fonseca, & eas hic applica contra unitatem nega-

ritam; quàm directè etiàm impugnant.

Tandem si solutio Bajonæ tenet, poterit ea uti P. Fonseca dicens, quòd natura secundùm se habet unitatem positivam, quæ non descendit ad statum contractionis, sicut nec negativa. Ratio utriusque eadem est, quia in statu solitudinis non convenit naturæ utraque unitas ratione naturæ, sed naturæ ratione status, & quod sic convenit naturæ secundùm se, non transit ad alios status. At hoc est effugere rationes factas à Thomistis ex D. Thoma contra unitatem positivam: ergo solutio Bajonæ idem effugium continet pro sua unitate negativa.

38. Hæc movent nos recedere ab ista unitate negativa Thomistarum, & Cajetano, quam si videremus conformem Angelico Magistro defenderemus pro nostro tenui posse in reverentiam S. Doctoris, sperantes ductu ejus veritatem attingere. Nec motiva Bajonæ urgent, ut posita sunt num. 32. Nam authoritas ibi inducta D. Thomæ nil dicit de unitate positiva P. Fonseca; nec de negativa Thomistica; nec de Scotica; ut ex contextu litteræ probatum est à nobis num. 22. quæ iterùm non licèt repetere. Videantur ibi, & notetur, quòd unitas de

quæ S. Doctor ibi loquitur est unitas supra quam fundatur unitas facta ab intellectu abstractante: sed juxta Thomistas laudatos in expositione suæ sententiæ, unitas rationis non fundatur supra unitatem negativam naturæ in statu solitudinis, sed supra unitatem, quam natura contracta habet, si hæc propria, vel non sit, de quo nil ad præsens: ergo D. Thomas ibi non loquitur de unitate negativa; unde non probatur ex D. Thoma, sed potius oppositum.

Hinc adest nobis novus titulus recedendi ab hac negativa unitate. Nam hic contendimus explicare contra Nominales quomodo dentur universalialia in rebus: sed ad hoc non conducit hæc unitas negativa in statu solitudinis: ergo impertinens est. Probatur minor. Quia illa unitas non est sufficiens ad universalitatem, ut patet; item non est universalitas, ut est certius, tandem non est fundamentum universalitatis factæ ab intellectu, ut ex dictis constat: ergo ad nil conducit. Ut quid ergo in tanta solitudine concipienda est natura humana, quantam nec Hilario, nec Macarij in desertis professi non sunt?

Ad rationes Bajonæ eodem num. 32. positas respondemus. Et ad primam dicimus pro-

probare unitatem in solâ naturâ concepta; quia natura non concepta non est diffinibilis: ergo unitas conveniens naturæ, quatenus est proximè diffinibilis est unitas positiva conveniens naturæ conceptæ; & fundamentaliter, est unitas naturæ in statu contractionis, quam infrâ eum nostra sententia explicabimus. Quid ergo hic de unitate negativa naturæ solitariæ? Certè nihil.

Ad secundam eodem modo respondemus cum D. Thoma in 1. Sentent. dist. 2. ubi ait, quòd reseo modo nominamus, quo illas concipimus: ergo unitas quæ probatur in natura humana ex unitate, & univocatione termini *homo*, est unitas conveniens naturæ conceptæ, & abstractæ per intellectum: ergo hinc nil habemus pro unitate negativa status solitudinis.

Ad tertiam rationem dico quòd unitas conveniens naturæ, quatenus est ens, convenit ei in omni statu, quia in omni est ens: sed juxta Thomistas unitas negativa non convenit naturæ in omni statu: ergo non bene probatur ex eo quòd natura est ens. Directè dicimus, quòd natura est ens, & positivum, quare unitas inde probata, debet esse positiva, & in omni statu. Qualis hæc sit infrâ videbis in nostra sententia.

Ad quartam concedo quòd

naturâ secundùm se *non est plures*: nego consequentiam dum infers: ergo *est una*. Hoc non dicit D. Thomas, immò negat, ut vidimus. Nec est idem esse *indivisum*, ac *non esse divisum*. Quia in uno affirmatur falsò, quod in altero negatur verè. Vide dicta num. 36. in tertiâ probatione nostra.

Hinc colliges, quòd si nomine unitatis negativæ docent Thomistæ naturam secundùm se *non esse plures*, hoc negant immeritò naturæ contractæ, quia natura etiam contracta, licèt multiplex sit, non est multiplex ex se, sed ratione materiæ, ut infrâ videbimus ex Beatis Thoma, & Ægidio. Si verò quid aliud sit unitas negativa, falsò affirmatur de natura secundùm se, ut probatum est.

39. Circa doctrinam Thomisticam de natura in statu contractionis, in qua solum agnoscunt tot unitates formales, quot sunt individua humana v.g. ut vidimus num. 34. habemus integram sententiam nostram, de qua infrâ, & immediate procedit contra hoc assertum Thomisticum. Interim en breviter aliqua ratio nostræ sententiæ. Unitas formalis naturæ humanæ datur in rebus, ut contra Nominales probatum est quæst. 1. Quare in re datur natura significata per vocem

homo: sed unitas naturæ significatæ per vocem *homo*, non est tota in Petro; nec tota in Paulo; nec est multiplicata in eis, ut contendunt Thomistæ: ergo doctrina eorum quoad hoc non est certa. Probaturn. min. unitas naturæ humanæ significatæ per vocem *homo*, nō est unitas naturæ singularis, sed naturæ universalis: sed in Petro non est tota unitas naturæ universalis; nec ista multiplicatur in plura individua; alioquin sicut sunt distinctæ naturæ numero; ita essent distinctæ naturæ universales, & distinctæ species, quod est falsum: ergo.

Confirmatur ex P. August. 7. de Trinitate cap. 6. ubi ait: *Si autem species est essentia (idest Divina) sicut species est homo, tres verò illæ, quas appellamus personas, sic eandem speciem communiter habent, quemadmodum Abraham, Isaac, & Iacob, speciem, quæ homo dicitur communiter, habent &c.* En tres homines illi juxta P. August. habent speciem, quæ est *homo*; at nemo eorum habet illam totam, quia nemo est homo universalis, sed singularis; item nemo habet speciem hominis distinctam ab alio; alioquin tres homines forent tres species distinctæ, quod implicat: ergo implicat ponere in quolibet indi-

viduo humano totam unitatem formalem naturæ, & tot multiplicare unitates formales naturæ, quot multiplicantur individua.

Dices: P. August. loquitur de specie fundamentaliter, non autem de specie formaliter, quia hæc sic est ens rationis, quod non datur in re, sed per intellectum. Contra est, nam ratio nostra non procedit de specie formaliter, sed de specie fundamentaliter, qualiter datur in rebus à parte rei: sed de ista specie sic à parte rei dicit P. N. quod illam habent communiter, hoc est habent, ut sibi communem; ergo quia nullus eorum se solus habet totam speciem fundamentaliter; nec tres illi dicti habent tres species fundamentales; sed tres illi unam, & eandem speciem fundamentalem habent sibi communem.

40. Dices adhuc; species fundamentalis non est unitas quædam formalis communis multis, sed est similitudo in prædicatis essentialibus, ut dictum est de mente Thomistarum num. 34. De hac similitudine est verum, quod non est tota in uno, sed in multis, & quod est una in omnibus. Ceterum hæc similitudo non est unitas propriè, sed impropiè, & ideò necesse est quod intellectus supra illam fundet unitatem

tem propriam abstractionis.

Sed contra primò, quia hæc solutio est contra D. Thomam, qui opusc. 42. cap. 7. dicit, quod unitas facta ab intellectu, fundatur supra unitatem, quam natura habet in re absolute sumpta. Verba S. Doctoris dedimus supra num. 22. sed unitas, quam D. Thomas ponit in re absolute considerata, non est unitas similitudinis, & impropria; nam hæc similitudo datur inter individua, & non est opus considerare naturam sine individuis ad talem similitudinem; immò est necessarium pro tali similitudine consideranda, attendere ad individua, quæ sunt extrema similia: ergo unitas abstractionis non fundatur in illa similitudine. Vide dicta loco citato numer. 22.

Secundò. Tale debet esse fundamentum, qualis est res fundata; & patet, quia distinctio rationis fundatur supra distinctionem virtualem; ratio rationis supra virtuale fundamentum relativum; unio rationis supra unionem realem; & sic de alijs: ergo unitas rationis inferiorum in natura abstracta, debet fundari supra unitatem realem; & non supra relationem similitudinis.

Tertio. Similitudo Petri, & Pauli in natura est fundamentum ut ab intellectu concipian-

tur similes in natura; non autem, ut concipiantur idem, & ut unum in natura: sed per abstractionem naturæ à singularibus concipit intellectus omnia singularia ut unum. Vel aliter. Similitudo inter duas naturas Petri, & Pauli non est fundamentum ad concipiendas illas naturas ut unam, sed ut duæ sunt, & similes: atqui intellectus cum fundamento concipit utramque naturam ut unam; ergo fundamentum ad hoc non est similitudo. Probaturn. maj. Nullum est in re fundamentum ad concipiendum falsò, & aliter ac est in re objectum: sed concipere ut unum quæ sunt plura; & ut idem quæ sunt similia, est concipere falsò, & aliter ac objectum est in re: ergo.

41. Confirmatur. Concipere rem aliter ac est, non est intelligere rem, sed est non intelligere: sed in re nullum est fundamentum, ut ipsa non intelligatur; immò in omni re est fundamentum invitans ad intelligendum: ergo nullum in re est fundamentum ad concipiendam ipsam aliter, ac est. Min. cum consequentia tenet, & maj. est expressa in P. Augustino lib. 83. qq. quæst. 32. ubi ait: *Quisquis ullam rem, aliter quam ea res est, intelligit, fallitur. Et omnis qui fallitur, id in quo fallitur, non intelligit.* Quis

Quisquis igitur allam rem aliter, quam est, intelligit, non eam intelligit. Non ergo potest quidquam intelligi, nisi ut est. Ecce major nostri discursus probata a P. Augustino, ex quo iterum

Confirmatur nostra impugnatio. Unitas naturæ abstractæ fit ab intellectu cognoscente naturam: sed intellectus cognoscens naturam aliter ac est in se, non cognoscit naturam: ergo unitas naturæ abstractæ fit ab intellectu cognoscente naturam, ut est in se; quare si intellectus cognoscit naturam ut unam formaliter positivè, ita est in se natura à parte rei, & non tantum una per similitudinem. Consequentia tenet, major est doctrina Thomistarum, & minor probatur discursu Augustiniano; nam qui cognoscit naturam aliter ac est, fallitur: sed qui fallitur in cognitione naturæ, non cognoscit naturam, in qua fallitur; nam cognoscere est percipere veritatem; *Non enim est scientia nisi verorum* juxta Aristot. qui fallitur, non percipit veritatem: ergo qui fallitur, & cognoscit naturam aliter ac est, non cognoscit naturam.

42. Circa doctrinam Thomisticam de natura in statu abstractionis, tria sunt, quæ nobis non probantur. Primum est quod unitas, & aptitudo natu-

ræ abstractæ sit unitas rationis. Secundum est, quod talis unitas sit ficta. Tertium, quod fiat ab intellectu cognoscente rem aliter ac est in se. Breviter singula attingemus.

Et primò quod talis unitas naturæ abstractæ sit unitas rationis, duplicem habet sensum, scilicet quod sit facta ab intellectu, & ratione; & hoc modo intellectio, & species expressa est quid rationis effectivè. At in hoc sensu non loquuntur Thomistæ, quia dicunt talem unitatem esse fictam; quod solum convenit enti rationis proprio, de quo lib. 2. egimus. In hoc sensu dicimus, quod unitas naturæ abstractæ non est ens rationis, sed realis extrinseca, consistens in eo quod species expressa repræsentet naturam sine singularibus; modo quo species repræsentans visui colorem sine odore, dat coloris objecto esse abstractum, & unum. Doctrina, & exemplum sunt D. Thomæ 1. par. quæst. 85. art. 2. ad secundum ubi habet, *Similiter cum dicitur universale abstractum, duo intelliguntur, scilicet ipsa natura rei, & abstractio, seu universalitas, Ipsa igitur natura, cui accidit vel intelligi, vel abstrahi, vel intentio universalitatis, non est nisi in singularibus: sed hoc ipsum quod est intelligi, vel abstrahi, vel in-*

Intentio universalitatis, est in intellectu, & hoc possumus videre per simile in sensu. Observa quod natura universalis non est in intellectu.

Prosequitur S. Doct. *Visus enim videt colorem pomi sine odore. Si ergo queratur ubi sit color, qui videtur sine odore, manifestum est quod color, qui videtur, non est nisi in pomo. Sed quod sit sine odore perceptus, hoc accidit ei ex parte visus, INQUANTUM IN VISU EST SIMILITUDO COLORIS, ET NON ODORIS. SIMILITER humanitas, quæ intelligitur, non est nisi in hoc, vel illo hominis; sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus, quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio universalitatis, accidit humanitati. SECUNDUM QUOD PERCIPITUR AB INTELLECTU, IN QUO EST SIMILITUDO NATURÆ SPECIEI, ET NON INDIVIDUALIUM PRINCIPIORUM.* Idem docuit N. Egidius dicens, quod *Universalis natura non est in anima, nisi tanquam objectum in potentia, quam perficit.* Vide B. Doct. quæst. 2. & 3. super universi.

Ecce juxta D. Thomam unitas naturæ abstractæ non est aliud in intellectu, quam ima-

gō apparens in specie expressa, vel impressa, quæ est similitudo naturæ specificæ, & non individuorum: at in hoc nullum ens rationis importatur; nihil fictum: & unitas naturæ est unitas imaginis, quæ est realis, & extrinseca naturæ repræsentatæ, & cognitæ: ergo licet unitas hæc extrinseca sit per rationem, vel rationis effectivè, non est ens rationis, sed quid reale, non minus, quam imago ipsa, aut species expressa, quæ est speculum, in quo apparet talis imago.

Ad istam imaginem sic conceptam, sequitur intentio universalitatis. Hæc est ens rationis, & est unum unitate rationis, quæ est passio ejus; sicut unitas realis est passio entis realis. Ceterum aliud est natura universalis, aliud intentio; quare universale abstractum duo importat, scilicet naturam, & intentionem; & sicut duo sunt distincta, ita habent duas unitates distinctas. Intentio habet unitatem rationis, quia est ens rationis; natura abstracta habet unitatem repræsentationis in specie, quæ est unitas realis speciei expressæ, extrinsece denominantis naturam repræsentatam, & unam. Ergo juxta D. Thomam natura abstracta non fit una per rationem, vel unitate, quæ sit ens rationis.

43. Venio ad secundum. Dicunt Thomistæ talem unitatem esse fictam, quia est ens rationis. Contrarium probatum est à nobis cum P. Augustino, D. Thoma, & B. Ægidio, de ente rationis fundato. lib. 2. precedenti quæst. 2. §. 4. & 5. Sed demus totum quod volunt; numquid habent, quod interdundunt contra Nominales, & contra negantes scientiam de rebus? Minimè. Nam quia in re extrâ, omnia sunt singularia, & defectibilia, quærunt pro scientiis universalibus intra intellectum: at qui per vos ibi naturæ rerum sunt unum, & universales universalitate ficta, & ficta unitate: ergo nisi velitis, omnes scientias agere de fictionibus; tenemini dicere, vel quòd naturæ intra intellectum non habent unitatem fictam; vel quòd scientiæ non sunt de rebus, ut abstractis per intellectum. Certe melior est unitas realis, licet defectibilis, quàm ficta, quæ fingitur permanens, & perpetua. Illam fugis, cur recurras ad fictam?

44. Venio ad tertium. Docent Thomistæ, talem naturam fieri unam per cognitionem rei aliter ac est. Hoc improbatum est num. 41. ex P. August. Impugnatur etiam ex dicto num. 41. ex D. Thoma, quia videre colorem sine odore, non est videre aliter ac est;

sed est videre, quod tantum in specie repræsentatur. Quod patet, quia visio ocularis est intuitiva, & sic perfectior inter omnes cognitiones sensitivas: ergo non est visio rei aliter ac est in se, sed est visio rei, quæ est, & ut est visibilis in se per propriam speciem: propria autem species coloris non repræsentat odorem; quare videtur color, & non videtur odor, unde videtur sine odore, ly sine negante solum visionem odoris. Sed in hoc non est alietas propria, sed solum præcisiva, quæ non opponitur visioni intuitivæ, & rei ut est in se: ergo pariter dum cognoscitur natura sine singularibus, per speciem repræsentantem naturam, & non singularia, non cognoscitur res aliter ac est alietate propria, sed præcisiva, modo explicato exemplo visionis.

Improbatur etiam ex nostro Ægidio quæst. 11. de cognitione Angelorum §. Propter primum ubi explicans discrimen inter intellectum Divinum, Angelicum, & humanum, dicit ex eodem discriminari etiam species, Divinam, Angelicas, & humanas. Nam intellectus Divinus omnia intelligit per unicam speciem, quæ repræsentat omnes essentias creaturarum, nedum existentes, sed etiam possibles; Angelus intelligit per multas spe-

species, quæ repræsentant solum creaturas existentes, quantum ad essentiam, & quantum ad existentiam quam habent in singularibus. Homo per plures species, quæ repræsentant quidditates secundum se, & essentialiter, sed non ut existant in singularibus. En verba B. Doctoris: *Dignum est quòd species illæ (intellige Angelicas) majorem habeant efficaciam in representando, quàm species in intellectu nostro, repræsentant naturam secundum se, non autem secundum esse, quòd habet in suppositis: sed species in intellectu Angelico repræsentat naturam secundum esse quòd habet in suppositis* &c. Hinc inferre, quòd Angelus simul cognoscit naturam humanam, & singularia, in quibus est natura. Sed nos tantum cognoscimus naturam, & non singularia.

En argumentum. Cognoscere naturam secundum se, & ut est essentialiter, non est cognoscere naturam aliter ac est in se, alietate propria, sed præcisiva: sed nos cognoscendo naturam, & non singularia, cognoscimus naturam secundum se, & ut est essentialiter: ergo non facimus universale per cognitionem rei aliter ac est in se, alietate propria, sed purè præcisiva.

5. V. Urgetur. Cognitio, in qua formaliter consistit veritas non est cognitio rei aliter ac est: sed veritas formalis naturæ humanæ, & cujuscumque objecti cogniti à nobis, consistit in cognitione naturæ secundum se præcisivè à singularibus: ergo cognitio talis non est rei aliter ac est in se. Major patet, quia veritas formalis consistit in cognitione conformi objecto ut est in se; implicat autem esse sic conformem, si sit cognitio objecti aliter ac est in se. Minor probatur. Cognitio humana non potest esse alio modo conformis objecto, nisi modo quo species humana conformantur objecto representato: sed species nostræ (ad differentiationem specierum Angelicarum) solum repræsentant naturam secundum se, præcisivè à singularibus, & sic sunt ei conformes: ergo &c. De hoc egimus lib. 2. precedenti quæst. 5. §. 2.

§. VI.

Nostra sententia proponitur & explicatur, & probatur.

45. **N**OSTRA sententia circa præcisivam unitatem hujus questionis, breviter

propdita est hæc. *Universalia sunt in rebus, eo modo ipso quo veritas est in rebus.* Hæc conclusio est D. Thomæ quæst. 1. de veritate per totam, & 12. par. quæst. 17. & alibi sapius. Eandem docet N. Egidius in 1. Sentent. dist. 19. art. 1. & alibi sapius, ubi cum D. Thoma asserit tria esse genera entium; nam alia habent esse completum extra animam, ut homo, lapis &c. alia nihil habent extra animam, sicut somnia, imaginatio, & chimera: alia habent esse extra animam, sed complementum accipiunt ab anima; ut sunt veritas, universale, & tempus. Observa quod hæc doctrina D. Thomæ apparenter improbat a nostro Doct. ubi supra: Dicimus *apparenter*; quia in re illam approbat, & solum discrepat in modo explicandi datam divisionem.

Ex his probatur conclusio ista contra Nominales, & alios. Universale juxta D. Thomam, & Egidium pertinet ad idem genus entium cum tempore, & veritate: sed tempus, & veritas dantur in re, & solum complentur per animam, quare pendent ab anima solum pro suo complemento: ergo universale datur in rebus, & solum pendet ab anima pro complemento sui esse. Rursus negari non potest, quod tempus da-

tur in re; immo ab eo denotantur omnes res temporales; negari etiam non potest dari veritatem in rebus; ab ea enim aurum est verum aurum, distinctum ab apparenti; homo, verus homo distinctus a ficto: ergo negari non potest dari universalia in rebus. At quæris quomodo? Respondemus in generali, eo modo dari in rebus, quo in rebus est veritas. Explicabimus quomodo detur veritas, & inde constabit qualiter sint universalia in rebus.

46. Omnis ens est verum, bonum, aliquid, unum, ut supponimus ex communi doctrina, ex qua sumimus quidquid dicendum est pro explicanda veritate. Est ens, quia dicit ordinem ad existentiam; est verum, quia dicit ordinem ad intellectum, à quo est cognoscibile, est bonum, quia dicit ordinem ad voluntatem, à qua est amabile, & appetibile; est aliquid, quia per suam entitatem excludit nihil: tandem est unum, quia est indivisum in se, & divisum à quolibet alio. Hinc est quod *verum* solum addit supra ens, ordinem ad intellectum, sicut *bonum* addit supra ens solam relationem ad appetitum. Atqui in rebus datur *ens*; ergo in rebus datur *verum, bonum, & unum* per modum

Sed nota, quod hæc veritas, & bonitas, quæ datur in re-

rebus secuta ad ens, vocatur veritas *transcendentalis*: veritas autem *formalis* (ut omitamus bonitatem formalem, quæ etiam datur in rebus) veritas inquam formalis non datur in rebus, sed in intellectu. Ratio est, quia veritas formalis non consistit in entitate objecti cognoscibilis, sed in conformitate intellectus cum entitate objecti: quare dicit Philosophus in Prædicamentis, *Ab eo quod res est vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Est sensus quod cognitio est vera si conformetur cum objecto, cognoscendo illud ut est in se; si verò aliter cognoscat, cognitio est falsa. Quare veritas formalis consistens in hac cognitione conformi, solum datur in intellectu, teste eodem Aristot. 6. Metaphysicæ ubi ait: *Verum, & falsum sunt in anima.* Intellige verum *formale* est in anima; sed verum *transcendentalis* est in rebus extra animam. De hoc egimus lib. 1. Logicæ quæst. 8. §. 6. per totum.

At quoniam cognitio nostra causa datur à rebus, quia res immittunt species, quas per oculos, & alios sensus recipimus, & ideo *Cognitio nostra incipit à sensu*, teste eodem Aristotele, ideo veritas, transcendentalis reperta in rebus, vocatur veritas *causalis*; veritas autem for-

malis vocatur *causata*. Quare veritas adæquatè sumpta juxta D. Thomam, & Egidium est in rebus ut *in causa*, in intellectu ut *in subjecto*; & in enuntiatione ut *in signis*; per quod veritas latens in intellectu, ad extrà manifestatur. Hinc colliges, quod *Sicut veritas est in rebus causaliter; ita universalia sunt in rebus causaliter.* Rursus, *Sicut veritas est in solo intellectu formaliter; ita universalia sunt in solo intellectu formaliter.* Rursus, sicut, ut cognoscamus res, non est necessarium quod veritas sit in rebus formaliter, sed sufficit quod sit in eis causaliter, ita ut habeamus scientiam de universalibus non requiritur, quod universalia sint in rebus formaliter, sed sufficit quod sint in eis causaliter. Hæc veluti principia contra tibi persuade contra Nominales, & contra negantes scientiam de rebus ob brevium tantum 47. Restat, nunc quantum cum Thomis, & aliis Philosophis realibus admittentibus scientias, quomodo hæc universalia sint formaliter in intellectu, & causaliter in rebus. Eodem exemplo dirigenda est hæc difficultas, & nostra sententia explicanda. Dicimus, quod veritas formalis dicitur *in intellectu*, hæc est *Cognitio abstracta ut est in se.* Hæc videtur tria esse scilicet. *Cognitio abstracta ut est in se.*

gnitum; & relatio conformitatis inter utrumque. Licet ergo veritas formalis sit solum intra intellectum, at non omnia tria illa sunt solum intra intellectum. Nota hoc attentissime, nam hic consistit tota doctrina nostrae sententiae. Datur ergo solum intra animam *Cognitio*, & *relatio conformitatis*. Ceterum objectum cognitum non datur intra animam, sed extra illam in rerum natura. Solum enim intra animam datur imago objecti, illud representans. Ita D. Thomas 1. par. quaest. 85. art. 2. ad secundum, cujus verba dedimus num. 42. Et noster Agidius loco laudato 1. Sent. dist. 19. quaest. 2. art. 1.

Hoc modo universale formaliter tria dicit, scilicet *Cognitionem naturae*, *naturam sic cognitam*, & *Relationem rationis naturae ad singularia*. Et licet universale formaliter solum sit intra animam; at non sunt intra eam omnia tria haec, sed solum duo, scilicet *cognitio*, & *relatio rationis*. Natura autem cognita extra intellectum est, & non intra. En verba Agidij loco laudato, *Natura rei considerata praeter conditiones materiae* (hoc est abstracta à singularibus) *quae est universale, est in ipsa re, eo quod non praedicatur de re essentialiter, nisi quod est in re*. En as-

sertum nostrum & ratio. *Hoc* mo est quid universale. Dum praedicatur sic *Petrus est homo*, praedicatur natura quae est in re extra intellectum, quia sola illa potest convenire Petro: si enim alia natura, quae non esset in re, sed in intellectu, praedicaretur; tunc propositio foret falsa, quia Petro nequit convenire per identitatem, nisi natura, quae est in re.

Ob istam rationem dicitur, quod universale secundum esse formale est in intellectu, & secundum esse materiale est extra, & in rebus. Est dicere, quod forma universalitatis, scilicet cognitio, & relatio rationis sunt intra intellectum; ceterum subjectum talis formae, hoc est natura quae denominatur universalis, est in re extra intellectum. Dicitur etiam, quod *Intellectus facit universalitatem in rebus*; & non dicitur quod *facit universale*. Ratio est, quia universalitas est relatio rationis; & haec fit ab intellectu. Ceterum universale dicitur duo explicata, quorum unum est natura, & haec non fit ab intellectu, sed existit in re extra. Hoc modo etiam veritas secundum esse formale est in solo intellectu, & ab eo fit, sed secundum esse materiale non fit ab intellectu, sed est extra in re.

48. Hinc sequitur, quod sicut veritas formalis est pos-

ste

terior ad veritatem transcendentalem, & causalem, quia ab ista causatur: ita universale formaliter est posterius ad universale causaliter, & causatur ab isto. Et in hoc fundatur illa divisio universalis in universale *ante rem*, *in re*, & *post rem*, quam supra explicavimus. Universale *ante rem* datur in Divinis ideis, quae sunt ab aeterno, hoc est universale Platicum, de quo egimus quaest. praecedente. Universale *in re* datur in ipsis rebus, & de hoc est ista quaestio. Universale *post rem*, est illud quod datur in intellectu, causatum ab universali *in re*. Eodem modo distinguenda est veritas *ante rem*, & haec datur in ideis Divinis, ubi creaturae sunt verae ab aeterno veritate aeterna Divinae essentiae. Veritas *in re*, & haec est veritas transcendentalis, vel causalis, indistincta à rebus: & veritas *post rem*, & haec datur formaliter in solo intellectu.

Sequitur secundo, quod sicut non daretur veritas formalis in intellectu, nisi prius in rebus esset veritas causalis; ita non posset dari universale formaliter in intellectu, si prius in rebus non daretur universale causaliter. Hoc est validum argumentum contra Nominales ad probandum universalia in rebus, semel quod admittant universalia in vocibus, & actibus in-

tellectus. Prima sequela patet, quia veritas formalis, & universale formaliter causantur eodem modo ab objecto in re extra: ergo si objectum in re extra non esset verum transcendentale, & universale causaliter, non posset cognosci cognitione conformi objecto; & sic nec verum, nec universale formaliter darentur in intellectu.

49. Sequitur ultimo, quod cognitio faciens universale, hoc est cognitio abstractans naturam à singularibus, & cognoscens eam sic, veli non est vera; vel non est universalis factiva; vel datur in rebus unitas specifica, & formalis positiva, quae est una specificè, & essentialiter. Hic jam nostram sententiam circa unitatem formalem in rebus explicamus. Probatum sequela sic: Dum intellectus abstractans naturam, cognoscit illam sine singularibus; vel cognoscit naturam istam ut unam specificè, & unitate formali; vel ut plures. Si ut plures? Ergo non, facit universale. Patet consequentia, quia universale est unum in pluribus; natura autem cognita, ut plures, non est una, nec ut una cognoscitur. Ergo restat quod cognoscat naturam humanam, ut unam unitate formali. Nunc sic. Vel ergo cognitio talis est vera, vel falsa. Si falsa. Ergo scientiae agentes

tes

res de universalibus, agunt de falsitate, & media falsitate quarant veritatem; quod implicat: non enim falsitas ducit ad veritatem, sicut nec Magorum stella ad Herodem, sed ad Christum, qui est *via & veritas*. Si vera? Ergo conformis objecto ut est in se. Sed nequit cognoscere naturam ut unam formaliter, se conformando objecto, nisi in objecto sit unitas formalis positiva: ergo tenet sequela, & unum ex tribus necessarium est, scilicet quod vel intellectus non facit universalis; vel non facit verè; vel si verè, dantur in rebus universalis causaliter, quæ sunt unitas specifica formalis positiva.

Hinc num. 40. diximus contra sententiam communem Thomistarum, quod unitas formalis in re extra non est sola similitudo in prædicatis naturæ, sed debet esse vera unitas. Ratio ex dictis patet, quia si in re non est unitas, & intellectus concipit unitatem, fallitur intellectus, & est difformis objecto: sed intellectus difformis objecto, est falsus formaliter: ergo cognitio ejus est formaliter falsa. Restat ergo ut ponas cognitiones nostras formaliter veras, quod cognitio attingens naturam, ut unam formaliter, & verè unam; verè inveniat in re extra unitatem veram, & non solam similitu-

dinem, quæ est unitas impròpria.

50. Hæc unitas formalis, quam in natura defendimus. si velis illam diffinire, oportet supponere communem diffinitionem unitatis. Unitas est *Indivisio in se, & divisio à quolibet alio*. Hoc modo unitas specifica v.g. naturæ humanæ est *Indivisio specifica, & essentialis in se, & divisio à quolibet alio specificè distincto*. Atqui à parte rei natura humana est indivisa in se specificè; & est specificè divisa ab omni alio specificè distincto: ergo à parte rei natura humana est una formaliter positivè, & specificè. Probatur hæc min. A parte rei natura humana solum dividitur in Petrum, Paulum, & alios homines; at hæc divisio non est in species distinctas, sed in individua ejusdem speciei, quare est divisio numerica, non autem specifica: ergo natura humana est *Indivisa in se specificè, & formaliter*. Quoad secundam partem patet, quia natura humana differt ratione sui, ab equina, lupina, & alijs, quare est *Divisa à parte rei à quolibet alio specie distincto*.

Hæc ratio, & doctrina sumitur ex nostro Agidio quæst. 7. de cognitione Angelorum §. Propter primum, ibi: *Diversæ species, ut leo, & homo habent diversas formas ratione ipsius for-*

formæ, eò quod talia differunt specie; cum ergo species sit idè quod forma, differre specie, est differre formæ. Propter quod diversæ species habent diversas formas ratione ipsius formæ. Sed diversa individua sub eadem specie, habent diversas formas ratione materiæ; ita quod in talibus dividitur forma propter materiam: ut quia unus & idem leo non constat ex tota materia sua, in diversis partibus materiæ poterunt recipi diversæ formæ leoninæ. Sed si cõstaret leo ex tota materia sua, non esset nisi unus leo in specie leonis, & non esset nisi una anima leonina.

51. Hæc doctrina quæ est perpetua etiam in D. Thoma designante materiam pro principio numericæ multiplicationis, multa continet à nobis notanda. Primum est quod distinctio specifica est distinctio formalis; distinctio autem numerica est distinctio materialis. Probatur. Quia distinctio specifica sumitur à forma; distinctio numerica à materia sumitur: ergo illa est formalis, & ista materialis. A contrario unitas specifica est unitas formalis; unitas numerica est unitas materialis. Probatur, quia unitas specifica sumitur à forma; unitas numerica sumitur à materia: ergo illa est formalis, hæc est materialis.

Secundum notandum est. Distinctio specifica datur inter res habentes distinctas formas; distinctio numerica etiam inter res habentes distinctas formas. Sed cum hoc discrimine, quod res specie distinctæ habent diversas formas distinctione sumpta à forma; res numero distinctæ habent distinctas formas distinctione sumpta à materia. Exemplum primi leo, & homo. Exemplum secundi duo leones, vel duo homines.

52. Quæres. Quando distinctio inter formas sumitur à materia, quando ab ipsa forma? Respondemus, quando formas habent diversam essentiam, tunc distinctio sumitur à forma, & est distinctio specifica ut anima hominis, & equi, hæc enim est *Principium hincendi illa principium discurrendi*. Quando autem formæ habent eandem essentiam ut duæ animæ æquinæ, tunc distinctio sumitur à materia.

Tertium notandum contra aliquos RR. qui dum audiunt unitatem, & distinctionem specificam applicari rebus extra intellectum, negant suppositum, & putant implicationem, ut videbis apud M. Palanco. Moventur isti, quod unitas, & distinctio specifica est opus intellectus, & solum convenit rebus ut sunt in intellectu. Non sic certè, non sic, ut

82 LIBER III.
hic vides ex nostro Doctore ; qui explicat distinctiones specificam, & numericam sine recur-
su ad conceptus intellectus, re-
currando ad formas, quæ dan-
tur in re extrâ ; istæ sunt prin-
cipium distinguendi formaliter,
vel materialiter ; hoc est distin-
ctione sumpta à forma, vel à
materia.

Quartò notandum, quòd
unitas, & distinctio solùm pug-
nant in eadem linea ; hoc est
unitas specifica eum distinctio-
ne specifica ; numerica cum nu-
merica ; ceterùm unitas spe-
cifica non pugnat cum multi-
plicatione, & distinctione nu-
merica. Ratio est clara, quia
sumuntur à diversis principijs :
atqui stat quòd detur distinctio
ex parte materiæ, & non de-
tur ex parte formæ, ut patet
inter duos leones juxta dicta ex
Ægidio : ergo stat quòd illi sint
unum formaliter & specificè,
& sint plura numericè. His no-
tatis, & comprobatis, ut nostrâ
doctrinam in unum colligamus,
en sequens assertio circa uni-
tatem formalem, de qua est to-
ta difficultas.

53. Sit nostra conclu-
sio. *A parte rei in rebus da-
tur unitas formalis positiva,
distincta ab unitate, quam de-
fendunt aliæ sententiæ supra
memorate.* Discrimen est, quia
Caramuël, Venetus, & Bur-
læus, ponunt illam realiter di-

DE UNIV.
distinctam à singularibus. Nos autem
realiter cum illis identifi-
catam. P. Fonseca ponit illam
in natura solitaria, non autem
in ea ut contracta. Nos ponimus
illam in natura pro quo-
cumque statu. Scotistæ ponunt
illam formaliter ex natura rei
distinctam à singularitate ; nos
identificatam cum singularibus.
Rursus isti docent naturam in
Petro v. g. esse indifferentem
ad essendum in Paulo, & in hac
indifferentia salvant unitatem
formalem. Nos negamus talem
indifferentiam, ut supra proba-
tum est. Thomistæ docent tot
esse unitates formales, quot in-
dividua, quia in quolibet est
sua natura, & unitas specifica.
Nos dicimus, quòd in nullo in-
dividuo solo datur unitas for-
malis hæc, sed in omnibus col-
lectivè. Quare unitas naturæ
humanæ non est in solo Petro
totaliter, sed in eo, & reliquis.
Hæc discrimina habe ante oculo-
los, interim probamus conclu-
sionem nostram.

Probatur primò conclu-
sio ex Aristotele, qui in has
angustias nos impulit, ut rece-
deret à Platone. Ipse 5. Meta-
physicæ textu 11. dicit, *Uni-
versaliter enim quæcumque nō
habent divisionem, in quantum
non habent, sic unum dicuntur ;
ut si in quantum homo non ha-
bent divisionem, unus homo ; si
verò in quantum animal, unum ani-*

QUEST. III.
animal. Hæc verba pro se alle-
gat Merinero nobis in hac quæst.
contrarius disp. 1. de univers.
quæst. 3. sect. 1. At ea sunt
fatis expressa pro nobis, quare
arguimus sic. Juxta Aristotelē,
quæcumque non habent divi-
sionem, in quantum non ha-
bent, sunt unum : sed duo ho-
mines v.g. à parte rei non ha-
bent differentiam, & divisionē
formalem aut specificam : ergo
sunt unum formaliter, & posi-
tivè.

Confirmatur. Petrus, &
Paulus in quantum homo, non
habent divisionem ; leo, & e-
quus in quantum animal, divi-
sionem non habent : sed quæ
non habent divisionem in quan-
tum homo, sunt unus homo ;
& sic sunt unum positivè ; &
quæ non dividuntur in quantum
animal, sunt unum animal ; &
sic etiam unum positivè : ergo
à parte rei datur juxta Aristotelem
unitas formalis positiva.
Minor continet verba Aristot.
Major probatur. Petrus, & Pau-
lus solùm differunt ratione ma-
teriæ, non ratione formæ : sed
si differrent in quantum homo,
differrent ratione formæ : ergo
non differunt in quantum homo.
Vide dicta à num. 50. Rursus
Petrus, & Paulus non differunt
in quantum convenient : sed cō-
veniunt in natura humana : er-
go non differunt in quantum ho-
mo. Rursus Petrus, & Paulus

§ VI. 83
differunt in natura humana nu-
mericè, & conveniunt specifi-
cè : ergo sunt duo homines nu-
mericè, & unus specificè ho-
mo : sed unus homo, specificè
unus, habet unitatem formalem
positivam : ergo à parte rei in
Petro, Paulo &c. datur juxta
Aristotelem unitas formalis po-
sitiva.

54. Probatur secundò
conclusio nostra ex P. August.
lib. 7. de Trinit. cap. 6. ubi ait :
*An sicut dicimus aliquos tres
homines ejusdem sexus, ejus-
dem temperationis corporis, e-
jusdemque animi unam esse na-
turam ; TRES ENIM SUNT
HOMINES, SED UNA NA-
TURA, sic etiam ibi dicimus
(scilicet in Divinis) tres Perso-
nas unam substantiam, vel
essentiam ?* Respondet negativè
ob disparitatem claram inter
naturam creatam, & Divinam.
Nobis sufficiat scire tres Per-
sonas habere in Divinis unam
numero naturam : tres autem
homines habent tres naturas
numericè distinctas, & solùm
sunt unum unitate specifica. En-
juxta S. P. illi homines sunt
tres, sed natura eorum una est :
sed non est una in eis natura
numericè, alioquin in creatis
daretur mysterium Trinitatis :
ergo natura eorum est una spe-
cificè, formaliter, & positi-
vè.

Ut autem clarè videas S
L2 P.

P. loqui de unitate specifica naturæ, ecce verba in terminis de unitate specifica loco laudato, dicit sic: *Si autem species est essentia* (intellige essentiam Divinam) *sicut species est homo, tres verò illæ quas appellamus Personas, sic eandem speciem communiter habent, quemadmodum Abraham, Isaac, & Jacob, speciem quæ homo dicitur communiter habent; non sicut homo dividitur in Abraham, Isaac, & Jacob, ita unus homo, & in alios singulos homines subdividi potest; omnino enim non potest, quia unus homo, jam singularis homo est.* Ecce P. N. dicit, quod tres homines illi *Habent communiter speciem quæ homo dicitur: At species, quæ dicitur homo, est natura humana una formaliter, & positivè: ergo juxta S. P. datur à parte rei in singularibus unitas formalis positiva.*

Quod autem hæc unitas in nullo singulari detur totaliter, ut volunt aliæ sententiæ, sed in omnibus collectivè; hoc est caracter sententiæ nostræ in hac quæst. Probatur ex dictis tum a Philosopho, tum à P. Augustino, ex Philosopho, quia licet Petrus, & Paulus singuli sint homines, & simul *unus homo*, nullus eorum seorsim ab alio, est totaliter *ille unus homo*. Ratio est clara, & sumitur ex dictis à P. Augustino. *Homo*

quem Petrus, & Paulus *communiter habent*, non est *homo singularis*, quia est *homo*, qui dividi potest in Petrum, & Paulum: at Petrus seorsim ab alio est *homo singularis*, qui non potest dividi in alios homines: ergo unitas propria hominis in quo sunt *unus homo*, hæc non datur adæquatè in aliquo singulari, sed in omnibus collectivè.

Explicatur, & confirmatur ex Philosopho 1. de Cælo cap. 92. dicente: *Cum dico hoc Cælum, dico materiam; cum dico Cælum, dico formam*. Sensus est juxta nostrum Egidium, cum dico *Cælum*, dico unitatem specificam, quæ sumitur à forma; cum dico *hoc Cælum*, dico unitatem numericam, quæ sumitur à materia. Ergo cum Philosophus, & P. Augustinus dicunt *homo*, indicant unitatem specificam formalem naturæ; cum dicunt *hic homo*, indicant unitatem numericam. Atqui licet Petrus, & Paulus sint cum alijs *Homo specificè sumptus*, nullus seorsim est totaliter *Homo specificè sumptus*: ergo hæc unitas formalis, quæ à nobis probata est, non est totaliter in aliquo, sed in omnibus collectivè. Probatur min. *Homo specificè sumptus*, potest dividi in Petrum, Paulum &c. ut vidimus ex P. August. sed Petrus non est se solo *homo*, qui sic di-

vidatur; est enim Petrus se solo *homo singularis*, qui non est divisibilis: ergo licet &c.

55. Probatur tertio nostra conclusio ex D. Thoma opusc. 42. cap. 7. ubi ait: *Est tamen in ipsa natura absolutè accepta, secundum quod non est in inferioribus considerata, quædam unitas, cum diffinitio ejus sit una. & nomen unum, ut patet.* Hæc celebris autoritas Angelici Mag. nedum apparet bifacialis, sed trifacialis, quia P. Fonseca, ipsi Thomistæ, & nescio an Scotistæ, suas probant sententias his verbis; sed credimus, ni fallimur, ea expressa esse pro nobis. Vult P. Fonseca eis probare unitatem positivam naturæ in solo statu solitudinis, quæ negat in statu contractionis. Hoc est contra D. Thomam expressè lib. de ente, & essentia cap. 4. ut testatur Suarius, annuntiant Thomistæ, & nos probavimus supra num. 19. Volunt Thomistæ his verbis probare suam unitatem negativam in statu solitudinis, quam negant in statu contractionis. Hoc etiã est contra D. Thomam expressè tum 4. de ente & essentia; tum eodem opusc. 42. cap. 7. unde autoritas accepta est. Hoc vide multis comprobatum supra num. 36.

Ergo nisi velis applicare autoritatem istam pro sententiâ Scotica, quam nec ipsi Sco-

tistæ fatentur esse sui Subtilis Doctoris, restat à sufficienti partium enumeratione, quod autoritas pro nostra sententiâ sit. Ceterum ne levibus conjecturis D. Thomam patronum adducamus, ecce sequentes confirmationes nostræ sententiæ.

Sit prima ipsa autoritas allegata. In ea S. Doctor ponit unitatem *In natura absolutè accepta*, & addit *convenire naturæ secundum quod non est in inferioribus considerata*. Ergo convenit unitas hæc naturæ ut natura est, non naturæ, ut in hoc singulari est; vel convenit naturæ ut abstractæ à singularibus. Clarius *ly absolutè accepta* vel dicit statum solitudinis, vel statum abstractionis. Sed non statum abstractionis, quia in isto datur alia unitas facta ab intellectu, & fundata supra unitatem naturæ; hic autem D. Thomas loquitur de unitate naturæ. Ergo loquitur de unitate conveniente naturæ in statu solitudinis. Nunc sic. Sed juxta D. Thomam ibidem unitas conveniens naturæ in statu solitudinis, vel secundum se, convenit ei in omni statu, ut ibi docet: ergo unitas de qua hic D. Thomas, est quæ convenit naturæ in omni statu.

Nunc iterum Sed D. Thomas de hac unitate in omni statu conveniente naturæ, dicit quod non descendit ad inferiora

ra, ibi: *Secundum quod non est in inferioribus considerata*: ergo D. Thomas ponit in natura unitatem formalem in omni statu ei convenientem, quæ non descendit ad inferiora. Atqui sola nostra sententia ponit talem unitatem positivam in natura: ergo D. Thomas est pro sola nostra sententia. Probatur hæc min. Aliæ sententiæ ponunt unitatem positivam, vel negativam in solo statu solitudinis. Scotus ponit juxta dicta de mente discipulorum §. 4. unitatem in ipsis inferioribus. At nostra sententia ponit unitatem positivam specificam in natura pro omni statu, quæ in nullo individuo est totaliter, nec in duobus, sed in omnibus collectivè; quare non descendit ad inferiora, ut dictum est: ergo sola nostra sententia ponit illam unitatem, quam hic adstruit D. Thomas.

56. Confirmatur secundò ex D. Thoma ibidem dicente: *Alia est autem unitas naturæ, quam habet ab intellectu, in quam omnia supposita conveniunt; ideò unitas, quam facit intellectus in tali natura, fundatur super unitatē in re inventam, quæ una est illa unitate.* En unitas duplex, una facta ab intellectu, & convenit naturæ in solo statu abstractionis; altera inventa in re, qua res illa una est in rerum

natura. Super istam unitatem realem naturæ fundatur unitas facta ab intellectu. Atqui hæc unitas realis fundans, est illa quam nos adstruimus, non autem quam aliæ sententiæ propugnant: ergo in eo opusculo de universalibus D. Thomas plenè est pro nobis. Minor est exclusiva aliarum sententiarum, & inclusiva nostræ. Quoad alias sententias breviter ex dictis accipe sequentia.

Unitas P. Fonseca excluditur, quia illa, sicut & Thomistica negativa, solum datur in statu solitudinis; hic status non datur à parte rei, & in re, ut ipsi Thomistæ nobiscum probaverunt contra P. Fonseca supra num. 20. Atqui D. Thomas loquitur de unitate in re inventa; dicit enim, quòd unitas facta ab intellectu *Fundatur super unitatem in re inventam*: ergo non loquitur D. Thomas de unitate negativa Thomistica, nec de positiva P. Fonseca. Rursus nec loquitur de illa unitate impropria, & similitudinis, quam ponunt Thomistæ pro fundamento suæ unitatis rationis. Quia hæc unitas est similitudo individuorum, & non sufficit ad concipienda individua, ut idem in natura, sed ut similia; alioquin falsò conciperet intellectus, ut probatum est à nobis supra num. 40. ergo habemus certam minorem quoda

ad exclusivam aliarum sententiarum.

Pro nostra autem sic. Primò unitas fundans, & unitas fundata debent plenè proportionari: sed unitas abstractionis fundata, est unitas formalis positiva conveniens naturæ secundum se, & quæ non descendit totaliter ad singularia, dum actualiter prædicatur: cum juxta D. Thomam, & Ægidium non prædicetur universaliter, ut lib. seq. dicemus: ergo unitas formalis naturæ fundans, est unitas formalis positiva, conveniens naturæ secundum se, quæ non descendit ad inferiora, dum per illa contrahitur. Talis est quam defendimus, & sic pro nobis est D. Thomas.

Secundò unitas ista quam in natura agnoscit D. Thomas est unitas, *In quam omnia supposita conveniunt*: sed talis est, quam ponit nostra sententia: ergo S. Doctor adstruit nostram unitatem. Major est constans, quia unitas fundata, est in quam omnia singularia conveniunt, ut dicit D. Thomas: ergo & unitas fundans; alioquin fundamentum, & res fundata, non cohererent. Minor est certa, quia omnia individua humana participant unitatem positivam naturæ humanæ in nostris principijs, & sic omnia supposita conveniunt in illa. Immo quia *Participare est partem capere,*

non totum; in nostra sententia verificatur, & non in alijs. participatio hujus unitatis naturæ, quia nullum individuum eam capit totam, & totaliter, sed partem; quare in nullo singulari est totaliter, sed in omnibus collectivè sumptis, ut dictum est.

Tertiò unitas de qua hic D. Thomas est illa, quam concedit naturæ cap. 4. libri de ente, & essentia, ut vidimus num. 55. & hæc est illa, quæ convenit naturæ ut definibili unica diffinitione, & nominabili unico nomine: at talis est unitas quam nos ponimus: ergo idem. Probatur min. unitas nostræ sententiæ est illa, quæ convenit naturæ habenti unicam, & indivisibilem essentiam indivisione formali; quare vocamus illam formalem, & specificam, quia est propria essentiæ; & positivam, quia est passio entis positivi: sed natura est diffinibilis unica diffinitione, quia habet unicam essentiam; & est nominabilis unico nomine, ob eandem rationem: ergo unitas, quam ponit nostra sententia, est illa &c.

57. Quartò probatur ex nostro Fundat. Doct. tum ubi supra laudato num. 50. ubi præcipuum fundamentum nostræ sententiæ docet discernens quid sit differre specificè, quid numericè; quid sit differre per formam ratione formæ, at per for-

formam ratione materiæ : sed ibi docet expressè duos leones non differre per formam ratione formæ ; & sic non differre formaliter, specificè , & essentialiter , sed purè materialiter : ergo sentit, quòd in utroque leone natura est una specificè formaliter, & positivè, quin huic unitati obiter pluralitas materialis, & numerica, quæ sumitur ratione materiæ diversæ.

Eandem doctrinam ubique docet, & eam amplius exprimit in 2. Sentent. distin. 17. quæst. 2. art. 1. ad quartum ubi ait : *Cum particularia, sive individualia differant per materiã, quia in alia, & alia parte materiæ recipitur alia, & alia individualis forma, & differant per conditiones materiæ ; si quis posset cum dolabro, vel aliquo instrumento removere has differentias individuantes ab individuis ejusdem speciei, fierent unum.* Ecce qui cum dolabro tolleret à Petro, & Paulo, differentias individuales, iste redderet naturam utriusque unã unitate formali, & positiva: at iste tunc nihil poneret in natura ; immò tolleret cum dolabro singularitates : ergo quia nunc est in natura per illos contracta unitas formalis specifica juxta nostrum Doct. Patet consequentia, quia si nunc natura non haberet hanc unitatem, etiam tunc in casu dola-

bræ intercidentis, illam non haberet, nisi alio instrumento illam poneret. At tunc nihil ponendo, sed auferendo, haberet natura unitatem formalem specificam : ergo & nunc.

58. Quintò probatur conclusio nostra à ratione sic. Iuxta Aristotelem, & sententiam ejus communem, natura humana abstracta à singularibus habet unitatem formalem positivam : ergo natura humana à parte rei contracta per individua, habet in illis unitatem formalem positivam. Probatur consequentia, si natura abstracta habet istam unitatem, species impressa representans naturam representat illam, ut unam formaliter positivè sed si species impressa representat naturam cum ista unitate, illam habet in re extrã : ergo si natura abstracta habet unitatem formalem positivam, etiam natura contracta illam habet in re. Probatur maj. Eo modo intellectus cognoscit naturam, quo illi representatur per speciem impressam : ergo nisi in specie impressa representetur natura sine singularibus, & sic ut una formaliter positivè, nequit intellectus abstrahens cognoscere naturam, ut unam positivè, & consequenter si natura abstracta habet unitatem &c. Min. est certã etiam, quia si species representaret naturam

ram cum unitate, quam non habet in re, falsò representaret; & hoc repugnat speciei impressæ, quæ essentialiter est imago similis objecto.

Explicatur hæc ratio, quam si benè perpendas, invenies efficacem. Intellectus hoc ordine intelligit, dum non fallitur. Cognoscit ergo objectum, ut ei representatur per speciem impressam ; & species impressa representat objectum secundum illud esse quod in objecto est, & plenè illi conformis ergo nisi intellectus fallatur cognoscendo naturam unam formaliter positivè ; sequitur quòd in objecto à parte rei adest unitas formalis positivã. Nunc sic. Sed intellectus cognoscens naturam, & non singularia, per cognitionem præcisivam, cognoscit naturam humanam v.g. unam formaliter, & positivè ; nec in hoc fallitur : ergo quia in re natura humana habet unitatem formalem positivam. Minor quoad primam partem patet, quia per talem cognitionem fit univertale, ut dicit D. Thomas supra num. 42. allegatus. Univertale autem est unum formaliter positivè. Quoad secundam partem minor est certior ex eodem D. Thoma ibidem dicente, oculum attingere colorem pomi sine odore, quia sic sine odore representatur in specie : at visus non

fallitur sic attingens : ergo nec intellectus eodem modo præscindens.

Adde quòd si intellectus cognoscens naturam sine singularibus, fallitur ; nunquam poterit aliquid cognoscere, nisi fallatur. Hoc non potest concedi, nisi in detrimentum naturæ humanæ ; immò & Dei Conditoris, qui fecit naturam ita intellectivam, ut necessariò nihil intelligat, nisi fallatur : ergo sic cognoscens non fallitur. Probatur sequela majoris. Intellectus nullam rem potest intelligere, nisi ut representatam in specie impressa : sed in specie impressa nulla natura representatur cum singularitate, sed sine ea : ergo si intellectus &c. Probatur min. species impressa non representat intellectui objectum, nisi sit unita intellectui ; item nunquam unitur intellectui possibili, nisi priùs ab intellectu agente denudetur à phantasmatis, & conditionibus materialibus : sed singularitas est una ex conditionibus materialibus, à quibus species denudatur, ut vidimus lib. 2. ergo in specie impressa nulla natura representatur cum singularitate, sed sine ea.

Confirmatur hæc ratio. Intellectus cognoscens naturam cognitione directa ; vel cognoscit illam ut unam positivè formaliter, vel ut plures. Si ut plu-

res. Sequitur primò quòd cognoscit aliter, ac repræsentatur per speciem; & hoc est impossibile. Patet sequela, quia natura humana solum est plures ratione singularitatum, & principiorum individualium; ista non repræsentantur in specie, sed manent in phantasia, ut phantasmata vel vestimenta, à quibus species denudata est: ergo intellectus cognoscens naturam, ut plures, cognoscit eam aliter ac repræsentatur in specie. Hinc sequitur secundò quòd fallitur; quia voluntariè se difformat objecto, ut in specie repræsentato.

Si dicas quòd per cognitionem directam cognoscit intellectus naturam humanam, ut unam. En argumentum. Vel cognitio ista directæ est vera, vel est falsa, quia aliàs omnis cognitio talis, falsa esset, & sic nulla cognitio nostræ esset, quæ falsa non foret. Ergo cognitio illa directæ est vera. Sed cognitio vera debet esse confirmis objecto prout in re: ergo si cognoscit naturam ut unam formaliter, sequitur quòd natura in re sit formaliter una.

Confirmatur secundò, intellectus qui fallitur in cognitione objecti, non cognoscit objectum, in quo fallitur: sed si in natura à parte rei non datur unitas formalis positiva, fallitur intellectus in omni sua co-

gnitione: ergo si in re extrà non datur unitas formalis positiva, intellectus nihil unquam intelligit. Hoc consequens est magis absurdum, quàm negare scientias cum Heraclito, & Cratillo, de quibus suprâ. Major est expressa in P. Augustino lib. 83. qq. quæst. 32. Cujus verba dedimus suprâ num. 41. Minor probatur, intellectus cognoscens naturam, vel cognoscit illam, ut realiter unam, vel ut plures. Quidquid dicas, fallitur intellectus, si à parte rei non est in natura unitas formalis positiva: ergo &c. Minor quoad primam partem patet, quia cognoscere ut unam realiter naturam, quæ una non est, est falli.

Quoad secundam partem probatur, intellectus cognoscens naturam humanam, ut plures, vel cognoscit ut plures formaliter pluralitate specifica, vel ut plures pluralitate numerica. Si primum? Fallitur quia à parte rei Petrus, & Paulus non sunt plures specificè. Si secundum? Ergo cognoscit differentias individuales Petri, & Pauli per cognitionem directam naturæ. Patet consequentia, quia Petrus, & Paulus non sunt plures, nec possunt cognosci ut plures, nisi per suas singularitates. Atqui per cognitionem directam naturæ non cognoscimus singularia; quia nostræ species non repræsentant illa, sed

so-

sola species Angelicæ singularia repræsentant, ut vidimus ex nostro Agidio suprâ num. 44. & docetur etiam à D. Thoma: ergo per cognitionem directam naturæ, non possumus illam cognoscere ut plures, nisi concipiamus illam, ut plures specificè, & hoc est falli.

59. Quæres fortè: quomodo cognoscimus Petrum, & alios amicos nostros in singulari, si nostræ species non repræsentant singularia? Respondemus cum D. Thoma, & B. Agidio quæst. citata de cognitione Angelorum; quòd cognita natura universali per speciem impressam, intellectus convertitur supra phantasmata derelicta à specie, & sic percipit singularia. v.g. Vides Petrum. Oculos, & alij sensus externi solum percipiunt singularia. Intra species Petri singularis, vestita colore, magnitudine, & alijs lineamentis Petri, item cum singularitate ejus, qua vides Petrum non esse Paulum. Hæc omnia ornamenta species acceptæ per sensus sunt quædam materialia, quæ dicuntur græcè phantasmata. Hæc non possunt uniri intellectui spirituali; quare oportet speciem illam ab his denudari, ut uniatur intellectui. Denudatur, & remanent hæc ornamenta intra phantasia. Species autem denudata repræsentat humanam naturam Petri si-

ne singularitate, quare per illam speciem non cognoscitur Petrus, sed homo. Hæc est prima cognitio directæ; quo vides quòd per cognitionem primam directam nihil singulare cognoscitur, sed universales naturæ. Vis ergo cognito homine cognoscere Petrum in singulari? Oportet quòd tuus intellectus per eandem cognitionem primam convertat se super phantasmata, derelicta à specie; in eis invenit singularitatē Petri, quam cognoscit.

60. Dices pro solvenda ratione facta; primò quòd intellectus per primam cognitionem cognoscit naturam, sed non ut unam, nec ut plures, quare ab utroque præscindit, sicut præscindit à singularitate. Sed contrâ, intellectus cognoscens naturam, facit cum fundamento in re unitatem universalitatis: sed ut faciat illam cum fundamento debet cognoscere naturam, ut unam determinatè, vel ut plures: ergo non præscindit. Major patet, quia unitas universalis facta ab intellectu, fit per abstractionem ut infrâ dicemus. Minor probatur, ut faciat istam unitatem cum fundamento, debet cognoscere fundamentum existens in re: sed hoc fundamentum juxta D. Thomam est unitas realis naturæ, ut vidimus num. 56, & juxta Thomam est simili-

M₂

tudo

tudo inter individua, quæ importat pluralitatem, ut vidimus num. 40. ergo intellectus cognoscens naturam, debet illam cognoscere determinatè ut unam, vel plures.

Secundò, natura sic cognita, est diffinibilis unica diffinitione, & nominabilis unico nomine: sed juxta D. Thomam solum ratione unitatis redditur natura diffinibilis, & nominabilis unica diffinitione, & unico nomine, ut diximus num. 35. ergo natura sic cognita est una, & cognoscitur ut una. Tertio eodem modo cognoscitur natura, quo representatur in specie: sed in specie representatur determinatè ut una, vel ut plures: ergo sic cognoscitur determinatè. Probatur min. species non præscindit sicut intellectus, quare representat objectum pure denudatum à materialibus: ergo ut unum, vel plures. Rursus. Vel species representat naturam cum singularitatibus, vel sine eis; ab hoc enim non potest præsciudere. Si cum eis? Representat naturam, ut plures. Si sine illis? Representat naturam, ut unam. Patet consequentia, quia natura humana solum plurificatur per singularitates: ergo eis denudatis non representatur nisi ut una.

61. Respondetis secundò, quod intellectus cognoscit naturam ut unam exercitè, sed non ut unam signatè. Est

dicere quod intellectus cognoscens naturam cognoscit unitatem rationis, quam ipse facit in natura: non tamen cognoscit aliquam unitatem, quæ sit in natura ante cognitionem. De ista secunda procedit nostra ratio, sed illam non probat. Sed contra, nequit intellectus cognoscere naturam unam exercitè, quin cognoscat unam signatè: ergo solutio non tenet. Probatur antecedens, nequit intellectus facere unitatem suam in natura, nisi cum fundamento; & nequit sic facere, nisi cognoscat fundamentum: sed fundamentum unitatis factæ ab intellectu, est unitas signata, propria naturæ in re, ut vidimus ex D. Thoma num. 36. ergo &c.

Rursus. Antequam intellectus sua cognitione faciat unitatem in natura, existit representativè, & objectivè natura in specie; at hic in specie natura existens est una unitate, quæ præcedit cognitionem: ergo quidquid sit de unitate facta ab intellectu, datur ante illam unitas signata naturæ, tum in specie, tum in natura à parte rei. Præterea: Unitas facta ab intellectu est unitas tantum extrinseca naturæ, eodem modo unitas naturæ in specie impressa, & expressa, solum est extrinseca objecto cognito, ut probatum est à nobis supra num. 42. atqui unitas formalis, &

spe-

specificæ naturæ abstractæ, de qua procedit ratio nostra, non est unitas extrinseca: ergo ratio nostra probat in natura unitatem signatam, & propriam naturæ ante cognitionem. Probatur min. unitas formalis specificæ naturæ, est unitas essentialis, vel est unitas essentialis naturæ; at ista non est quid in extrinsecum, sicut essentialis extrinseca non est: ergo &c.

Præterea: Intellectus cognoscens naturam exercitè unam unitate facta ab intellectu cognoscit etiam naturam attentis suis intrinsecis habere unitatem, vel pluralitatem; si enim hoc non cognosceret, nullo fundamento duceretur ad faciendam unitatem in natura. Ergo ultra unitatem exercitam factam ab intellectu, cognoscit intellectus naturam in se intrinsecè esse unam, vel plures. Ergo reddit ad integram ratio nostra de unitate, vel pluralitate naturæ; nec infringitur solutione data recurrendo ad unitatem exercitam.

62. Sextò probatur conclusio nostra: juxta Aristotelem universale est per se incorruptibile, & ingenerabile, sed per accidens generatur, & corrumpitur; ita ait cap. de substantiis, *destructis primis substantiis, impossibile est aliquid eorum remanere*. At hoc non potest convenire universali formaliter

sumpto, ut habet esse in intellectu: ergo hoc convenit universali fundamentaliter accepto, scilicet pro natura universali. Nunc sic. Sed hoc nequit convenire singularibus, nec similitudini inter singulares ejusdem naturæ, quam ponunt Thomistæ pro fundamento universalitatis: ergo restat quod conveniat unitati specificæ naturæ, repertæ à parte rei, ut propugnat sententia nostra. Probatur min. subsumpta. Singularia sunt primæ substantiæ, & sic per se defectibiles. Rursus similitudo inter singularia est relatio, quæ non habet firmius esse, quàm suum fundamentum, & hoc sunt singularia. Ergo nec Thomistæ, nec alij DD. possunt designare aliquid per se incorruptibile.

Dices hoc esse secundas substantias, idest prædicata ista universalia, *Homo, sensibile, corpus, substantia*. Bene: hoc explicat ibi Arist. sed de hoc est illis: nam ista prædicata v.g. *homo*, vel dicit naturam, quæ solum est in Petro; vel dicit naturam, quæ est in omnibus individuis? Si primum. Natura illa non est universalis adhuc fundamentaliter, nec per se est incorruptibilis. Probatur sequela. Natura quæ solum est in Petro, est natura singularis, per se genita, & per se defectibilis: non enim per se ge-

ne-

neratur singularitas, sed natura singularis. Ergo natura quæ est in Petro, non est per se ingenerabilis. Sed juxta Philosophum secundæ substantiæ, & universalis, sunt per se ingenerabilia: ergo restat quòd *ly homo* dicat naturam, quæ est in omnibus, & non solum in Petro.

Nunc iterum, & parce prolixitati, nam hoc est unum ex mysterijs Aristotelicis. Querimus, *ly homo* dicens naturam, quæ est in omnibus; an dicat tot unitates formales, quot sunt homines, an unicam, quæ in nullo sit totaliter, sed in omnibus collectivè? Si primum. Respondes cum Thomistis sed vide impugnationem validam num. 39. & eam hic repono inter rationes probativas nostræ conclusionis. Rursus sicut natura ut in Petro est per se generabilis, ita & in alijs; multitudine enim generabilium per se, non facit per se ingenerabile. Ergo sicut natura Petri, quæ solum est in Petro, est per se generabilis, sic natura omnium hominum, ut est in singulis, si non habet unitatem alteram, quam aggregationis singulariū. Restat ergo secundum, scilicet quòd *homo* est per se ingenerabilis, quatenus dicit naturam cum unitate positiva propria naturæ, quæ non multiplicatur, nec est in singulis totaliter, sed in omnibus collectivè. Hoc

modo natura una hac unitate est universalis fundamentaliter, & per se ingenerabilis. Ratio primi est, quia est unitas superior ad singulare individuū: ergo universalis. Rursus; hæc unitas non convenit naturæ ratione singularium, sed per se: ergo per se est ingenerabilis.

§. VII.

Solvuntur argumenta contra nostram sententiam.

63. ARGUES primò ex D. Thoma lib. de ente, & essentia cap. 4. ubi loquens de natura humana secundum se, dicit sic: *Si queratur, utrum ista natura possit dici una, vel plures, neutrum dicendum est, quia utrumque est extra intellectum humanitatis, & utrumque potest sibi accidere. Si enim pluralitas esset de ratione ejus, nunquam posset esse una, cum tamen una sit secundum quod est in Socrate. Similiter, si unitas esset de intellectu, & ratione ejus, tunc essent una, & eadem natura Socratis, & Platonis, nec posset in pluribus plurificari.* Et S. Doctor negat unitatem naturæ secundum se: sed nostra sententia ponit in natura secundum se, & pro omni statu unitatem formalem: er-

Ergo præter mentem D. Thomæ.

Confirmatur ratione data à S. Doctore. Si de ratione naturæ humanæ esset unitas, nunquam natura humana posset plurificari: sed natura humana plurificatur in Socrate, Platone, & alijs: ergo quia de ratione naturæ non est unitas. Probatur major, Quia de ratione naturæ humanæ est rationalitas, nunquam potest inveniri natura humana cum irrationalitate sibi opposita: sed pluralitas est opposita unitati: ergo si &c.

Confirmatur secundò, si naturæ ratione sui conveniret unitas in Socrate, & Platone foret natura una: at hoc est falsum: ergo & id unde sequitur. Probatur major. Quod convenit naturæ ratione sui, id semper, & in omni statu convenit: ergo si naturæ ratione sui conveniret unitas &c.

Confirmatur tertio. Nos suprà §. 3. impugnavimus his fundamentis unitatem positivam in natura secundum se, quam defendit P. Fonseca: ergo vel ibi nostram simul impugnavimus sententiam, quam denuò resumimus; vel inconsequenter defendimus in natura unitatem positivam à parte rei.

Confirmatur quartò. Vel ponimus unitatem positivam in statu solitudinis: vel in statu cōtractionis? Si primum. Conve-

nimus cum P. Fonseca, cujus sententiam improbavimus. Si secundum. Incidimus in sententiamoticam, quam improbavimus cum Thomistis: quare sententia nostra immunis non est à certissima inconsequentia.

64. Respondemus ad argumentum, D. Thomam ibi loqui de unitate numerica, & materiali, quam excludit à natura humana; non autem de unitate specifica, & formali. Patet ex ipsis verbis; quia ibi loquitur de unitate naturæ humanæ, opposita multiplicationi numericæ, inferens, quòd si esset una, non posset multiplicari numericè in Socrate, & Platone: at sola unitas numerica opponitur multiplicationi numericæ, non autem unitas specifica; potest enim natura specificè una multiplicari numero, ut patet: ergo S. Doct. unicè excludit unitatem numericam, non specificam.

Secundò. D. Thomas infert pro absurdo quòd in Socrate, & Platone natura foret una: ergo vel foret una specificè, & hoc non est absurdum, sed verum, & debitum. Vel foret una numericè, & hoc absurdum est: ceterum hoc non sequitur, nisi ex eo quòd natura sit ratione sui una numericè. Ergo dum hoc excluditur à natura, excluditur sola unitas numerica. Ter

Tertiò. D. Thomas non excludit h'c unitatem, quam ipse adstruit opu'c. 52. sed, ut vidimus in probationibus nostris, S. Doctor adstruit in natura humana unitatem formalem: ergo h'c solum excludit unitatem numericam. Hoc non est contra nos, qui solam unitatem specificam agnoscimus in natura pro omni statu.

Imò retorquetur argumentum contra Thomistas RR. qui ponunt in natura humana tot unitates formales, quot sunt individua. Argues igitur sic. Iuxta D. Thomam si in natura humana daretur unitas numerica, & materialis ratione sui; Socrates, & Plato essent ejusdem naturæ, nec in eis natura multiplicaretur: ergo si in natura humana datur unitas formalis positiva, hæc non debet multiplicari, nec potest, sed debet eadem esse in omnibus individuis. At vos contra Nominales defenditis de mente Aristotelis dari à parte rei naturas universales, quæ habent unitatem formalem: ergo tene-mini dicere hanc unitatem nõ multiplicari in singulis individuis, sed esse unam in omnibus. Vide dicta quæst. 1. hujus libri, quæ vix possunt salvari in sententia communi, nisi recur-rendo ad nostræ principia.

Ad argumentum in for-ma respondemus disting. maj.

D. Thomas negat naturæ secundum se unitatem unitatem numericam, concedo maj. specificam, & formalem, nego maj. & concessa min. de unitate formali, nego consequentiam. Solutio patet ex dictis.

Ad primam confirmationem disting. maj. si de ratione naturæ humanæ esset unitas &c. unitas numerica, concedo maj. unitas specifica, subdisting. non posset pluralitari, specificè, cõcedo maj. numericè, nego maj. & disting. min. Natura humana pluralitatur, specificè, nego min. numericè, concedo min. & distinguo consequens: ergo de ratione naturæ humanæ non est unitas, numerica, concedo consequentiam, specifica, nego consequentiam. Ad probationem maj. disting. minor. pluralitas est opposita unitati; unitati numericæ, concedo min. unitati specificæ, subdisting. pluralitas specifica, concedo min. numerica, nego min. & consequentiam. Hac distinctione solvuntur omnia ferè argumenta contra nostram sententiam; quam applicavimus singulis propositionibus, ne in posterum, necessarium sit ulterius respondere in forma.

Solutio est, quòd unitas numerica excludit omnem pluralitatem, quia, ut ait P. Augustinus laudatus num. 54. *Vnus homo est homo singularis, vel*

vel singularis, qui non potest ulterius dividi, & pluralitari. Ob id dicitur unitas numerica unitas major. At unitas formalis, quæ est minor numerica, hæc admittit divisionem, quare natura humana, quæ formaliter est una specificè, est divisibilis in Petrum, Paulum &c. Sed observa quòd omnis unitas in sua linea excludit divisionem suæ lineæ; quare unitas generica excludit pluralitatem genericam; unitas specifica excludit pluralitatem specificam; & ideò quia natura humana est una in specie, & formaliter, ideò est specificè indivisibilis, nec ejus unitas formalis potest dividi in plures unitates formales. Et hinc redarguimus RR. Thomistas docentes quòd unitates formales naturæ humanæ multiplicantur in Petro, & Paulo. Hoc falsum reputamus, ut supra probatum est. & infra iterum confirmabimus.

65. Ad secundam confirmationem patet ex dictis. Nos ponimus in natura humana ratione sui unitatem specificam, non numericam: ergo inde solum sequitur quòd in Petro, & Paulo natura sit eadem specificè, non autem numericè; & hoc est verissimum. Nec litiges de vocibus, insistendo in verbo *specificè*, quod nõ bene audiunt Palanco, & alij RR. Thomistæ, putantes nos

loqui de *specie* secundò intentionaliter, & ut habet esse in intellectu. Nostra solutio non est sic, nec pendet ab hoc. Nam à parte rei datur distinctio formarum, quæ provenit à formatione formæ, & à forma ratione materiæ; illa est distinctio formalis, hæc materialis; totum hoc datur à parte rei ante nostros conceptus. Hoc intelligimus per distinctionem specificam, & numericam, quas sic vocamus, ut brevioribus, & clarioribus verbis rem explicemus. Vide dicta num. 52.

Ad tertiam confirmationem dicimus nos impugna'sse sententiam P. Fonseca propter duo; primò, quia in solo statu solitudinis ponit unitatem positivam in natura, quam negat in statu contractionis; contrarium docet nostra sententia, quæ in omni statu ponit unitatem positivam. Secundò, quia unitas positiva P. Fonseca, est unitas numerica; patet hoc, quia ideò illam negat in statu contractionis ubi natura pluralitatur numericè, pluralitas numerica solum est negatio unitatis numericæ. Nostra sententia in omni statu, & præcipuè solitudinis, negat naturæ ratione sui unitatem numericam, & ponit in omni statu unitatem specificam. Utrumquè patet ex dictis, quia tam unitas, quàm pluralitas numerica, sumitur à

materia, non à forma: ergo neutra convenit naturæ ratione sui, benè verò unitas specifica. Ergo nec §. 3. impugnavimus sententiam nostram, nec nunc incidimus in sententiam P. Fonseca ob discrimina satis clara.

Ad quartam confirmationem dicimus nostram sententiam ponere unitatem positivam in natura pro omni statu. Ad primam illationem de coincidentia cum P. Fonseca, jã dictum est discrimen. Ad secundam de Scotistis, dicimus, nos non renuere sentire cum eis, P. Fonseca, & alijs; immò optamus veritatem assequi, & cū omnibus sentire, ut illud Apostoli 1. ad Corinth. quantum valemus impleamus; ibi dicit Apost. sic: *Obsecro autem vos fratres per nomen Domini nostri Jesu-Christi, ut id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia.* Quod quidem licèt de unitate in rebus, & mysterijs Fidei, dictum sit; sanum consilium est pro pace servanda, etiam in rebus humanis, & facultatibus naturalibus, servare, & adimplere. Sunt tamen clara discrimina nostræ sententiæ à Scotica improbata, & ob id ab ea recedimus.

Discrimina sunt quòd illa sententia apud omnes ponit na-

turam realiter formaliter distinctam à singularibus; nostra autem cum Thomistis negat talem distinctionem de qua infra. Rursus vi hujus distinctionis, dicit illa sententia naturam in omnibus individuis esse unã formaliter, & non multiplicari in eis, sed solùm multiplicari singularitates. Iste est primus modus dicendi, ut vidimus. Nostra sententia ponit naturam realiter multiplicari, sicut & singularitates. Negamus multiplicari formaliter, & in verbo isto latet æquivocatio. Nam illæ Scotistæ vocant naturam unam formaliter, quia non est divisa: nos concedimus divisam, sed dicimus materialiter dividi, non formaliter. Quare terminus iste formaliter in nostra sententia dicit principia formalia; in principijs Scotistarum dicit naturam formaliter distinctam à singularibus. Quod si Scotistæ velint solùm, quòd natura realiter multiplicata, sit una formaliter, quia unitas formalis non multiplicatur; & quia licèt natura multiplicetur, multiplicatur solùm ratione materiæ, non ratione formæ; & sic plurificatur materialiter, non formaliter, ly formaliter contrapósito ad materialiter; hoc modo sententia eorum est vera, & cum eis sentimus, nec in hoc sensu impugnata est à nobis.

Alter verò modus sententiæ Scoticæ erat ponere in quocumque individuo naturam ex se indifferentem ad essendum in alio. Hanc indifferentiam negat sententia nostra ob rationes datas num. 26. & 27. nec leviter nostra sententia talem indifferentiam insinuat. Quare cū DD. hujus unitatis indifferentis non possumus sentire.

66. Argues secundo. A parte rei non datur universale formaliter: sed nostra sententia ponit à parte rei universale formaliter: ergo nostra sententia vera non est. Maj. est communis doctrina cum Aristot. ponens universale formaliter in solo intellectu. Probatur min. universale formaliter est unum in multis: sed nostra sententia ponit à parte rei naturam unam in multis, ergo ponit eam formaliter universale.

Confirmatur. Si natura à parte rei est una formaliter positiva, intra intellectum non habebit majorem unitatem, quàm extrà à parte rei: atqui ratione unitatis in multis dicitur natura universalis: ergo si intra intellectum non habet majorem unitatem, quàm extrà, non erit magis universalis intra intellectum, quàm extrà, & sic vel utrobique erit universalis formaliter, vel nullibi, quod utrumque est falsum. Major patet,

quia natura intra intellectum solùm habet unitatem formalem positivam: ergo si natura à parte rei &c.

Confirmatur secundo. Si natura à parte rei est una formaliter positivè in omnibus; nulla est necessitas recurrendi ad statum abstractionis pro invenienda unitate, & universalitate naturæ: ergo non est necessarium ponere cum Platone universalialia realiter separata à ideis; nec cum Aristotele universalialia per rationem separata intra nostrum intellectum. Patet cōsequentia, & simul antecedens. Quia natura in ipso statu contractionis habet unitatem formalem, est una in multis, & per se indefectibilis: sed hoc solùm desideratur, ut sit scientia de tali natura: ergo nostra sententia non suffragatur Aristot. sed potius eam reddit impertinentem.

67. Ad hoc argumentum tripliciter respondemus: Primò directè solvendo difficultatem. Secundo ostendendo quantum nostra sententia commendat Aristotelicam. Tertio quantum deprimat sententiam Aristotelicam alter modus dicendi recentiorum. Quoad primum respondemus argumento concedendo maj. & nego min. Non enim ponimus à parte rei universale formaliter, sed casualiter, modo quo veritas est

causaliter in rebus. Ad probationem minoris disting. maj. universale formaliter est *unum in multis*, & hoc dicit tria, scilicet *Cognitionem, naturam, & relationem rationis* naturæ ad inferiora, concedo majorem. Et solum dicit naturam unam formaliter in multis, nego major. & disting. min. Nostra sententia ponit à parte rei naturam unam in multis, & hoc solum ponit, concedo min. & ponit alia tria, quæ constituunt *universale formaliter*, nego min. & consequentiam. Vide dicta num. 47. ubi est doctrina hujus solutionis. Et observa quod *universale* dicit naturam, & universalitatem, nos ponimus à parte rei naturam, quæ dicitur universalis, sed non universalitatem, quare non ponimus universale à parte rei, sed substratum, & fundamentum universalitatis, quo sensu omnes tenentur loqui dum negant contra Nominales universalialia tantum in repræsentando, ut vidimus quæst. 1.

Ad primam confirmationem dic, quod natura extra intellectum solum habet unicam unitatem positivam intrinsecam; at intra intellectum habet duplicem unitatem, unam intrinsecam positivam propriam naturæ, & in omni statu ei convenientem. Alteram extrinsecam realem, derivatam à

specie impressa, & cognitione, in qua repræsentatur, & cognoscitur. Quare licet intra intellectum non habeat naturam majorem unitatem intrinsecam, quàm extrà; habet tamen novam unitatem extrinsecam; & hæc necessaria est, ut sit universalis formaliter. Ratio est; quia relatio rationis naturæ ad singularia, solum resultat ex natura extrinsecè cognita: ergo solum resultat ex natura extrinsecè una: atqui ut natura sit universalis formaliter, debet habere universalitatem, quæ est relatio rationis: ergo extra intellectum non est universalis formaliter, sed intrà.

Ad secundam confirmationem dic, quod non est necessarius recursus ad statum abstractionis pro inveniendâ unitate intrinseca formali naturæ, quia hæc in rebus est. Immo hoc necessariò est dicendum, ut sint scientiæ de rebus, & ne incidamus in Nominales. Quæris tamen, & meritò, cur recurrendum est cum Platone ad universalialia separata, vel cum Aristotele ad universalialia abstracta? Respondemus quantum ad Platonem ex dictis quæst. 2. num. 15. Quod Plato solum agnoscit in ideis veritatem immutabilem creaturarum, & inde nostræ species rerum accipiunt immutabilitatem, quam scientiæ quærunt in objecto.

Ari.

Aristoteles recurrit ad intellectum, ubi ratione novæ existentiae objectivæ, datæ ab anima perpetua, habent naturæ rerum majorem perpetuitatem quàm extra intellectum; quia sicut intra intellectum habent duplicem unitatem, jam explicatam, ita habent duplicem perpetuitatem, & sic non est vanus recursus Aristotelis ad intellectum pro objecto scientiarum.

Adde tres rationes recurrendi ad intellectum pro universalibus objectis scientiarum, etiam si in rebus detur unitas formalis positiva. Prima est, quia scientiæ agunt de rebus, ut sunt diffinibiles, & nominabiles. At sola natura cognita, est diffinibilis, & nominabilis: ergo sola natura intra intellectum, est proximum objectum scientiæ. Secunda est unitas formalis naturæ, licet non pereat destructo uno, vel altero individuo, si tamen omnia deficient, deficit unitas positiva in rebus; sic tẽpore hiemali deficient omnes rosæ, flores, & alia, quæ solum manent in semine, & intra causas. At tunc istæ naturæ conservantur in speciebus expressis nostri intellectus, & sic de illis hiemali tempore disputamus: ergo quia intra intellectum majorem habent perpetuitatem. Tertia ratio est, quia res extra intellectum solum habent per-

petuitatem entitativam identificatam cum singularitate defectibili, unde per accidens generantur, & corrumpuntur. At intra intellectum in specie impressa ultrà participant à Divinis ideis perpetuitatem objectivam, & sic sunt magis perpetuæ, & plus aptæ, ut de eis sit scientia. Vide dicta quæst. 2. à num. 22. usque ad 25. ubi doctrinam istam explicavimus, & Aristotelem ad Platonica dogmata debere confugere, ostendimus.

Secundò respondemus argumento facto, quod nostra sententia non improbat, sed commendat doctrinam Aristotelis. Primò, quia ipse 1. Perhiern. cap. 5. dicit: *Quasdam res esse universales, & quasdam particulares*: ergo sentit dari rem, quæ sit una in multis a parte rei. Patet consequentia, quia universale apud ipsum est *unum in multis*: ergo si in rebus datur *Res universalis, & res particularis*, datur in rebus res, quæ est una in multis, & res quæ non est in multis, sed in uno: at nostra sententia defendit hoc, ostendens quod natura humana v.g. est una in multis; secus aliæ sententiæ, quæ tot ponunt naturas humanas, tot item humanitates, quot individua, tot etiam unitates formales; nec possunt designare unitatem formalem positivam, quæ

quæ sit in multis, cum quælibet unitas sit in uno : ergo nostra sententia defendit sola hoc assertum Aristotelis.

Rursus sententia Aristot. ibidem, & locis datis supra q. 2. est quod scientiæ sunt de rebus, quia habent in se scibilitatem, & universales sunt. At nostra sententia in rebus ipsis demonstrat scibilitatem, & naturas esse in re universales modo explicato : ergo idem. Non sic aliæ sententiæ, quæ vel in rebus extrâ ponunt unitatem implicatoriam, ut vidimus de Fonseca, & Scotistis. Vel cum Thomistis ponunt intra intellectum unitatem fictam, ut scientiæ de rebus, hac ficta unitate conceptis, tractent.

Rursus. Universale Aristotelicum, de quo scientiæ non fit per cognitionem rei aliter ac est, sed per cognitionem formaliter veram, ut patet ex dictis §. præcedente : at nostra sententia ponit cognitionem facientem universale, esse formaliter veram, secus aliæ sententiæ, ut patet ex his dictis num. 58. pro probanda conclusione nostra : ergo idem.

Tandem Aristoteles dicit cap. de substantia in prædicamentis, quod universalis, & secundæ substantiæ sunt per se ingenerabiles, & incorruptibiles : at nostra sententia id clarè demonstrat, secus aliæ senten-

tiæ, ut ostendemus num. 62. Ergo tot titulis nostra sententia commendat doctrinam Aristotelis, quot claudit mysteria, in nostra sententia satis explanata.

69. Tertiò respondemus argumento posito ostendendo reliquas sententias deprimere doctrinam Aristotelis. Et omiſſis sententijs Caramuëllis, nostri Burlæi, & Veneti, nec non Scotistarum, & Nominalium, quæ ex ante dictis pro qualibet, constat in quanta inconvenientia recidunt ; satis erit pauca insinuare de sententia communi Thomistarum, quæ sicut communissima est in hac materia, ita ceteris probabilior tum ob illustres Doctores, qui eam tutantur, tum ob rationes quibus comprobatur, & defenditur.

Primò, hæc sententia in rebus nullam agnoscit unitatem formalem communem multis. Quia licet ponat unitatem negativam, hæc est in solo statu solitudinis, qui non est realis, nec in re, ut ipsi docent contra P. Fonseca. Item licet in rebus agnoscant similitudinem individuorum, non tamen unitatē propriam in natura, quæ sit unitas in multis. Ergo propriè loquendo in hac sententia, omnes res sunt particulares, & nulla universalis. Contrarium docet Aristoteles ubi supra, di-

cens

cens: *Quasdam res esse universales, quasdam particulares.*

Secundò, cum in rebus extrâ, omnia sint singularia, non explicat hæc sententia quomodo in rebus dentur universalis, quæ per se sunt ingenerabilia, sed generabilia per accidens. Nam hoc nequit affirmare de singularibus; nec item de similitudine inter singularia, ut vidimus num. 62. Nec de naturis intra intellectum, quia sic nec per accidens generantur. Ergo in hac sententia restat, quod hæc universalis per se ingenerabilia, & generabilia per accidens, nullibi compareant in re, & sic falsò asserta sint ab Aristotele.

Tertiò cum in re omnia sint singularia sine unitate reali pluribus communi, restat in hac sententia, quod res solum habent unitatem positivam intra intellectum. Ex quo fit quod hæc unitas est ens rationis: & sic fictum; & factum ab intellectu fingente; itè per cognitionē falsam, qua fallitur, & agnoscit ut unū quod non est unū in re; & cognitio est rei aliter ac est, difformis objecto, & alia inde multa. Ista omnia sunt consequentia ad principia hujus sententiæ. Sed inde sequitur, quod Aristoteles impugnans monstram Platonica, recurrat ad monstram fictam; & sicut Plato de mente Aristotelis finxit ideas separatas,

Aristoteles de mente hujus sententiæ per fictionem intellectus separavit naturas à singularibus, & fecit unum quod unum non est; & universale perpetuum quod est singulare defectibile. Item omnes scientiæ erunt de ente rationis, quia omnes sunt de objecto uno, & solum est unum unitate, quæ est ens rationis. Item cum scientiæ in rebus extrâ non inveniunt veritatem perpetuam, eam inveniunt intra intellectum: ubi res illam acquirunt, & accipiunt ab intellectu fingente, & cognoscente res aliter ac sunt in se. Hæc omnia nimis deprimunt sententiam Aristotelis, ut patet: quare non est sententia ista ita Aristotelica, sicut nostra. Quid quid sit.

70. Argues tertiò. Implicat à parte rei unum & idem realiter identificari cum multis, inter se realiter distinctis: sed unitas formalis positiva, quam nos defendimus, est realiter identificata cum singularibus, realiter distinctis: ergo est unitas implicatoria. Consequentia tenet, min. constat ex dictis contra Caramuëlem, & Venetum. Maj. probatur. Implicat ponere in creatis mysterium Trinitatis: sed hoc consistit in eo quod una & eadem natura, realiter identificatur cum personis, realiter distinctis: ergo implicat &c.

Con

Confirmatur. Implicat à parte rei natura, quæ sit una positivè in multis, realiter distinctis: ergo implicat à parte rei unitas positiva communis multis. Patet consequentia, quia unitas est passio naturæ: ergo si implicat natura positiva una in multis, implicat à parte rei unitas positiva talis naturæ. Antecedens principale probatur. Natura una positivè in multis, est natura infinita, & sic Divina: sed implicat naturam creatam esse infinitam, & Divinam: ergo &c.

Confirmatur secundò, vel Petrus habet unitatem istam formalem naturæ humanæ, vel non habet. Si non habet? Ergo vel non datur in re unitas ista positiva, ut contendimus; vel est separata à singularibus, ut posuerunt Platonici. Si habet? Ergo vel distinctam ab unitate formali, quæ habetur in Paulo, vel indistinctam. Si indistincta? Ergo jam unum & idem realiter est in pluribus distinctis, & hoc est mysterium Trinitatis. Si distinctam? Ergo non datur unitas, quæ sit communis multis, sed tot dantur unitates formales distinctæ, quot individua humana; & hoc dicit Thomistica, & communis sententia.

Confirmatur tertio, vel entitas Petri est adæquatè distincta à natura Pauli, vel non,

Si est distincta adæquatè? Ergo nihil est in Petro, quod sit in Paulo; quare non dabitur unitas realis utrique communis. Si non est distincta adæquatè: ergo aliquid est prædicatum objectivè reale, quod sit in utroque. Supponamus sit hoc, *homo*: & argue sic. Hoc prædicatum nequit realiter distare à se ipso, & à se ipso separari; quæ enim separantur, sunt distincta; immò multa sunt distincta, quæ nec possunt separari. At *homo* in Petro, separatur realiter ab *homo* in Paulo: ergo implicatorie in utroque adstruitur idem realiter. Probatur minor: separato Petro ab alijs, ab eis separatur quidquid est in Petro: sed Petrus separatur à Paulo, & sæpè distat: ergo tunc *homo* in Petro, separatur realiter ab *homo* in Paulo.

Quartò, implicat quòd unum & idem accidens sit simul in duobus subjectis, realiter distinctis: ergo implicat quòd una & eadem unitas sit in duobus individuis realiter distinctis. Antecedens est certum, quia apud omnes implicat, quòd accidens possit migrare de subjecto in subjectū; magis autem implicat esse simul in duobus subjectis, quàm divisivè transendo de subjecto in subjectum. Consequentia autem probatur. Accidens distinguitur realiter à subjecto in quo est; unitas autem

rem specifica identificatur cum subjecto in quo est: ergo si accidens distinctum à subjecto, nequit esse simul in duobus subjectis, magis implicabit, quòd unitas realiter identificata, sit simul in duobus individuis realiter distinctis.

Quintò. Vel unitas specifica naturæ humanæ est totaliter in Petro, vel non est totaliter. Si totaliter? Ergo unitas formalis, quæ est in Paulo est distincta ab unitate formali, quæ est in Petro, & sic tot sunt unitates formales, quot sunt individua, ut docent Thomistæ. Si non totaliter? Ergo in Petro non est tota natura, & essentia hominis. Patet consequentia, quia ubi est tota natura hominis, est tota unitas naturæ hominis: ergo à contrario, ubi non est tota unitas naturæ, non est tota natura. Nunc sic. Indivisibile vel totum attingitur, vel nihil: sed essentia hominis est indivisibilis: ergo vel tota habetur à Petro, vel nihil, quare si Petrus non habet totam naturam hominis non est homo.

Tandem. Implicat à parte rei unitas specifica naturæ, quæ non sit identificata cum unitate numerica: ergo implicat quòd unitas specifica non multiplicetur, sicut unitas numerica. Patet consequentia, quia ex duobus identificatis im-

plicat unum realiter multiplicari, & dividi, alio non multiplicato, & diviso. Atqui in Petro, Paulo, & alijs, multiplicatur unitas numerica, ita ut unitas numerica Petri sit realiter distincta ab unitate numerica Pauli: ergo etiam unitas specifica, quæ est in Petro, realiter distinguitur ab unitate specifica Pauli, quare non erit à parte rei unitas realis formalis utrique communis.

71. Hoc argumentum brevius potuit proponi: ceterum multiplicavimus omnes formas arguendi, quæ in hac materia possunt difficultatem ingerere, ne ratione materiæ, aut formæ, quid retardet incipientes. Quantum attinet ad materiam, facile solvitur notando quòd arguens confundit unitatem specificam cum numerica, ex vi quòd identificatur in quolibet singulari. Unde infert quòd sicut unitas numerica non potest dividi in plura; sic nec unitas specifica. At contra istam imaginationem habemus oppositum exemplum. Essentia hominis physica, scilicet *Corpus & anima*, identificatur cum essentia hominis metaphysica, scilicet *animal rationale*: & tamen essentia hominis physica est realiter divisibilis in partes realiter distinctas, scilicet in corpus, & animam; cum ve-

ro essentia hominis metaphysica sit realiter indivisibilis: ergo ex identificazione duorum præcisè non sequitur, quòd si unum est indivisibile, sit & aliud, aut è contra

Et ne putes nos velle evertere dogmata philosophica, observa, quòd exemplum datum probat solum ad mentem arguentis, sed nihil probat in re, nisi quòd eadem essentia hominis aliter, & aliter sumpta, sit divisibilis, & non divisibilis, quæ non sunt propriè contradictoria, quia verificatur *secundùm diversam*. Nam essentia hominis *physicè* sumpta, est realiter divisibilis; eadem *metaphysicè* accepta, est realiter indivisibilis. Rursus *physicè* sumpta componitur ex partibus realiter distinctis; sed *metaphysicè* accepta componitur ex partibus virtualiter solum diversis. Nec hoc putes esse per nostros cõceptus, sed à parte rei ita est.

Hoc modo, licèt in Petro unitas specifica identificetur cum numerica, debemus cuilibet tribuere quod suum est; ita ut unitas numerica Petri sit totaliter in Petro; specifica verò unitas naturæ humanæ non sit totaliter in Petro, sed in Petro, & alijs. Quia ut vidimus ex P. August. num. 54. multi homines distincti realiter, *Speciem quæ homo dicitur communiter habent. Tres homines sunt, sed*

una natura. Intellige unitatè specifica. Et ne tibi novi appareant termini, audi communes; omnes dicunt quòd in Petro est tota natura humana *intensive*, sed non est tota *extensive*. Hoc dicimus de unitate specifica, est tota in Petro *intensive*, sed non est tota *extensive*. Quia in Paulo, & alijs, est natura humana, & ejus unitas specifica; quare non est *totaliter* in Petro, ut dicebamus, nec *extensive tota*, ut alij dicunt. Imò termini communes sunt nostris difficiliore: quia in Petro est tota natura humana *intensive*: tota etiam *intensive* in Paulo. Quomodo ergo est tota *intensive* in duobus? Respondetis non esse eandem, sed *diversam numero naturam*. Benè: sed hìc non est sermo de natura numerica Petri, quia hæc tota tan *intensive*, quàm *extensive* est in Petro, nec potest esse in alijs. Est ergo sermo de natura, quæ non solum in Petro est *intensive*; sed *extensive* in alijs: hæc non est natura numerica, sed specifica. De hac, quæ est una in omnibus, quomodo tota est *intensive* in Petro, & tota *intensive* in Paulo? Restat nobiscum dicas, quòd est in Petro tota, sed *non totaliter*.

72. Ad argumentum respondemus disting. maj. Implicat quòd unum & idem rea-

liter identificetur cum multis; unum unitate numerica, concedo maj. unum unitate specifica, nego major. & concessa min. nego consequentiam. Ad probationem min. concessa maj. disting. min. *Mysterium Trinitatis* consistit in eo, quòd una & eadem natura identificetur cum multis, una natura numericè, concedo min. una natura specificè, nego min. & consequentiam. Solutio fundatur in duobus: Primum est, quòd *Vnum quod est unam numericè, nequit identificari cum multis*, benè verò specificè unum. Secundum est, quòd *Mysterium Trinitatis non consistit in eo, quòd natura sit specificè una, & communis multis*, sed in eo quòd sit numericè una in multis.

Utrumque sumitur ex D. Thoma, & P. August. Audi de primo D. Thom. opusc. 55. ubi hanc propositionem Avic. approbat veluti principium notum in creatis: *Impossibile est scilicet, quòd una & eadem res numero, sit predicata de multis, ita quòd unumquodque sit ipsa.* Nota ly *Vna & eadem res numero*. Hoc est impossibile, sed non de una & eadem re specie una. Audi de secundo P. August. 7. de Trinit. cap. 6. ubi negat essentiam Divinam esse unam unitate specificam, sicut natura humana; quia sequeretur

inde tres Personas fore tres Deos, sicut tres Abraham, Isaac & Jacob, sunt tres homines; quare concludit naturam Divinam esse unam numero; dicit sic: *Si autem species est essentia (intellige Divinam) sicut species est homo, tres verò illæ quas appellamus personas, sic eandem speciem communiter habent, quemadmodum Abraham, Isaac, & Jacob, speciem, quæ homo dicitur, communiter habent &c.* Vide num. 54. Cùm ergo nostra sententia non ponat naturam unam numero in multis, sed unam specificè, non ponit in creatis mysterium Trinitatis, nec aliquid impossibile, sed aliquid plenè necessarium. Nam tres homines dicti juxta P. Augustinum *Speciem, quæ homo dicitur, communiter habent*; sed habent per identitatem cū illa: ergo necessariò unitas specifica identificatur cum multis.

Ad primam confirmationem disting. antecedens. Implicat natura à parte rei, quæ sit una in multis, una unitate numerica, concedo antecedens; una unitate specifica, nego antecedens, & distingo consequens eodem modo. Ad probationem antecedentis disting. maj. Natura una in multis, est infinita, natura una numero in multis, concedo maj. natura u-

na specificè in multis, nego maj. & concessa min. nego conseq. Ut natuza sit infinita, debet esse una numero, & indivisibiliter in multis, talis est natura Divina sola, ut vidimus ex P. Augustino. At natura creata una specificè, non est una numero in multis, nec indivisibiliter, sed realiter divisa, & multiplicata numericè, ideò infinita non est.

Ad secundam confirmationem dicimus, quòd Petrus habet unitatem formalem naturæ humanæ, sed non totaliter. Ad secundam interrogationem dico, quòd unitas formalis in Petro, non est distincta ab unitate formali, quæ est in Paulo: nec sunt duæ unitates formales distinctæ, sed una & eadem, quæ in nullo seorsim totaliter est. Et dum insurgis contra hoc, quòd damus mysterium Trinitatis in creatis, nego sequelam, quia (ut vidimus) hoc consistit in eo, quòd unum numero tale, sit in multis; nos autem non ponimus in multis unum numero, sed unum in specie.

Dices: si unitas hæc non est una numero: ergo est multiplex numero: ergo unitas quæ est in Petro, est realiter numericè distincta ab unitate formali Pauli: hoc & nil aliud docent Thomistæ. Respondemus, hæc esse latentem æquivocatio-

nem. Natura, quæ non est unã numero, est multiplex numero: ceterum unitas formalis, quæ non est una numero, non est multiplex numero. Discrimen est, quòd natura est capax utriusque unitatis specificæ, & numericæ; & sic quæ non est una numero, est multiplex numero; & sine implicatione in terminis, & vocibus, dividitur natura in duas, vel plures numero distinctas. Unitas verò formalis, improprie dicitur una, quia est ratio, qua natura una constituitur, unde non est una *ut quod*, sed *ut quo*. Et ultra non est capax unitas formalis suscipiendi unitatem numericam; nec divisionem in unitates numericas. Quia non in omni divisione membra participant rationem divisi, & denominationem. Quare licet unitas formalis habeat partes in quas est divisibilis; sunt partes integrantes, quæ non denominantur nomine totius, ita ut sint plures unitates formales, sed unitates numericæ.

Ecce exempla. Homo est realiter divisibilis in corpus, & animam, quæ sunt partes distinctæ; at non sunt duæ humanitates distinctæ. Ubicatio corporis est realiter divisibilis, cum sit modus extensus: at non est divisibilis in plures ubicationes; nec corpus habens ubicationem,

constantem ex his partibus, habet plures ubicationes. Rursus dato, quòd existentia compositi sit modus, realiter distinctus à composito; hæc existentia est realiter divisibilis, in plures modos partiales ejusdem existentie compositi, non autem in plures existentias partiales. Hæc est sententia nostri Villanovani, & mille exemplis illustratur: ergo licet unitas formalis sit realiter divisibilis in plures partes; istæ non erunt distinctæ unitates formales, sed distinctæ unitates numericæ. Nec putes id sine fundamento dici. Nam præter rationes, quæ ex exemplis sumi possunt, quas nolumus in præsentì proponere; adest ex dictis ratio satis efficax. Unitas formalis est unitas specificæ, distinctæ in natura humana, nec plures species realiter distinctæ in Petro, & Paulo: ergo nec plures unitates formales distinctæ. Thomistæ ponunt plures unitates formales numero distinctas in Petro, & Paulo: ergo eodem modo debent ponere in eisdem plures species numero distinctas. Hoc est implicatorium, & falsum: ergo & quòd in Petro, & Paulo, sint plures unitates formales numero distinctæ.

74. Ad tertiam, & quartam confirmationem observa,

quòd eadem forma arguendi probare poteris quòd humanitas unica & eadem, non identificatur cum corpore, & anima rationali. Nam vel corpus, & anima adæquatè distinguuntur, vel inadæquatè. Si adæquatè? Ergo humanitas eadem non est utrique communis per identitatem. Si inadæquatè? Ergo identificatur cum prædicato realì, quod est in utroque. Sit hoc prædicatum *humanitas*: ergo quando anima separatur à corpore, humanitas separatur à se ipsa, quod implicat. Non tenet exemplum quoad omnia, quia in casu separationis deficit humanitas; non tamen deficit separato Petro à Paulo. Ceterum indicat exemplum, quòd aliquid realiter unum & idem, potest identificari cum duobus realiter distinctis, si cum neutro identificetur totaliter. Sic contingit in humanitate relatè ad corpus, & animam; & in unitate specificæ relatè ad Petrum, & Paulum. Identificatur cum utroque: est utrobique; sed nullibi totaliter.

Respondemus in forma ad tertiam confirmationem concedendo cum hoc additò, quòd Petrus, & Paulus distinguuntur adæquatè *numericè*, quia nihil numero tale est in uno, quòd sit in alio. Ceterum quia unitas specificæ est aliquid, quod est in utroque, ideò absolute, & sine

ſine addito dicimus, quòd non diſtinguantur adæquatè ; tum propter rationem datam , tum quia diſtinctio *adæquata* excludit omnem unitatè : ſed in Petro, & Paulo eſt unitas ſpecifica : ergo eorum diſtinctio adæquata non eſt. Pergis : ergo aliquòd prædicatum reale eſt in utroque, concedo ſequelam. Paſcitur, quòd hoc prædicatum ſit *homo*. Hoc deberem negare juxta dicta num. 73. Quia in Petro, & Paulo natura eſt multiplex numero ; ſed unitas ſpecifica non eſt multiplex numero, nec una numero. Quare hoc prædicatum utriusque commune eſt *unitas ſpecifica* ; non autem *homo*.

Ceterum exercitij cauſa admitto pro nunc tantum, quòd tale prædicatum ſit *homo*. Proccedis : ergo quando ſeparatur Petrus à Paulo , tunc *homo* in Petro, ſeparatur à ſe ipſo in Paulo. Reſpondeo negando conſequentiam cum Ariſtotele. & D. Thoma, qui 1. part. quæſt. 16. art. 7. ad ſecundum affirmat de mente Ariſtotelis, *Univerſalia dici ſolere eſſe ubique, & ſemper*. En aliud myſterium Ariſtotelicum. Univerſalia nullibi ſunt, & ubique ſunt ; nequaquam ſunt, & ſemper ſunt. Si ergo *homo* eſt univerſale prædicatum, erit juxta Ariſtotelem ubique, & nullibi. Si ubique ? Non diſtat à ſe ipſo, ſicut nec Deus, qui ubique eſt, à ſe ipſo diſtat.

Si nullibi ? Etiam non diſtat ; quia diſtantia eſt relatio inter extrema locata, quæ ſunt alicubi : ſed univerſale juxta Ariſtotelem non eſt alicubi locatum : ergo nec diſtat, nec non diſtat.

Explicat hoc myſterium ibi Præceptor verè Angelicus, dicens univerſalia non eſſe ſemper, & ubique *poſitive* hoc eſt ratione alicujus formæ æternæ, & immenſæ, qua repleant omne ſpatium, & coexiſtant æternitati. Hoc enim modo ſolus Deus æternus eſt. Ceterum univerſalia ſunt æterna, & immenſa *negative*, hoc eſt, ex ſe non habent eſſe in loco, & exiſtere in tempore, ſed ratione ſingularium, in quibus ſunt univerſalia. Quare natura humana ex ſe eſt in mundo ; ſed nullibi determinat ſibi locum, & ſic eſt immenſa *negative*. Ceterum, quia Petrus in quo eſt natura, eſt determinatè in hoc loco, & Paulus in alio : ſic ratione ſingularium, natura eſt hic, & alibi. Juxta hanc doctrinam Ariſtotelicam explicatam à D. Thoma, dicendum eſt, quòd prædicatum illud commune Petro, & Paulo, diſtat à ſe ipſo, non ratione ſui, quia hoc eſt impoſſibile ; immò falſum ſupponit, quia ſupponit, quòd illud prædicatum ratione ſui ſit in loco, & hoc falſum eſt juxta dicta. Diſtat ergo à ſe ip-

ipſo ratione ſingularium diſtantium, & hoc non eſt inconveniens. Quia ſicut Chriſtus diſtat à ſe ipſo dum eſt in Coelo, & in Sacramento, quoniam per diverſas ubicationes, vel rationes formales eſt, in Coelo ſcilicet per quantitatem, in Sacramento per tranſubſtantiationem. Ita ſuo modo *homo* eſt hic ratione Petri, & Romæ ratione Papæ, & Conſtantinopoli ratione Sultani.

75. Ad quartam confirmationem conſeſſo antecedenti, nego conſequentiam. Poterat negari antecedens, quia eadem ubicatio recipitur in composito materiali, unde recipitur in duobus realiter diſtinctis, ſcilicet in materia, & forma, quæ realiter diſtinguuntur. At quia non ſe habent ut duo ſubjecta, ſed per modum unius ; ideò concedimus antecedens, & negamus conſequentiam. Diſparitas eſt, quòd accidens adæquatè recipitur in ſuo ſubjecto, & eſt unum numero accidens. At unitas ſpecifica naturæ nec eſt una numero, nec plures numero, ut dictum eſt, ſed eſt una ſpecificè ; & in nullo ſingulari eſt totaliter, ut in ſubjecto adæquato ; ſed omnia individua ſpeciei illius ſunt ſubjectum adæquatum, cum quo identificatur. Quare dum identificatur cum Petro, & Paulo, non eſt in duobus ſubjectis adæquatis, ſed in

duobus inadæquatis.

Ad quintam confirmationem reſpondemus, quòd unitas ſpecifica non eſt totaliter in Petro : & diſting. conſequens inde illatum : ergo in Petro non eſt tota natura, & eſſentia hominis, non eſt tota ſpecificè, concedo conſequentiam, non eſt tota numericè, nego conſequentiam. Alijs terminis utatur alij communiter, ſcilicet non eſt tota in Petro *extenſive*, eſt tamen tota *intenſive*. Vide dicta num. 71. in fine. Ad diſcuſſum ſubſumptum diſting. maj. indiviſibile, vel totum attingitur, vel nihil, indiviſibile quòd eſt tale ſpecificè, & numericè, concedo maj. indiviſibile quòd eſt tale ſpecificè, ſed non numericè, nego maj. & diſting. min. eſſentia hominis eſt indiviſibilis tam ſpecificè, quàm numericè, nego min. eſt indiviſibilis tantum ſpecificè, concedo min. & nego conſequentiam.

Natura Archangeli Gabriellis (& idem de quocumque Angelo) eſt juxta D. Thomam immultiplicabilis numero ; & juxta N. Egidium de facto ita eſt, quidquid ſit de potentia abſoluta. Ratio eſt, quia de facto ſola materia eſt principium numericæ multiplicationis : unde cum in Angelis non ſit materia, Angeli non poſſunt intra eandem ſpeciem multiplicari. Hinc ſit, quòd natura Gabriellis eſt in-

indivisibilis tam specificè, quàm numericè: & de hac natura est verum, quòd vel tota habetur à Gabriele, vel nihil. Ceterùm natura humana, leonina, & omnes corporales habentes materiam, possunt multiplicari numero, quare licèt specificè sint indivisibiles, non autem numericè, quia in nullo individuo est tota materia illius naturæ, ut diximus nom. 50. ex N. Aegidio. Hinc fit, quòd Petrus est homo, & habet naturam humanam, licèt non habeat totam, sed partem, quia solum habet unam unitatem numericam, & restant aliæ: cum tamen omnes unitates numericæ, quæ sumuntur à partibus diversis materiæ, sint partes unitatis specificæ; quæ licèt sit indivisibilis in plures species, est divisibilis in plura individua numericè distincta.

76. Ad ultimam confirmationem, qua PP. complures, & RR. Thomistæ noventur tot ponere unitates formales in natura humana à parte rei, quot sunt individua, & unitates numericæ, constat solutio ex dictis præcipuè num. 71. Essentia hominis metaphysica realiter identificatur cum essentia hominis physica: & essentia physica est realiter divisibilis; essentia autem metaphysica est realiter indivisibilis: ergo licèt unitas specifica in Pe-

tro identificetur cum numericæ, sicut in alijs, poterit numerica pluralitari in multis seculis specifica. Quid ergo evertimus principia philosophica? Minimè ut numero citato dictum est. Nam exemplum solum probat, quòd essentia hominis sit *physicè* divisibilis, & *metaphysicè* indivisibilis, quod nõ est implicatio; quia non est *Afirmatio*, & *negatio ejusdem de eodem secundum idem*, sed secundum diversa. Sic dicimus quòd natura hominis *specificè* est *numericè* divisibilis. Quæ in hoc repugnantia? Certè nulla: ergo ratione materiæ nulla est difficultas in hoc fundamento; sed tota ratione formæ arguendi.

Ad illam in forma respondemus disting. antecedens. Unitas specifica à parte rei identificatur cum numerica, cum omni unitate numerica ejusdem speciei, concedo antecedens, cum aliqua, subdisting. identificatur unitas specifica adæquatè sumpta, nego antecedens, quia in nullo est totaliter particulariter sumpta, concedo antecedens; & disting. consequens, ergo implicat quòd unitas specifica non multiplicetur sicut numerica, ly *sicut* dicente omnimodam similitudinem, nego consequentiam, dicente aliqualem, concedo consequentiam. Ad probationem consequen-

tiæ, disting. maj. ex duobus identificatis implicat unum multiplicari, & dividi, alio non diviso, & non multiplicato; alio totaliter indiviso, & immultiplicato, concedo maj. alio aliquatiter non diviso, & immultiplicato, nego maj. & concessa minore suppositum consequentis, quia supponis, quòd sicut in Petro est totaliter tam *intensivè*, quàm *extensivè* unitas numerica ejus; ita in eodem sit totaliter unitas specifica naturæ tam *intensivè*, quàm *extensivè*, & hoc est falsum, ut patet ex dictis num. 71. in fine.

Ecce instantiam. Unitas numerica Petri identificatur cū composito Petri: sed compositum Petri est realiter divisibile: ergo unitas numerica Petri realiter divisibilis? Mala consequentia, quia individuum est idem *Ac non dividuum*, vel *non divisibile*. Dices forsan: etiam unitas numerica Petri est realiter divisibilis: non in alias unitates numericas, sed in partes ejusdem unitatis, & compositi, quæ sunt materia, & forma. Benè: sed idem dicimus tibi. Unitas specifica identificatur cum omni numerica: hæc dividitur in plures numericas: ergo specifica etiam dividitur in plures partes, quæ non sunt unitates specificæ, sed numericæ.

Petit ergo identitas inter

extrema, quòd utrumque dividatur, vel multiplicetur. si unum multiplicatur, & dividitur. Ac non petit quòd partes divisionis, & multiplicationis participant eodem modo rationem divisi, & illius denominationem. Quare licèt natura multiplex numero, dividatur in unitates numericas, quarum quælibet est unitas numerica, distincta ab aliâ. Natura una specificè est divisibilis, non in partes, quæ sint unitates specificè distinctæ; sed in partes, quæ sunt in se unitates numericæ, & solum partialis unitas specifica, aut pars unitatis specificæ. Vide dicta num. 73.

Argues 4. ubi datur vera duplicitas positiva, non datur unitas positiva: sed in Petro, & Paulo datur vera duplicitas positiva: ergo in utroque non est vera unitas positiva. Min. probatur. Primò, quia Petrus, & Paulus non sunt unus homo, sed duplex: duplex homo est duplex ens positivum, & sic facit dualitatem, & duplicitatem positivam. Secundò, quia in quolibet sunt prædicata essentialia naturæ humanæ: & in uno sunt distincta realiter à prædicatis alterius: ergo prædicata illa faciunt dualitatem, & duplicitatem positivam. Tertio, quia eo modo multiplicatur in eis natura, quo multiplicatur singularitas identificata cum natura:

sed singularitas utriusque facit duplicitatem positivam : ergo & natura. Quarto implicat esse mortuum ex una parte , & ex alia esse vivum : sed ex parte singularitatis datur in Petro, & Paulo dualitas : ergo etiam ex parte naturæ.

Confirmatur. Natura quæ à parte rei est divisa , non est una : sed à parte rei natura humana est divisa realiter : ergo non est una. Maj. patet, quia unum est *indivisum in se* &c. Secundo, quia unum quod est unum in multis, est indifferens ad essendum in multis : sed natura à parte rei divisa , est natura contracta ; & natura contracta jam non est indifferens : ergo nec una.

Confirmatur secundo. Natura quæ non est una numericè, non est una formaliter : sed natura humana à parte rei non est una numericè : ergo nec est una formaliter positivè. Probat. maj. *A superiori ad inferius negativè valet consequentia.* v.g. *non est animal* : ergo non est homo. Sed unitas numerica est superior ad specificam : & ideò vocatur unitas major : ergo natura &c.

Respondemus facillè ex dictis, quòd in ea linea , in qua est duplicitas positiva , non datur unitas positiva : at totum argumentum probat solum in natura humana duplicitatem nu-

mericam : ergo solum probat non esse in natura humana unitatem numericam communem Petro , Paulo , & alijs. Quid inde contra nos, qui loquimur de unitate specifica ? In forma ad argumentum , disting. maj. in eadem linea, concedo ; in diversa, nego maj. & disting. min. in Petro, & Paulo , est duplicitas, numerica, concedo, specifica, nego min. & consequentiam sub eadem distinctione.

Ad primam probationem minoris dic, quòd Petrus, & Paulus sunt duo homines numericè, sed specificè sunt *unus homo*. Ita expressè Aristoteles docet ubi supra num. 53. Ad secundam dic prædicata utriusque esse numericè distincta ; sed non specificè. Ad tertiam, nego major. Quia singularitas ratione sui multiplicatur ; sed natura non ratione sui, sed ratione materiæ , & singularitatis juxta dicta ex Ægidio num. 51. Sed admissa majori, dic quòd tam singularitas, quàm natura, faciunt duplicitatem numericam, non specificam. Ad quartam admissa majori, dic quòd sicut dualitas singularitatum nō est specifica, sed numerica ; ita dualitas naturæ in Petro, & Paulo.

Ad primam confirmationem dic, quòd eo modo, quo natura est divisa, est una : sed

à parte rei solum est numericè, & materialiter divisa, sed indivisa specificè, & formaliter : ergo est una formaliter, & specificè. Nec urget secunda probatio majoris. Quia licet ponamus à parte rei naturam unam positivè specificè ; non tamen indifferentem , sed contractam. Ratio hujus est, quia indifferentia ad essendum in multis solum datur in ea potentia quæ est subjectiva ad essendum in multis : sed natura à parte rei contracta non habet potentiam subjectivam, sed purè objectivam, ut cum Thomistis diximus num. 30. contra Scotistas : ergo licet à parte rei natura sit una in multis, non tamen indifferens. Vide doctrinam num. 30. citato.

Ad secundam confirmationem ecce instantiam. Parte major est unitas numerica, quàm formalis : ergo & quàm specifica. Ergo si ex negatione unitatis numericæ sequitur negatio unitatis formalis, sequetur negatio unitatis specificæ. Hoc est falsum, quia aliàs Petrus, & Paulus, non essent ejusdem speciei. Dicimus, quòd hic non arguitur à superiori ad inferius, sed ab una specie distinctionis ad aliam : nam licet natura humana sit perfectior equina ; nō valet, *Non est homo* : ergo *non est equus*, quia homo est superior perfectione, sed non su-

perioritate logica generis supra speciem, eò quòd unitas numerica non est genus ad specificam, nec homo ad equum.

79. Pro complemento hujus quæst. Quæres : an abstracta natura humana à solo Petro, sit formaliter universalis ? Ratio dubitandi est, quia in nostra sententia unitas specifica naturæ humanæ non est totaliter in Petro, sed partialiter : aliunde cognitio abstrahens debet esse vera, & conformis objecto, repræsentans in natura id solum, quod in ea invenit, ut diximus in ratione probativa num. 58. ergo species impressa, & cognitio abstrahens naturam à solo Petro ; non repræsentant naturam totaliter unam specificè, nec potentem esse in multis. Sed natura quæ non potest esse in multis, & quæ non est una specificè totaliter, non est formaliter universalis : ergo natura abstracta à solo Petro, non erit universalis.

Ex alia parte videtur dicenda universalis, quia natura abstracta à singularitate, non est formaliter singularis : ergo est formaliter universalis. Secundo natura sic abstracta est diffinibilis, & scibilis ; ergo universalis. Tertio, natura sic abstracta, non est natura Petri, cum abstracta sit à Petreitate : ergo est natura indifferens ad essendum in hoc, vel illo, & sic est universalis.

De hoc dubio agendum est infra, & nota non esse quaestionem specialem in nostris principijs, quia etiam inter Thomistas disputatur, & quidam affirmant, quidam negant, ut videbimus. Ne autem nimis quaestio praesens protrahatur novo isto dubio addito, dicendum est, quod natura abstracta à solo Petro, est universalis negativè in essendo; & positivè universalis in representando. Explicatur. Natura Petri sic abstracta, non est singularis, quia abstracta est à singularitate: sed non singulare est universale saltem negativè: ergo natura sic abstracta, est universalis negativè in essendo. Id est habet esse objectivum, quod non est singulare, sed abstractum.

Dicimus etiam, quod est positivè universalis in representando; non quia representet naturam multis communem, nec multas naturas; quia si ita representaret, falsò representaret; cum natura representata, non sit plures, sed una; nec sit natura à parte rei communis multis, sed soli Petro propria. Dicimus esse communè, & universalem in representando, quatenus natura illa ducit nos in cognitionem omnium habentium naturam humanam; quare est signum universale, & uniuersale in significando, vel representando. Ita D. Thomas

lib. de ente, & essentia cap. 4. & N. Ægidius locis datis lib. 2. Logicæ quaest. 2. §. 5.

80. Hinc ad rationem dubitandi, dicimus quod cognitio abstrahens ut sit vera, factis est, quod attingat quod est in re, licet non attingat omnia quæ habet in re. Attingit ergo cognitio naturam Petri, quæ non est universalis in essendo, sed singularis; sed quia non tangit singularitatem, remanet natura cognita universalis negativa in essendo, hoc est non singularis. Et totum est verum, quia etiam à parte rei natura Petri ex se non est singularis, sed ratione singularitatis adiunctæ.

Ad rationes pro secunda parte dicimus primam solum probare universale negativum, & hoc concedimus. Secunda probat universale negativum in essendo, & positivum in representando. Quia natura sic universalis est diffinibilis, & diffinitio ejus ducit nos in cognitionem omnium habentium eandem naturam. Tertia probat universalitatem negativam in essendo, quia natura abstracta à Petricitate, in re est natura Petri, sed non cognoscitur ut Petri, sed positivè à Petricitate: unde non est positivè indifferens ad essendum in Paulo, sed negativè indifferens, quia non explicat

fin

singularitatem Petri, per quam lijs. Vide quaest. 4. sequenti repugnat esse in Paulo, & a- num. 40.

QUÆSTIO QUARTA.

Per quam potentiam intellectus fiat universale?

§. I.

Quaedam prænotantur, & controvertitur discrimen uniuersalis logici, & metaphysici.

1. SICUT quaestione 6. libri secundi disputavimus: an sensus interni, & externi faciant ens rationis; ita nunc disputari potest, an faciant universale? Partem affirmativam tenent Oviedo, Arriaga, & Lince. Sed negativa est communis, & vera, quam sequimur. Et quidem universale est concretum ex natura abstracta ab inferioribus, & intentione universalitatis: sed neutrum potest fieri à sensibus externis, vel internis: ergo sensus non faciunt universale. Probatur minima per partes. Et primò de intentione universalitatis. Nam ista est ens rationis, & relatio quædam naturæ abstractæ ad inferiora: sed lib. 2. Logicæ quaest. 6. §. 1. 2. & 3. probatum est à nobis quod sensus externi, interni, & voluntas, nullam faciunt ens rationis: ergo nec possunt

facere intentionem universalitatis. Vide loco citato rationes pro hoc.

Jam verò quod sensus non possint abstrahere naturam à singularibus, probatur ex nostro Ægidio lib. 2. de Anima textu 60. & in 2. Sent. distinct. 8. quaest. 2. art. 2. in tertio argumento, & alibi. Sapè, dicente: *Particulare est dum sentitur; universale dum intelligitur.* Quæ doctrina est constans principium in Aristot. & D. Thomas, discriminantibus cognitionem sensitivam ab intellectu per hoc quod sensus non percipit nisi singularia; intellectus autem solus universalia: sed cognitio attingens singulare ut tale, non attingit naturam abstractam à singularibus: ergo sensus interni, & externi non possunt abstrahere naturam à singularibus. De voluntate cõ-

stat

stat ex dictis quæst. citata §. 3. Quia cum voluntas essentialiter supponat cognitionem, *Quia nihil volitum, quin præcognitum*, supponit jam objectum abstractum, si tendit in illud aliquando; quare nec abstrahit, nec facit ens rationis, aut intentionem universalitatis.

Dices: Visus videns pomum, attingit colorem sine odore, & abstrahit à materia pomii: ergo possunt sensus externi facere universale. Respondemus primò cum nostro B. Egidio 1. Sent. distinct. 26. quæst. 1. artic. 3. in corpore, quòd talis abstractio est impropria, quia non est inter extrema, quæ sunt una res; sed inter extrema realiter distincta; cum odor, & sapor, sint duæ res, color item, & substantia pomii sint res realiter distinctæ. Universale autem fit per abstractionem propriam inter extrema realiter identificata, & quæ sunt una res. Vel secundò respondetur cum D. Thoma 1. part. quæst. 8; art. 2. quòd abstractio coloris ab odore, non fit ab oculo, sed in specie visibili immissa ab objecto representatur color, & non odor, qui non est visibilis. Potentia illa dicitur abstrahens, quæ inter duo, quæ potest percipere, unum tangit, & non aliud. Visus nequit percipere odorem,

quare non perceptio odoris, non est abstractio, sed negatio perceptionis in subjecto incapaci. Vel dic tertio, quòd abstractio requisita ad universale, est abstractio à singularitate, ut probatum est: ergo quidquid sit de abstractione à materia pomii, odore, & alijs, visus nequit facere universale.

2. Restat ergo controversia in duobus, scilicet de intellectu agente, & de intellectu possibili, quòrum munera supra explicavimus, & lib. 2. q. citata. Rursus cum intellectus possibilis habeat varias operationes, de his dubitatur. Hæc infra explicabimus; nam inde oritur diversitas sententiarum, quæ tanta est, ut non parum laborandum sit pro claritate sensus sententiæ nostræ. Interim aliud caput diversitatis sententiarum discutiendum est, & oritur ex celebri illa divisione universalis in Metaphysicum, & Logicum, quam omnes admittunt, ut expressum in D. Thoma, & Aristot. sed non omnes eodem modo explicat, adhuc discordantibus inter se Thomisti.

Quam plures RR. docent quòd universale metaphysicum est natura abstracta à singularibus, & una per abstractionem. Universale autem logicum est natura illa ut potens esse in multis, & de multis. Ex quo infer-

ferunt quòd universale metaphysicum est *Natura ut quid absolutum*: Universale autem logicum est *natura ut relati-va*. Hoc suadent primò, quia universale metaphysicum est fundamentum universalis logici: sed fundamentum relativi est aliquid absolutum: ergo universale metaphysicum est aliquid absolutum. Secundò. Ad Metaphysicam spectat agere de ente, & de ejus unitate, & multiplicitate: ergo natura abstracta, quæ est una, & universalis, erit universale metaphysicum. Tertio, quia quidquid additur naturæ sic abstractæ est ratio rationis naturæ aptæ ad essendum in multis, & prædicari de multis: sed ratio ista rationis est secunda intentio, quæ spectat ad Logicam, & non ad Metaphysicam: ergo natura *absolute* sumpta est universale metaphysicum; *relative* accepta, est universale logicum.

Contrariam sententiam tenet Magister Prado in Logica lib. 1. quæst. 11. & eam probat primò, quia explicatio data est contra mentem D. Thomæ, & omnium antiquorum, qui talem distinctionem invenerunt. Secundò, quia unitas sine pluralitate est unitas singularis, non universalis, quòd diffinitur *unum in multis*. Quare nec sola pluralitas, nec sola unitas sufficit ad universale, sed

requiritur utrumque. Atqui natura abstracta absolute accepta, est tantum una, non autem est una in multis, quia sic sumitur relative: ergo absolute accepta non est universalis. Tertio, omnes scientiæ agunt de universalibus, & etiam Metaphysica, sed cum hoc discrimine, quòd aliæ scientiæ agunt de universalibus materialiter sumptis. Metaphysica de eis formaliter acceptis: atqui aliæ scientiæ agunt de naturis *absolute* acceptis, ut sunt unum per abstractionem: ergo Metaphysica amplius attingit, scilicet naturas illas *relative*, ut sunt unum in multis. Quare universale metaphysicum est natura *relative* accepta.

Propter hæc dicit Prado quòd universale duo dicit, scilicet, naturam abstractam, & secundam intentionem universalitatis. Ut autem consideratur natura ut substratum secundæ intentionis, hoc modo est universale metaphysicum. Ut autem consideratur natura cum secunda intentione universalis, & prædicabilis, hoc modo est universale logicum. Pro hac sententia citat D. Thomam pluribus locis, & hanc putat mentem antiquorum.

3. Dicendum putamus, quòd *Universale in essendo est universale metaphysicum; universale autem in prædicando est*

est universale logicum. Probatur ratione efficaci. Illud est universale metaphysicum, quod pertinet ad solam Metaphysicam; & illud universale logicum, quod pertinet ad solam Logicam: sed universale in essendo pertinet ad solam Metaphysicam; & universale in prædicando ad solam Logicam: ergo universale in essendo est universale metaphysicum, universale autem logicum est universale in prædicando. Major patet ex ipsis terminis, & ratione, quia nequit esse universale logicum illud, cujus consideratio non pertinet ad Logicam. Rursus D. Thomas opusc. 42. à cap. 4. usque ad 8. contendit explicare quomodo Metaphysica, & Logica agunt de omni ente, & discrimen utriusque inde colligit, distinguendo scilicet, quid pertineat ad solam Metaphysicam, quid ad solam Logicam.

Minor quoad primam partem probatur. Ad Logicam non pertinet modus essendi rerum, an sint universales in essendo, an particulares, an convenient in esse, an in eo differant; hoc enim pertinet ad solam scientiam, quæ agit de omni ente, & de modis essendi ejus: at sola Metaphysica est scientia, quæ agit per se de ente in communi, & de modis ejus essendi universaliter, &

particulariter: ergo universale in essendo pertinet ad solam Metaphysicam.

Quoad secundam partem probatur min. sola Logica agit de modis prædicandi, an essentialiter, an accidentaliter, an dicendo totam essentiam, an partem, & alijs, de quibus lib. sequenti, qui est de Prædicabilibus. Rursus sola Logica discernit inter esse in multis, & prædicari de multis; esse in subiecto, & dici de subiecto: ergo ad solam Logicam pertinet universale in prædicando. Hæc ultima probatio. & ferè ratio tota sumitur ex D. Thomæ loco laudato, ubi in fine cap. 7. dicit sic: *Logicus enim considerat aliqua secundum quod sumuntur in ratione; & post pauca prosequitur, Et ideo quantum ad prædicationem, quæ actum rationis dicit, prædicatur de subiecto, id est de re extra animam. Sed Philosophus primus (intellige metaphysicum) considerat de rebus prout sunt verè entia: & ideo apud Philosophum primum non est differentia inter dici de subiecto, & esse in subiecto.* En clarè metaphysicus agit de hoc universali homo, ut est verum ens, & ut est in subiecto, scilicet in Petro, Paulo &c. Logica agit de eodem, ut est prædicatum affirmabile de Petro, Paulo, & alijs. Sub prima con-

si-

QVÆST. III.

sideratione est *unam in multis*, & universale in essendo: sub secunda est *unum de multis*, & universale in prædicando. Ergo universale metaphysicum est universale in essendo; logicum verò est universale in prædicando.

4. Et confirmatur ratione insinuata à D. Thomæ in verbis allegatis. Metaphysicus non discernit inter *Esse in subiecto, & dici de subiecto*; logicus autem discernit: sed hoc ideo est, quia Metaphysica nõ agit de universali in prædicando, nec Logica de universali in essendo: ergo universale metaphysicum est universale in essendo, universale logicum est universale in prædicando. Major est D. Thomæ, minor probatur, quoad primam partem sic. Si Metaphysica ageret de universali in prædicando, curaret videre quot modis, & qualiter res prædicetur de subiecto; & sic nedum attenderet quomodo res est in subiecto, sed etiam quomodo de illo dici potest, & sic utrumque distinctè notaret, quod est discernere: sed Metaphysica in nullo libro, aut parte sui, tractat de modis prædicandi, sed solum de modis essendi: ergo ideo Metaphysica non discernit, quia minimè agit de universali in prædicando.

Quoad secundam partem

§. VII.

sic. Logica agit de universali in prædicando, & de hoc tractat lib. Prædicabilium; item in lib. Prædicamentorum tractat de omni ente substantiali, & accidentali, sicut Metaphysica, non sicut illa quoad esse, sed quoad prædicari, quatenus scilicet ponuntur res in prædicamento, quod juxta N. Egidium, & D. Thomam diffinitur, *Prædicamentum est recta series prædicabilium secundum sub, & supra.* Item omnia considerat in ordine ad propositionem, & syllogismum, discernens inter prædicationes essentielles, & accidentales. Uno verbo, nil considerat Logica, quod directè non ordinetur ad syllogismum, & actuales prædicationes; quare Logica omnia universaliter considerat sub ratione prædicabilis. Sed ad discernendum quomodo universale est prædicabile, oportet præcognoscere quomodo habet esse, quia eo modo prædicabile est universale, quo modo est in inferioribus: ergo Logica debet utrumque considerare, & discernere; cum hoc discrimine, quod universale in prædicando consideratur à Logica per se, ut sibi proprium, & peculiare; universale autem in essendo præsuppositivè tantum, & materialiter, tanquam aliena materia Metaphysicæ, sibi tamen necessaria ad ordi-

nanda prædicabilia, & formandum prædicamentum.

Explicatur exemplo. Hoc objectum consideratur à Metaphysica, & à Logica aliter, & aliter: *Homo est animal rationale, docibile, calidum, risibile &c.* Metaphysica unicè considerat quid sit homo, & quomodo in eo sint animalitas, rationalitas, docibilitas, calor, & risibilitas. Est enim objectum Metaphysicæ *ens*, & quidquid attingit, est sub ratione entis, & sic ad illam pertinet videre in objecto posito quid sit substantia, quid accidens, quid sit identificatum, quid distinctum, quid commune, quid particulare &c. sed nil aliud nisi pertinet ad esse, & modum essendi.

Ceterum Logica in dato objecto considerat quid est subiectum, quid prædicatum, quomodo prædicatur? In quid, aut in quale? An ut proprium, an ut accidens commune? Rursus ad quod prædicamentum spectat quodcumque prædicatum; item an prædicetur ut genus, species, &c. an propositio sit essentialis, an accidentalis, necessaria, contingens &c. Quare omnia attingit sub ratione prædicabilis, & subijcibilis. Ceterum quia ad ponendum hominem in prædicamento substantiæ, calorem in prædicamento qualitatis, magnitu-

dinem in prædicamento quantitatis, oportet scire quomodo ista sint in subiecto, & quomodo habeant esse, ideò Logica etiam dependet à præsupposita cognitione modi essendi, quæ soli Metaphysicæ convenit. Unde Logica debet inter utrumque discernere, ut agat de universali in prædicando; secus Metaphysica, quæ solum agit de universali in essendo.

Secundò dicimus, quòd *Vniuersale in essendo, aut metaphysicum, non est aliquid pure absolutum, sed aliquid relativum.* Hoc est contra primam sententiam relataam num. 2. & probatur eis fundamentis, quibus M. Prado contrariam sententiam probat, quæ eodem numero posita sunt.

Quare tam universalia in essendo, quàm in prædicando, non solum dicunt naturam unam, & abstractam, sed etiam relationem naturæ ad inferiora in quibus potest esse, vel de quibus potest prædicari. Cumque natura abstracta non differat realiter ab inferioribus, ideò relatio naturæ ad inferiora, est relatio rationis; quia inter extrema identificata non potest dari relatio realis. Hæc relatio rationis vocatur secunda intentio propter rationes datas lib. 1. Logicæ quæst. 8. & lib. 2. q. 2. & 5.

6. Quæres, an universale

sale in prædicando sit distinctum ab universali in essendo? Ratio dubitandi est, quia D. Thom. opusc. 48. cap. 1. loquens de prædicabilibus ait, *Quæ universalis dicuntur, prout intellectus attribuit eis esse in pluribus, prædicabilia verò dicuntur, prout intellectus attribuit eis dici de pluribus.* Idem discrimen sæpè insinuat Doctor N. sed *esse, & dici* sunt diversa attributa: ergo universalis in essendo, quæ constituuntur per illud esse, differunt ab universalibus in prædicando, constitutis per *dici*. Rursus: Universale in prædicando est quid posterius ad universale in essendo, sed nihil est posterius ad se ipsum: ergo utrumque universale est distinctum. Major patet, quia prædicabilitas est passio universalitatis in essendo; sed passio est posterior ad subiectum, cuius est passio: ergo idem tandem ex discrimine assignato; nam universalis, quæ seorsim spectant ad scientias diversas, sunt distincta: sed universale in essendo spectat ad Metaphysicam, universale in prædicando ad Logicam: ergo sunt distincta.

Dubium hoc est parvi momenti, quod tamen disquirimus propter duo. Primò, quia si sunt universalis distincta, debent dicere relationes rationis distinctas, & sic pro eis forsan

erunt actiones distinctæ necessariæ. Secundò, quia pro dicendis in nostra sententia conducit hoc, etiam si non sit ligata uni, vel alteri parti, ut videbitis. Dicendum putamus *Ea universalis non esse distincta, sed unum, & idem per eandem relationem rationis naturæ ad inferiora, de quibus potest dici, & in quibus potest esse.* Hæc videtur mens D. Thomæ, & Doct. nostri. Quæ suadetur sequenti ratione.

Si universale in essendo differret in suo esse ab universali in prædicando, Metaphysica agens de omni ente, & de omni esse, etiam rationis, discerneret inter utrumque esse utriusque universalis: sed ut vidimus ex D. Thoma, & ratione probatum est, Metaphysica in nullo prædicato realiter discernit inter esse, & dici: ergo non sunt universalis distincta quoad esse, sed per unum & idem esse, & per unam & eandem relationem naturæ ad inferiora, respicit illa ut subiectum in quo est, & ut subiectum de quo dici potest. Confirmatur. Per hoc præcisè quòd natura sit potens esse in pluribus, est potens dici de illis; non enim posse dici addit aliquid supra posse esse: ergo per hoc præcisè quòd natura sit universalis in essendo, est universalis in prædicando sine ullo

addito. Consequentia patet, & antecedens probatur, quia posse dici, est posse affirmari esse: sed esse posse affirmari, nihil addit supra esse; quid enim addit supra esse hominem, posse affirmari esse hominem? Certè nihil: ergo.

7. Dicimus secundò, quòd *Universale in prædicando differt quoad cognosci ab universali in essendo*. Probatum ex dictis, quia juxta D. Thomam Logica inter utrumque discernit: sed quæ non sunt distincta quoad cognosci, non possunt discerni, & discriminari: ergo utrumque universale est diversum quoad cognosci. Minor est certa, quia quæ habent idem cognosci, semper cognoscuntur ut idem: ergo non ut discreta, & distincta, & consequenter quæ non sunt &c.

Replicabis: cognosci sequitur ad esse, quare quæ non sunt distincta quoad esse, non sunt distincta quoad cognosci. Sed per nos utrumque universale non est distinctum quoad esse: ergo nec quoad cognosci. Secundò in entibus rationis esse est idem ac cognosci, quia esse entis rationis est esse objectivum in intellectu, & sic consistit in cognosci: sed universale pro formali est ens rationis: ergo universale quòd non est distinctum quoad esse, non est distinctum quoad cognosci.

Respondemus, quòd cõgnosci sequitur ad esse aliter, & aliter considerabile, & non purè ad esse, quare cum idem esse sit aliter, & aliter considerabile, potest habere duo, vel tria cognosci distincta, cum in se absolute non habeat, nisi unum esse. Exemplum habemus in nostra materia. Ens rationis unicum habet esse; & tamen aliter consideratur à Metaphysica, aliter à Logica: ergo unum, & idem esse, habet diversum cognosci. Rursus Metaphysica agit de omni ente, quare nullum est ens, quod non habeat cognosci à Metaphysica: ergo si ens non habens nisi unum esse, non haberet, nisi unum cognosci, nulla daretur scientia particularis agens de naturis rerum, sed solum daretur Metaphysica agens de omnibus.

Hinc in forma, data distinctione, respondetur, cognosci sequitur ad esse, absolute, nego, ad esse ut verum transcendente, quale est esse, ut cognoscibile, concedo antecedens quoad hanc partem, & nego quoad secundam, quia contrarium probatum est à nobis de unico esse cum duplici cognosci. Ad secundum nego majori quia esse entis rationis non consistit in cognosci, ut late probatum est à nobis lib. 2. Logic. quæst. 2. & ex hic dictis

ais satis constat.

Ex dictis habes quomodo differant universale in essendo, & in prædicando, habent enim diversum cognosci; immò terminant diversas scientias, quia de universali in essendo sola Metaphysica tractat, de universali in prædicando sola Logica; sed constituuntur per idem esse, & per eandem relationem rationis naturæ ad inferiora, quæ ut refert naturam ad ea in quibus potest esse, constituit universale in essendo; ut autem refert naturam ad ea, de quibus potest prædicari, habet constituere universale in prædicando. Hæc relatio unica non habet diversum esse objectivum, alioquin non una, sed duplex foret. Habet ergo idem esse objectivum aliter, & aliter considerabile.

8. Hinc facile solvuntur objecta in contrarium posita num. 6. Ad primum dicimus D. Thomam ibi esse pro nobis, quia non asserit prædicabilia esse universalialia distincta ab universalibus in essendo; sed dicit prædicabilia esse universalialia, quæ ut sunt in inferioribus dicuntur universalialia; ut prædicantur de illis dicuntur prædicabilia. Hoc potius est insinuare quòd prædicabilia non sunt universalialia contrapositive ad universalialia. Ceterum sensus est, quòd unum & idem uni-

versale in essendo, & prædicando, dicitur prædicabile, quatenus prædicatur; & universale quatenus est. Et hæc est assertio nostra.

Ad secundum dicimus, quòd universale in prædicando, est quid posterius quoad cognosci; sed non quoad esse; quia cum habeat idem esse, nequit dari prius, aut posterius; bene verò in cognosci, quia prius est scire quomodo universale est in subjecto, quam videre quomodo sit de illo prædicabile. Dicitur prædicabilitas passio universalialitatis; non proprie, quia non habet distinctum esse; sed improprie, & similitudinariè, quia sicut passio fuit ab essentia, ita cognoscibilitas prædicabilis dimanat, pendet, & sequitur ex universalialitatis cognoscibilitate. Ad ultimum constat ex dictis, quia in ente rationis habente unicum esse, datur diversum cognosci, quo terminat diversas scientias.

9. Restat solvere fundamenta posita num. 2. quibus RR. probant universale metaphysicum esse quid absolutum, & solum dicere naturam abstractam. Ad primum dicitur majorem esse falsam in principiis datis, quia si idem universale est metaphysicum, & logicum, & nihil sit fundamentum sui ipsius, universale metaphy-

ficum non est fundamentum universalis logici. In sententia autem eorum qui dicunt solam naturam esse universale metaphysicum, in ea valet quod sit fundamentum universalis logici. Sed huic sententiæ non sumus conformes, quare negamus majorem primi fundamenti contrarij. Possumus tamen in aliquo sensu admittere illam propositionem, quatenus prædicari de pluribus sequitur ad esse in pluribus, & eo modo, quo res est in eis, de illis prædicatur; quare prædicari hoc modo fundatur supra esse. Sed observa, quod non est propria locutio, quia fundamentum, & res fundata, debent distingui quoad esse; & sic non distinguuntur universalia in essendo, & prædicando. Distinguuntur autem quoad cognosci, & de eis sic distinctis, licet improprie, dicere possumus quod *dici* fundatur supra esse.

Ad secundum concedimus, quod natura abstracta, ut est quid absolutum, pertinet ad Metaphysicam agentem de ente, sed non pertinet, ut universale metaphysicum. Non enim sola universalia pertinent ad Metaphysicam, sed singularia, & omne quod habet rationem entis. Dicimus etiam quod natura sic abstracta, antequam intelligatur relative esse in multis, est una, & non singularis,

cum præscindat à singularitate. At non est universalis positive, sed negative. Universale negativum est idem ac non singulare, natura sic abstracta, est non singularis; quare est universalis negative. Sed non est universalis positive, quia ad hoc non sufficit unitas, sed requiritur unitas in multis, quod non habet natura, nisi relative considerata.

Ad tertium concedo maj. & nego min. quia non sola Logica agit de secundis intentionibus, sed Metaphysica etiã, quæ, licet secundariò, agit de ente rationis. Vel dic secundò quod de illa intentione universalis, & prædicabilis agunt Metaphysica, & Logica, aliter, & aliter. Metaphysica agit de illa, quatenus est universalitas in essendo; Logica quatenus est universalitas in prædicando. Quod insinuatum est à D. Thoma verbis illis satis notis, *Ens rationis proprie dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis, ut intentio generis, speciei, & similium; & hujusmodi ens rationis est proprium subjectum Logica.* Observa S. Doct. non ponere exemplum in universalibus in essendo, nec dixit *ut intentio universalitatis; sed generis, speciei, & similium*, quare posuit exemplum in solis prædicabilibus, ad denotandũ, quod

quod Logica solum tractat ut de proprio subjecto de universalis in prædicando, & quod ad illam solum pertinent intentiones prædicabilium.

10. Dices: universale est genus ad quinque prædicabilia: ergo Logica agens de prædicabilibus, agit etiam de universalibus; & sic non tenet discrimen solutionis nostræ. Respondemus distinguendo antecedens, & simul consequens. Universale est genus ad quinque prædicabilia, universale ut est prædicabile, concedo; universale ut universale in essendo, subdisting. est genus ad prædicabilia, ut universalia sunt, concedo, ut prædicabilia sunt, nego antecedens, & consequentiam, sub eadem distinctione. Diximus quod universale in prædicando, quod est idem ac prædicabile, non distinguitur ab universalis in essendo, quod proprio nomine est universale. Ergo in universalis ut sic, datur *esse, & dici*, & etiam in *specie, differentia &c.* datur *esse* quo sunt universalia in essendo, & *dici*, quo sunt universalia in prædicando. Sed observa quod illæ quinque voces, *Genus, species, differentia, proprium, & accidens*, jam cum Porphyrio sumuntur pro universalis in prædicando, sub qua consideratione pertinent ad solam Logicam; nam

ut vidimus ex D. Thoma, Metaphysica non discernit inter *esse, & dici*.

II. His aequaliter discursus, restat cum R.R. notare varia munera intellectus, ejusdemque diversas operationes, ut Sententiarum varietatem possimus discernere. Duplicem intellectum in nobis esse, vel unicam potentiam, quæ duo habet munera, omnes supponunt ex dicendis in lib. de anima. Unus vocatur *intellectus agens*, cujus munus est tantum, denudare species materiales, receptas per sensus, à conditionibus materialibus, & speciem sic denudatam unire intellectui possibili. De hoc egimus lib. 2. Logicæ quæst. 6. Motivam sic denudandæ speciem est, quia species, per sensus recepta, est materialis; materiale non potest uniri spirituali, nisi depuretur à materialitate: cum ergo intellectus possibilis sit spiritualis, & intelligat modo spirituali sine dependentià à materia; ideò species illi unienda, debet spiritualizari. Sic spiritualizatur ab intellectu agente, qui dicitur agens, non quia intelligat, nam nil intelligit; sed quia irradiat, & illuminat speciem, sicut lumen Solis illuminat colores, ut possint videri: item quia activè se habet uniendo speciem intellectui possibili.

Alter intellectus dicitur *possibilis vel passibilis*; hic est qui intelligit, & dicitur passibilis, quia intelligere est pati. Pati enim est recipere: sed intellectus intelligit primò recipiendo speciem ab intellectu agente, postea eliciendo intellectiōnem, quæ recipitur in eodem intellectu: ergo patitur; & sic est passibilis. Ille habet varias operationes de quibus lib. 1. Summul. sed hic quatuor notantur de quibus est dubium. Prima est *abstractio negativa*, & consistit in cognitione naturæ sine singularibus, nullomodo attactis. Secunda est *abstractio positiva*, & est actio, quæ attingit naturam sine singularibus, sed cognoscit singularia, ut terminum, à quo natura est abstracta. Tertia est simplex comparatio, & consistit in cognitione naturæ cum ordine ad inferiora, in quibus potest esse. Quarta est comparatio composita, & est actus, quo natura actu comparatur, & actu prædicatur de singularibus.

§. II.

Sententia proponuntur, & suis fundamentis comprobantur.

PRIMA sententia docet universale me-

taphysicum fieri per abstractionem intellectus agentis. Ita aliqui quos in præsentia sequitur Mag. Froilan. Probatur primò ex D. Thoma opusc. 55. ubi ait: *Vna & eadem natura, quæ singularis erat, & individuabatur per materiam in singularibus hominibus, sic postea universalis per actionem intellectus depurantis ipsam à conditionibus individuantibus*: at intellectus agens est, qui ita depurat: ergo juxta D. Thomam universale metaphysicum fit ab intellectu agente. Eandem doctrinam habet S. Doct. 1. p. quæst. 46. art. 1. & ibi quæst. 79. art. 1. in 2. argumento expressè asserit intellectum agentem facere universale, quod est unum in multis.

Secundò probatur à ratione. Universale metaphysicum est natura non repugnans esse in multis: sed per intellectum agentem redditur natura non repugnans esse in multis: ergo redditur metaphysicè universalis. Probatur min. Tota repugnantia naturæ ad essendum in multis, oritur ex singularitate ejus: sed per intellectum agentem abstrahitur natura à singularitate: ergo per intellectum agentem &c.

Confirmatur primò, per intellectum agentem taliter abstrahitur natura à singularibus, ut non maneat alicui appropriata

tà: sed natura nulli appropriata, est indifferens ad essendum in pluribus; & sic universalis metaphysicè: ergo per intellectum agentem redditur natura universalis metaphysicè.

Confirmatur secundò. Illa actio reddit naturam metaphysicè universalem, quæ reddit illam indifferentem ad plura: sed talis est abstractio intellectus agentis: ergo idem. Probatur min. Abstractio intellectus agentis tollit à natura pluralitatem, & dat illi unitatem: sed hæc unitas est indifferens ad essendum in multis: ergo &c.

Probatur secundò eadem sententia ab alijs ex Aristot. 3. de anima textu 18. ubi comparat intellectum agentem lumen corporeo in hoc, quod sicut lumen corporeum colores in potentia visibiles, reddit actu visibiles, ita intellectus agens reddit actu intelligibile objectum intellectus: sed objectum intellectus est universale: ergo si juxta Aristot. ab intellectu agente redditur objectum actu intelligibile, redditur actu universale.

Confirmatur. Natura per actualem contractionem à principijs individualibus, fit singularis: ergo per actualem abstractionem à singularibus fit universalis: sed intellectus agens naturam actu abstrahit à singularibus: ergo intellectus agens

facit actu universale.

Confirmatur secundò, universale est objectum intellectus agentis, & intellectus possibilis, illius ut potentia activæ, hujus, ut potentia passivæ: sed de ratione potentia activæ est facere suum objectum, & de ratione potentia passivæ est illud præsupponere factum, ut illud patiatur: ergo universale non fit ab intellectu possibili, sed ab intellectu agente.

13. Secunda sententia docet universale fieri per abstractionem quamcumque intellectus possibilis. Ita Durandus, Toletus, & alij. Et probatur primò ex D. Thoma 1. p. quæst. 85. art. 2. ad secundum ubi ait sic: *Sed quòd humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus quod est ipsum abstrahi, ad quod sequitur intentio universalis, accidit humanitati secundum quòd percipitur ab intellectu.* Idem docet opusc. 42. cap. 5. & de ente, & essentia cap. 4. ex quo sic. Illa actio est factiva universalis, quæ est factiva ejus, ad quod sequitur intentio universalitatis: sed intentio ista juxta D. Thomam non sequitur ex abstractione intellectus agentis, sed intellectus possibilis: ergo universale fit per abstractionem intellectus possibilis. Probatur min. Intentio universalitatis juxta D. Thomam

sequitur ex abstractione naturæ. *Secundum quod percipitur ab intellectu*: sed intellectus agens non est cognoscitivus, & sic non percipit; bene verò natura percipitur ab intellectu possibili: ergo &c.

Confirmatur. Natura formalis exprimitur per speciem expressam productam ab intellectu possibili, quam per speciem impressam formatam ab intellectu agente: ergo natura formalis est universalis per abstractionem intellectus possibilis, quam per abstractionem intellectus agentis. Quare non tam ab intellectu agente, quam ab intellectu possibili fit universale.

Confirmatur hoc. Aliquid accipit natura cognita per abstractionem intellectus possibilis: sed non accipit fundamentum universalitatis: ergo accipit ipsam universalitatem, & consequenter universale fit ab intellectu possibili abstrahente. Probatur min. Fundamentum universalitatis est natura una, & indifferens ad essendum in multis; sed ante abstractionem intellectus possibilis habet naturalem unitatem, & indifferentiam ex vi abstractionis intellectus agentis, idque constat fundamentis datis pro prima sententia: ergo non accipit natura ab intellectu possibili esse fundamentum universalitatis.

Tertio. Universalitas præcipue logicalis, consistit in aptitudine ad prædicandum de multis: sed per abstractionem intellectus agentis non redditur natura apta prædicari de multis; bene verò per abstractionem intellectus possibilis: ergo per istam fit universale logicum. Probatur min. Natura non cognita non est apta prædicari de multis. sed solum natura cognita: sed per abstractionem intellectus agentis non cognoscitur natura; bene verò per abstractionem intellectus possibilis: ergo &c.

14. Tertia sententia distinguens inter abstractiones intellectus possibilis, docet fieri universale per abstractionem positivam, non per negativam. Suprà utriusque discrimen explicatum est num. 11. Probatur primò ex D. Thoma 1. p. quæst. 85. art. 2. dicente, *Quod ad esse abstractum sequitur in natura intentio universalitatis*. Rursus opusc. 56. dicit S. Doct. *Est igitur universale unum unitate cognitionis*. Sed hæc cognitio, quæ intellectui agenti non convenit, cum non sit cognoscitivus, sed soli intellectui abstrahenti, & cognoscitivo, est cognitio abstrahens positivè, & non solum negativè: ergo universale fit per cognitionem abstractivam positivam intellectus possibilis, non per

negativam. Hæc minor, in qua est difficultas, probatur sequenti ratione.

Universale est unum potens esse in multis determinatis; & universale logicum est unum potens prædicari de multis determinatis: sed per abstractionem negativam non constituitur potens prædicari de multis determinatis, nec in eis esse; bene verò per abstractionem positivam: ergo universale fit per solam abstractionem positivam. Major patet, quia natura humana non redditur universalis, quia sit potens esse in equo, & asino; sed determinatè in Petro, Paulo, & alijs. Min. probatur. Abstractio negativa est cognitio solius naturæ, nulla facta mentione singularium nec per modum termini *à quo*, nec per modum termini *ad quem*: sed ex vi cognitionis nullomodo attingentis singularia, non redditur natura potens esse, & prædicari de multis determinatis, ut patet: ergo.

Confirmatur. Utrumque universale in essendo, & prædicando, constituitur per relationem rationis naturæ ad inferiora, in quibus est, & de quibus prædicatur: sed relatio petit terminum determinatum: ergo si natura ex vi præcisionis negativæ non redditur potens esse, & prædicari de mul-

tis determinatis; non redditur formaliter universalis per abstractionem negativam intellectus possibilis. Iam verò quòd sit per abstractionem positivam probatur, quia per abstractionem positivam cognoscit intellectus singularia, à quibus abstrahit naturam: sed natura est determinatè potens esse, & prædicari de illis, à quibus fuit abstracta: ergo universale formaliter fit per abstractionem positivam intellectus possibilis.

15. Quarta sententia negans sufficere pro universali logico cognitionem abstractivam, quomodocumque absolutam, docet fieri per cognitionem comparativam simplicem. Ita ex antiquis constat Scotus in 2. distinct. 3. quæst. 1. in solutione primi, & alijs locis citatis à Merinero in præfati, qui fatetur esse communem sententiam Scotistarum. Ex Thomistis antiquis allegantur Ferrara, Soncinas, Canariensis. Eamque communiter docent Thomistæ RR. & est his temporibus satis communis. Probatur primò ex D. Thoma quæst. 7. de potentia art. 11. ubi ait, quòd *Intellectus adinvenit intentiones generis, & speciei, considerando ordinem ejus, quod est in intellectu ad res ad extrà*. Sed actus qui considerat ordinem, est compara-

tivus, & ordinativus, non autem est absolutus: ergo universale logicum fit juxta D. Thomam per actum comparativum, non per actum absolutum.

A ratione probatur sic: Natura præcisè abstracta à singularibus sive positivè, sive negativè, est indifferens ut fiat universalis, & singularis: ergo non fit determinatè universalis per actum absolutum, sed per comparativum. Probatur antecedens. Natura humana v.g. præcisè ex vi abstractionis est indifferens, ut comparetur ad genus animal, & sic fit singularis, vel ad individua humana, & sic fit universalis: ergo &c.

Confirmatur. Color v.g. ex vi abstractionis absolutæ est indifferens, ut si comparetur ad albedinem, & nigredinem, fit genus; si verò comparetur ad Petrum, Paulum, & alios, fit accidens commune: ergo antequam actu comparetur, nec determinatè est genus, nec determinatè est accidens commune; & sic non est determinatè prædicabile: ergo nec est determinatè universale logicum. Patet consequentia, quia nihil potest esse in determinato genere, nisi sit in determinata specie: ergo si color abstractus ante comparisonem non est in determinata specie prædicabilis, & universalis logici; non

erit nisi per actualem comparisonem universale logicum.

Confirmatur 2. Forma universalis logici non fit per actum absolutum, sed per comparativum: ergo nec universale logicum. Probatur antecedens. Forma universalis logici est relatio rationis naturæ ad inferiora: sed hæc non fit nisi per actum comparativum: ergo. Probatur min. relatio rationis solùm fit per actum, per quem practicè cognoscitur, sicut quodlibet ens rationis: sed relatio rationis solùm cognoscitur practicè per actum comparativum cognoscentem, & referentem naturam ad inferiora: ergo &c.

Quòd autem non fiat per comparisonem compositam, probatur sic. Comparatio composita est actualis prædicatio naturæ de inferioribus: sed hæc supponit universale logicum, jam factum: ergo non facit. Probatur min. Antequam natura actu prædicetur de inferioribus, est actu prædicabilis: sed natura actu prædicabilis de multis, est actu universale logicum: ergo &c.

16. Quinta sententia docet fieri universale per comparisonem compositam. Ita P. Vazquez, Lince, & aliqui RR. & probatur. Quia universale fit per actum cognoscentem naturam unam in multis

eis: sed talis actus est comparatio composita: ergo per illam fit universale. Probatur min. actus cognoscens naturam unam in multis, cognoscit illam identificatam cum multis: sed identitas unius cū alio solùm cognoscitur per judicium affirmativum unius de alio, quod est comparatio composita: ergo.

Hæc sententia, quæ veluti improbabilis ferè recensetur à RR. ab eisque impugnatur, nobis probabilissima foret, nisi altera restaret via conciliandi D. Thomam, N. Ægidium, & P. Augustinum, quam veriore putamus reliquis, supra assignatis. Sed quantum ad istam ultimam videtur habere pro se P. August. lib. de decem categorijs cap. 7. ubi ait: *Regulariter autem illa de subiecto significantur (en prædicabile) quæ per se ipsa cognosci non possunt, ut animal intelligi non potest, nisi de subiecto homine: sic homo adverti non potest nisi de subiecto aliquo homine dignoscatur.* Ecce non potest homo cognosci, ut prædicabile, nisi de subiecto aliquo homine dignoscatur: sed sic dignoscitur dum actu prædicatur de aliquo subiecto homine: ergo juxta P. August. universale logicum solùm fit, & cognoscitur per actuale judicium prædicativum, quod est com-

paratio composita.

§. III.

Nostra sententia proponitur, & probatur ex P. Augustino, D. Thoma, & B. Ægidio.

17. **N**OSTRA sententia dicit quòd *Universale formaliter non fit per ullam cognitionem intellectus: fundamentaliter autem fit per solam abstractionem directam intellectus possibilis, sed non cognoscitur, nisi per cognitionem comparativam.* Ita noster Villanova, qui citat B. Ægidium, & nostros Gerardum, & Landonum. Tres partes continet conclusio nostra, quare duæ constant ex dictis à nobis lib. 2. Logicæ q. 5. §. 2. altera restat probanda hic prolixius: duas primas primò dictis conformemus.

Dicimus primò, quòd *Universale non fit formaliter per ullam operationem intellectus.* Probatur. Universale logicum, & metaphysicum juxta dicta §. 1. constituitur formaliter per relationem rationis naturæ ad inferiora, in quibus potest esse, & de quibus potest prædicari: sed relatio rationis, & omne ens rationis cum fundamento, non fit ab intelle-

Et formaliter per ullam sui operationem: ergo universale in essendo, & prædicando, sumptum pro formali, non fit ab intellectu per aliquam sui operationem. Major cum consequentia tenet, & min. probata est à nobis lib. 2. quæst. citata ex P. Augustino, D. Thomæ, & B. Ægidio, videantur ibi probationes, ne eadem repetamus inutiliter.

Dicimus secundò, *Quòd universale fundamentaliter fit per abstractionem directam intellectus possibilis.* Hæc assertio, ut sonat, defenditur etiã à Thomistis RR. qui dicunt, quòd fundamentum universalitatis logicæ est natura abstracta; & sic abstrahitur per cognitionem directam. At in sensu à nobis accepto, negatur ab ipsis; quia nos putamus de mente D. Thomæ, quòd ex tali fundamento sine nova actione resultat relatio rationis naturæ ad inferiora, & in hoc sensu defendimus hoc assertum: sed sic negatur à Thomistis RR. non autem ab antiquis, quia P. Fonseca, & P. Valius citant pro hoc asserto, antiquos Soncinatem, & Hispanensem. At quidquid de his sit, veritatem inquirimus, & sensum legitimum doctrinæ D. Thomæ, quem putamus expressum satis pro hoc asserto.

Probatur ergo primò ex P. Augustino lib. de decem categorijs cap. 1. ubi distin-

guens nomina universalìa a singularibus, dicit sic: *Si quis leonibus, quod fieri solet, vel bobus imponat nomina, in immensam tenditur uniuscujusque cognitio, & acies mentis obtunditur: sed cum leonem, vel taurum dixeris, omnes qui ubique sunt, sub uno nomine naturæ succedunt.* Et infrà cap. 3. dicit, *Liquet non posse dici aliquid, nisi quod perceptum fuerit.* En S. P. docet, quòd nomen leo est nomen naturæ, sub quo succedunt omnes leones singulares, qui ubique sunt: dicit etiam nihil posse nominari, nisi fuerit mente perceptum: ergo juxta S. P. non possumus nominare naturam universalem Leonis, in qua omnes leones conveniunt, nisi percepta sit natura illa sic communis, & univarsalis. Nunc sic. Atqui juxta S. P. natura leonis sic communis, & universalis, cognoscitur cognitione directà: ergo universale fundamentaliter fit per cognitionem directam. Probatur hæc min. primò, quia juxta S. P. eo modo intellectus noster imponit nomen naturæ leonis, quo *Fieri solet ut imponat quis leonibus in particulari nomina:* sed ad imponendum nomen leoni singulari, sufficit cognitio directà ejus: ergo &c.

Secundò probatur min. ex P. Augustino lib. 2. de ordine cap. 17. ubi explicat actionem

nem, qua fit universale de quo est scientia, & eam insinuat directam, & explicitè vocat abstractivam, & præcisivam. Dicit sic: *Ego quodam meo motu interiore, & occulto, ea quæ dicenda sunt, possum discernere, & connectere; & hæc vis mea ratio vocatur. Quid autem discernendum est, nisi quod aut unum putatur, & non est; aut certè non tam unum est, quàm putatur.* Et infrà: *In illa parte vitantur aliena, in hac propria copulantur, ut unum aliquid perfectum fiat.* Non utitur S. P. hic terminis scholasticis nostri temporis, sed sensum nostrum satis insinuat, ut patebit explicatione hujus sententiæ.

Dicit primò se loqui de ijs, *Quæ dicenda sunt:* at non discuntur singularia, quia de eis non est scientia, ut vidimus quæst. 1. ergo loquitur de universalibus. At quomodo fiunt universalìa, quæ dicenda sunt? Respondet S. P. quòd fiunt *Discernendo, & connectendo motu animæ interiore, & occulto.* Sed quid discernitur, & connectitur? Respondet discerni, quæ *Putantur unum, & non sunt, aut nõ sunt tã unũ, quàm putantur.* Videmus in Petro naturam cum singularitate; putabis fortè unum esse, quia identificantur; at non sunt tam unum, quàm putatur, quia

sunt plura virtualiter, unde intellectus discernit, & naturam cognoscit sine singularitate. Hoc modo facit in Paulo: & sic cognoscendo utriusque naturam sine singularitate, duo fiunt; nam primò *vitantur aliena*, eò quòd in nullo individuo singularitas est de essentia naturæ, sed aliena ab essentia; secundò *Copulantur propria*, ut unum aliquid perfectum fiat, quia semel abstracta natura utriusque à singularitatibus, natura quæ per singularitates erat duplex, copulantur, & fit una unitate perfecta, & essentiali. Sic fit universale, & fit *Motus quodam interiore, & occulto.* Hic motus est cognitio merè directà, & præcisiva, ut vides explicatione textus Augustiniani; nam nulla hic intervenit reflexio, nullus motus comparativus naturæ ad inferiora, sed directus, absolutus, discretivus, & connexivus.

19. Secundò probatur ex D. Thomæ lib. de ente, & essentia cap. 4. ubi dicit: *Ipsa enim natura habet esse in intellectu abstractum ab omnibus individuantibus, & habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extra animam, prout essentialiter est imago omnium. & inducens in cognitionem omnium inquantum sunt homines:*

Ex hoc quòd talem relationem habet ad omnia individua, intellectus adinvenit rationem speciei, & attribuit sibi. Unde dicit Commentator 1. de anima, quòd intellectus est qui facit universalitatem in rebus; hoc etiam Avicena dicit in sua Metaphysicæ 8. Observa quòd sicut P. August. supra laudatus dicit, quòd sub nomine leò, quod est nomen naturæ, omnes qui ubique sunt leones noscuntur, quia Omnes sub uno naturæ nomine succedunt; ita hic D. Thomas Augustino consonans docet, quòd natura humana abstracta inducit in cognitionem omnium in quantum sunt homines.

En argumentum juxta D. Thomam: Natura abstracta per cognitionem directam, habet relationem ad omnia individua, quam postea intellectus reflectens adinvenit: sed relatio illa est rationis, cum sit inter extrema identificata; & in ea relatione rationis consistit universale logicum, & metaphysicum pro formali, cum relatio illa sit secunda intentio universalis: ergo hæc fit fundamentaliter per cognitionem directè abstractivam, antecederet ad omnem cognitionem reflexam, & comparativam. Major patet ex verbis D. Thomæ, & ratione ab ipso inducitur. Nam relatio illa conve-

nit naturæ, quatenus est imago omnium singularium, & inducit in cognitionem eorum: sed ex vi abstractionis naturæ à singularibus natura abstracta est imago omnium in quantum sunt homines, & inducit in cognitionem eorum, Et cum hominem dixeris, noscis omnes, ut docet P. August. lib. laudato de categ. capit. 1. ergo ex vi solius cognitionis abstractivæ &c.

Confirmatur ex D. Thoma 1. par. quæst. 28. art. 1. ad quartum, & 4. Metaphysicæ lect. 4. opusc. 42. cap. 4. & 1. de Potentia art. 1. ad 10. & 1. Sent. distinct. 2. quæst. 1. art. 3. & ferè infinitis locis, ubi de secundis intentionibus duo dicit, primò, Quòd considerationem intellectus consequuntur. Secundò, quòd intellectus eas adinvenit in rebus consideratis. Semper sic loquitur, insinuans quòd cognitio reflexa supra res consideratas non est factiva, sed adinventiva secundarum intentionum in rebus consideratis: ergo fiunt secundæ intentiones ante cognitionem reflexam, & comparativam, ex vi solius cognitionis directæ, & præcisivæ naturæ à singularibus; nec per cognitionem directam fiunt formaliter, sed fundamentaliter, quia semel natura abstracta, consequuntur ad eam intentiones

nes illæ, modo quo relatio realis consequitur posito fundamento, & termino. Vide dicta à nobis lib. 2. log. quæst. 5. §. 2. & quæst. 2. §. 3. ubi latè hoc comprobatum est ex D. Thoma. & B. Ægidio.

Confirmatur secundò. Illa actio intellectus nostri est factiva universalis, quæ dat existentiam secundis intentionibus universalis: sed ista non est actio reflexa, nec comparativa, sed absoluta, & abstractiva directè naturæ à singularibus: ergo per istam fit universale modo dicto. Major est certa, quia facere est dare existentiam. Minor probatur. Illa actio dat existentiam enti rationis, & secundis intentionibus, quæ producit speciem expressam naturæ, in qua objectivè existunt secundæ intentiones: sed actio productiva speciei expressæ representantis naturam sine singularibus, est actio directæ, & abstractiva: ergo &c. Minor patet, & maj. latè probata est à nobis lib. 1. Log. quæst. 4. §. 2. Vide D. Thomam 1. p. quæst. 8. art. 2. ad secundum, ubi expressè docet fieri universale per cognitionem directam abstractivam naturæ.

20. Probarur tertio ex nostro Ægidio tam locis citatis à nobis lib. 2. ubi de ejus mente actum est, sicut de suo, & nostro Præcept. Angelico, cum breviter lib. 2. de anima

textu 60. ubi ait: Hoc viso, de levi patet, quomodo aliquid habet esse universale. Nam res ipsæ sunt universales; sed non sunt universales, ut sunt in se ipsis; quia sic habent esse non abstractum: sed sunt universales, ut consideratæ ab anima, quia sic hæc esse abstractum. Et infra: Sicut ergo res non sunt consideratæ per considerationem quæ sit in eis, sed hujusmodi considerationem facit anima, & est in anima; sic res non sunt universales per se ipsas, sed intellectus est qui facit universalitatem in rebus. Hæc Doct. N. quæ adeò expressa sunt presententia nostra, ut mirandum sit, cur N. Gavaridi quæst. 3. de universalibus art. 3. neget de mente nostri Ægidij, universale fieri per cognitionem directè abstractivam, tenens fieri per cognitionem reflexam comparativam, quæ sententia est RR. Thomistarum.

Docet ergo N. Doctor quòd intellectus est qui facit universalitatem in rebus, quia intellectus dat eis esse abstractum: & in re extrà non datur universalis, quia res extrà non habent esse abstractum, sed contractum, & singulare: sed intellectus dat rebus esse abstractum per cognitionem directam abstractivam, non autem per reflexam, & comparativam, quia hæc supponit jam

naturam abstractam: ergo univ-
ersale juxta nostrum Agi-
dium non fit per cognitionem
comparativam, sed per directā,
& abstractivam.

21. Probatur 4. à ra-
tione efficaciter. Cognitio re-
flexa, & comparativa intelle-
ctus possibilis, vel est falsa, &
deceptiva; vel supponit univer-
sale logicum jam factum: sed
primum non conceditur à qua-
rta sententia; vel si conceda-
tur, non assignabunt authorita-
tem D. Thomæ, qua id pro-
bent; si secundum; jam non
fit universale per cognitionem
comparativam: ergo fit per
cognitionem directè abstracti-
vam naturæ à singularibus. Cō-
sequencia tenet, quia si suppo-
nitur universale factum, fit per
cognitionem præcedentem: sed
ad cognitionem reflexam præ-
cedit sola directā abstractiva:
ergo si supponitur jam factum
&c. Tota difficultas est in ma-
jori, quam probamus sic. Intel-
lectus reflexè comparans natu-
ram ad inferiora, vel com-
parat naturam, quæ potest esse
in multis, vel quæ non potest
esse in multis. Si hoc secun-
dum? Ergo fallitur, & cog-
nitio comparativa est falsa, com-
parans ad plura, quod in pluri-
bus esse non potest. Si primum?
ergo ante comparisonem natu-
ra est potens esse in pluribus,
& de pluribus: sed natura sic
potens esse in pluribus, & de

pluribus, est universalis forma-
liter, & logicè: ergo ante
comparisonem universale lo-
gicum est jam factum.

Confirmatur 1. ideò jux-
ta Thomistam quartæ senten-
tiæ, universale non fit per cō-
parationem compositam, quia
ante actualem prædicationem
natura est formaliter univer-
salis: sed etiam ante actualem
comparisonem simplicem natu-
ra est formaliter universalis:
ergo non fit per cognitionem
comparativam, sed per absolu-
tam. Probatur min. Ideò jux-
ta Thomistam ante actualem
prædicationem natura est for-
maliter universalis, quia ante
actualem prædicationem natu-
ra est prædicabilis: sed ante
actualem comparisonem sim-
plicem natura est comparabi-
lis: ergo est etiam universalis.
Patet hæc consequentia, quia
sola natura potens esse in mul-
tis, est comparabilis ad multa,
maximè si comparatio non sit
falsa, & erronea: sed natura
potens esse in multis, est for-
maliter universalis, ut patet:
ergo &c.

22. Respondebis cum
DD. quartæ sententiæ, quòd
ante actualem comparisonem
simplicem natura est fundamē-
taliter universalis, sed non for-
maliter, quia fit formaliter per
actualem comparisonem. Hæc
solutio familiaris est, sed ean-
dem adhibere poterit quint

sententia argumento à Tho-
mistis facto. Quidquid sit, non
tenet solutio, sed manet inte-
grum argumentum nostrum.
Quod instauramus sic.

Universale formaliter est
*Vnum potens esse in multis, &
de multis*, ut dicitur in diffi-
nitione: sed ante comparatio-
nem simplicem naturæ ad in-
feriora, natura est una forma-
liter potens esse in multis, & de
multis: ergo ante comparatio-
nem simplicem est universalis
formaliter. Probatur min. Ante
comparisonem natura est cō-
parabilis ad plura, & est for-
maliter comparabilis; sed sola
natura quæ formaliter potest
esse in multis, & de multis, est
formaliter comparabilis ad mul-
ta: ergo plenè reddit argumē-
tum nostrum addendo propo-
sitionibus terminum *formaliter*,
quo non evadunt difficultatem.

Secundò. Universale for-
maliter non est unum actu in
multis, nec actu prædicatum
de multis; sed unum potens
esse, & prædicari de multis:
sed ante comparisonem sim-
plicem est potens natura ab-
stracta esse in multis, & de mul-
tis: ergo ante comparisonem
est formaliter universalis. Pro-
batur min. Simplex compara-
tio non dat naturæ abstractæ
posse esse in multis, & de mul-
tis: ergo ante comparisonem
&c. Probatur antecedens. Sim-

plex comparatio considerat na-
turam comparando illam ad
inferiora de quibus & in qui-
bus potest esse: ergo supponit
naturam sic potentem, & non
dat ei posse.

Tertiò. Aliud est naturam
esse universalem, aliud cogno-
sci ut universalem: ergo licet
per abstractionem absolutam
non cognoscatur natura, ut uni-
versalis, est tamen universalis.
Patet consequentia, & simul
ostenditur antecedens. Quia na-
tura est universalis per hoc
quòd possit esse in multis, & de
multis; cognoscitur autē ut uni-
versalis, quando reflexè confide-
ratur natura signatè potēs esse in
multis, & de multis; sic natura est
singularis, quia est impotens esse
in multis; & cognoscitur ut
singularis, quia signatè suppo-
nitur sic impotens: quare sicut
aliud est naturam esse singula-
rem, & aliud cognosci ut sin-
gularem, nec hoc est causa for-
malis illius; ita aliud est esse
universalem, & cognosci ut uni-
versalem, nec esse universalem
consistit in hoc modo cognosci.

23. Dicimus tertiò: *V-
niversale formaliter non co-
gnoscitur nisi per cognitionem
comparativam*. Hoc assertum
est expressum in P. Augustino,
& eo conciliantur locutiones
pugnantes Præcept. Angelici, &
plenè penetratur doctr. D. Fun-
datiss. Et quoniam N. Gavar-

di sicut alij RR. non distinguunt inter esse universalem, & cognosci, ut universalem; ideo recurrunt ad cognitionem comparativam, ut fiat universale, cum tamen pro hoc necessaria non sit, immò supponat jam universale factum, ut probatum est; sed sit necessaria comparatio, & cognitio termini ad quem comparatur natura, ut cognoscatur ut universalis.

Probatur ergo nostrum assertum 1. ex P. Augustino lib. de decem categ. cap. 7. ubi ait: *Regulariter autem illa de subiecto significantur, quæ per se ipsa cognosci non possunt, ut animal intelligi non potest, nisi de subiecto homines; sic homo adverti non potest, nisi de subiecto aliquo homine dignoscatur.* En S. P. loquens de universali logico, quod dicitur de subiecto, & de eo prædicatur, & significatur, dicit non posse per se ipsum cognosci, hoc est cognitione absoluta; quare debet, & unice potest cognosci relative de aliquo subiecto; ut animal de homine, homo de aliquo homine. Ergo licet per cognitionem absolutam fiat universale logicum; at nequit cognosci ut universale, nisi cognitione reflexa, & comparativa.

Rationem hujus dedit in Prologo prælaudati, dicens: *Appellatas categorias constat, præ-*

pterea quod non possunt nisi ex subiectis agnosci. Qui enim quid sit homo possit agnoscere, nisi aliquam sibi hominem ponat ante oculos quasi subiectum homini? En categoria, vel prædicamentum cognosci non potest nisi relative de aliquo subiecto: sed categoria est universale logicum: ergo universale logicum solum potest cognosci relative, & per cognitionem comparativam.

Et observa, quòd homo benè potest cognosci cognitione absoluta, ut patet; & verè tunc cognoscitur quid sit homo, scilicet *animal rationale*. Ceterùm non cognoscitur tunc homo ut universalis, ut categoria, & prædicamentum. Ratio est, quia homo ut universalis, non solum est *animal rationale*, sed est *animal rationale potens esse in multis*, & de multis: at sic nequit cognosci cognitione absoluta, & directa, sed reflexa, & comparativa, ponendo scilicet ante oculos mentis aliquem hominem, vel plures, de quibus *animal rationale* possit prædicari: ergo juxta P. Augustinum, & veritatem, licet universale fiat per cognitionem directam absolutam, ut probatum est; non tamen potest cognosci per eam, sed per solam cognitionem comparativam.

24. Sed dices: Ens ratio-

tionis solum fit per cognitionem, qua cognoscitur; & ideo habet esse purè objectivum, consistens in cognosci: sed universale pro formali est ens rationis; & per nos solum cognoscitur cognitione comparativa: ergo solum potest fieri per cognitionem comparativam. Rursus. Ens rationis non existit ante quàm cognoscatur: sed si fieret per cognitionem absolutam, & solum cognosceretur per subsequentem comparativam, existeret antequam cognoscatur: ergo implicatorie existeret. Tertio: Si existeret antequam cognosceretur, posset existere etiam si nunquam cognosceretur: ergo existeret independenter ab intellectu, & sic realiter, quod implicat.

Hæc, & alia plenè soluta sunt à nobis lib. 2. Log. quæst. 4. §. 3. item quæst. 5. ejusdè libri §. 3. Ea ibi vide; & observa, quòd hic dicta ex P. Augustino, & D. Thoma, confirmant sententiam nostram de ente rationis vero, & non ficto existente objective in specie expressa repræsentativa naturæ abstractæ. Breviter dicimus ad primum, majorem esse falsam. Nam ens rationis fit solum fundamentaliter, non formaliter, ut dictum est quæst. 5. citata. Quare fit per cognitionem directam abstrahentem

naturam, quæ est fundamentum relationis rationis. Per hanc fit, sed per illam non cognoscitur, sed per subsequentem cognitionem reflexam comparativam. Ad secundum nego etiam majorem, nam ante cognitionem reflexam per quam cognoscitur ens rationis, existit objective in specie expressa naturæ abstractæ per cognitionem directam, ut quæst. 4. citata probatum est. Ad tertium concessio antecedenti, nego consequentiam. Quia ens rationis pendet ab intellectu, & cognitione directa per quam ponitur ejus fundamentum, & sic existit; & objective tantum existit, non realiter, & plenè independenter ab intellectu; est quidem existens independenter ab intellectu cognoscente ens rationis sed non independenter ab intellectu cognoscente fundamentum ejusunde resultat. Istæ replicæ, & aliæ similes Thomistarum probant solum de ente ficto, quod tantum existit dum actu cognoscitur, secus de ente rationis vero, ut est intentio logica. De qua vide lib. 2. Log. quæst. 2. §. 4. 5. & 6.

25. Probatur secondò, assertum nostrum ex D. Thoma opusc. 48. quod est summa totius Logicæ; ibi cap. 1. & 2. se explicat totaliter, ut locutiones alibi inter se pugnant

res possint conciliari, sicut modo intendimus in hoc asserto nostro. Ibi cap. 1. dicit sic: *Res vel natura, ut est intellecta, dicitur universalis. Ut autem intellectus talem universalitatem considerat, attribuitur illi esse in pluribus, vel dici de pluribus, & alia secundæ intentiones.* En verba pauca sibi contradicentia, nisi nostro asserto conciliantur. Hic ponit D. Thomas duas cognitiones, unam directam, *Qua natura est intellecta*: alteram reflexam, qua intellectus universalitatem considerat. Et dicit, quod per primam directam natura dicitur universalis; & per secundam reflexam *Attribuitur tali naturæ esse in pluribus, vel dici de pluribus.* En contradictio, si per cognitionem directam natura est universalis, quomodo per hanc directam non habet esse in pluribus, & dici de pluribus? Potest ne esse universalis, nisi sit potens esse in pluribus? Non sanè: ergo per directam cognitionem habet esse in pluribus. Quomodo ergo cognitio reflexa, qua cognoscimus universalitatem, dat naturæ esse in pluribus? Rursus, si cognitio reflexa considerat universalitatem: ergo jam supponit illam factam, & existentem in natura abstracta universali: quid ergo tribuit naturæ hæc cognitio reflexa?

26. Scimus Thomistas respondere, quod per cognitionem directam natura est universalis metaphysicè, ut alij dicunt, est universalis fundamentaliter; non autem est universalis formaliter, & logicè usque dum per cognitionem reflexam cognoscatur iterum natura abstracta, & comparetur ad inferiora; & ex vi hujus comparationis recipit naturam relationem rationis, & intentionem universalis logici, quam non habebat ex vi solius abstractionis. Hoc dicunt RR. Thomistæ, & in eo fundant suam sententiam de qua supra num. 15. sed eis non possumus assentiri, quia non videmus hanc esse mentem D. Thom. sed illi contrariari.

Primò, quia S. Doct. 1. par. quæst. 85. art. 2. docet *Quod ad esse abstractum sequitur in natura intentio universalitatis.* Nec hæc solum id docet, sed infinitis locis à nobis datis num. 19. ergo ante cognitionem reflexam habet natura intentionem universalitatis ex vi solius cognitionis directæ, abstrahentis naturam & sic ante cognitionem reflexam est natura non solum fundamentaliter, & metaphysicè, sed formaliter, & logicè universalis; cujus contrariam docet solutio Thomistica.

Secundò D. Thomas ejf-
dè

dem locis docet, quod semel abstracta natura per cognitionem directam, iterum cognoscitur natura abstracta per cognitionem reflexam; & de ista reflexa cognitione dicit S. Doct. quod *Adiuvnit in rebus consideratis intentionem generis, speciei, & similium.* Si adiuvnit: ergo non facit, nec dat naturæ talem intentionem, sed illam invenit, & purè considerat. Quare ante cognitionem reflexam natura est logicè, & formaliter universalis ex vi solius cognitionis directæ abstrahentis. Idem iterum confirmatur ex probationibus nostris positis num. 19. Quomodo ergo si tot sententijs D. Thomæ probatur, quod cognitio reflexa non dat naturæ intentionem universalitatis, sed illam in ea supponit, quomodo, inquam, hic dicit quod cognitio reflexa attribuit naturæ esse in pluribus, dici de illis, & alias secundas intentiones?

Amplius urgetur difficultas contra Thomistas RR. nā S. Doct. opusc. 48. laudato cap. 2. facit paritatem inter intentionem universalitatis, & singularitatis, dicens, quod sicut intellectus non denominat rem singularem, nisi postquam consideravit illi convenire conditiones individuantes, & singularizantes; ita non denominat naturam universalem, nisi

quando considerat illam esse in multis. Ergo sicut ante denominationem intellectus res est singularis, etiam si non advertatur, nec talis denominetur; ita in discursu illo D. Thomæ videtur supponere naturam esse universalem formaliter, etiam si hoc non advertatur ab intellectu, nec actu consideretur, ut talem denominationem attribuat naturæ.

Tandem, ut vidimus §. præcedenti, quinque sunt sententiæ circa quæstionem istam, & quælibet satis apparenter probatur de mente D. Thomæ: ergo cum S. Doct. non tenuerit contrarias sententias, restat assignare concordiam in dictis D. Thomæ. Cumque explicatio Thomistica difficilè conciliet S. Doctorem sibi ipsi, ut vidimus, alia via querenda est, & nisi fallimur, est assertio nostra via legitima concordandi dicta S. Thomæ.

27. Ne autem solutio nostra, qua tanta promittimus, novitatis, aut falsitatis suscepta sit, observa eam docuisse antiquos Peripateticos, hoc nomine allegatos à P. Valilio p. 1. de universalibus quæst. 4. cap. 3. & eam ipse ex parte sequitur: cum quibus dicimus quod aliud est cognoscere naturam ut universalem, aliud naturam esse universalem. Hoc secundum habet natura per cog-
gni-

gnitionem directam abstractivam, ut probatum est ex D. Thomæ num. 19. Illud primū solum habet natura per cognitionem reflexam comparativā, & hoc est tertium assertum nostrum. Quare cognitio reflexa supponit jam naturam logicè, & formaliter universalem quoad esse, sed non supponit illam logicè universalem quoad cognosci.

Hinc sequitur, quòd natura abstracta est universalis formaliter, sed non potest denominari universalis, nec prædicabilis, nec species, genus &c. nisi post cognitionem reflexam; & hoc docet D. Thomæ. Ratio hujus est multiplex. Prima, quia juxta D. Thomam ubi supra, non sufficit rem esse singularem, ut denominetur ab intellectu singularis, sed requiritur quòd prius cognoscatur ut singularis: ergo non sufficit quòd natura abstracta sit universalis formaliter, ut denominetur universalis, nisi per cognitionem reflexam cognoscatur natura, ut universalis. Totus discursus est D. Thomæ opusc. 48. cap. 2.

Secunda ratio est, quia denominatio universalis, & singularis, sunt denominationes sequentes cognitionem rei denominabilis: ergo licet natura sit universalis formaliter, si tamen reflexè non cognoscatur,

ut universalis non potest denominari universalis.

Tertia ratio est, quia universale in essendo, & universale in prædicando, non differunt quoad esse, sed solum quoad cognosci, ut supra probavimus num. 6. & 7. item ipsa prædicabilia, quæ differunt inter se quoad diversum modum prædicandi, non differunt quoad esse, sed solum quoad cognosci: ergo licet ante cognitionem reflexam detur universale formaliter quoad esse, non potest ante illam dari quoad cognosci intentio prædicabilis intentio generis, speciei, & similitum, nec denominationes harum intentionum dantur ante cognitionem reflexam, sed per illam.

Explicatur hæc ratio ultima ex dictis num. 4. & 6. juxta D. Thomam opusc. 41. cap. 7. Metaphysicus non distinguit inter esse, & dici, bene verò logicus. Ergo metaphysicus non distinguit inter ista prædicabilia *Homo, animal, rationale*, quæ differunt penes diversos modos prædicandi; bene verò logicus, qui docet hominem prædicari ut *speciem*, animal ut *genus*, rationale ut *differentiam*. At hoc facit logicus per cognitionem reflexam, qua cognoscit in natura abstracta universalitatem, & prædicabilitatem, utramque distinguens, & inter præ-

dicabilia notans diversos modos prædicandi: ergo per cognitionem directam, quæ communis est logico, & metaphysico, habet natura esse universalem, & etiam esse prædicabilem, quia quoad esse non sunt distincta; at non habet per cognitionem directam, sed solum per reflexam cognosci ut prædicabilem, & ut diverso modo prædicabilem. Sed si non datur prædicabile quoad cognosci, nec distinctio prædicabilium; non potest intellectus denominare naturam prædicabilem, & ei attribuere intentionem prædicabilis, generis, speciei, & similitum: ergo licet juxta D. Thomam ante cognitionem reflexam natura sit logicè formaliter universalis, non est tamen potens sic denominari, nec potens dici prædicabilis, genus, species, &c. quare per cognitionem reflexam hoc attribuitur naturæ.

38. Probatür ex nostro Agidio, & ex dictis penetratur plenè mens illius circa hoc, quæ alioquin foret nobis difficilis. Igitur D. N. in quodlib. 2. quæst. 6. dicit sic: *Aliud est loqui de re, quæ est universalis, aliud ut est subjecta intentioni universalitatis. Res enim secundum esse essentia est universalis; licet non consideretur, ut est subjecta intentioni universalitatis, nisi quando*

intellectus se reflectit super eam, & videt quòd est commune pluribus, & judicat eam, ut universalem. Ecce juxta N. Doct. res secundum esse essentia, hoc est, res cognita sine singularibus, est universalis. Ceterum non cognoscitur ut universalis, nisi per cognitionem reflexam, qua videt intellectus, naturam abstractam esse communem pluribus, quòd est tertium assertum nostrum. Hoc videt cognitione reflexa, & ea judicat naturam esse universalem, & eam denominat sic, ut diximus ex D. Thomæ.

Ibidem N. Doct. dicit sic: *Dicamus quòd intellectus primo aspectu (hoc est cognitione directa) fertur in ipsam essentiam secundum se (hoc est abstrahendo à singularibus) sive in ipsum esse essentia: sed propter istum aspectum ipsa essentia non apprehenditur ab intellectu, ut est quid universale (non negat esse universale, quia sibi supra contradiceret, sed negat cognosci, ut universale) sed quando intellectus se convertit supra ipsum esse essentia (intellige per cognitionem reflexam) & videt quòd illud est commune multis, tunc dicit quòd illud esse est quid universale.* Nota ly dicit. Non enim per cognitionem reflexam facit esse universale, sed supponit factum; at dicit, &

tribuit naturæ denominationem universalis, & ad hoc est necessaria cognitio reflexa, non ut natura universalis sit, sed ut cognoscatur universalis, & universalis denominetur. Hæc est tota doctrina data ex D. Thoma num. 27.

§. IV.

Expenduntur aliæ sententiæ cū suis fundamentis.

29. **R**ESTAT expendere alias sententiæ, quatenus earum fundamenta nostræ possunt adversari. Et quidem prima sententia num. 12. proposita, contendens fieri universale metaphysicum per abstractionem intellectus agentis, procedit contra nos, & contra DD. tertiæ, & quartæ sententiæ. Sed observa quod Bajona, Palanco, & alij RR. Thomistæ negant fieri tale universale ab intellectu agente propter duo. Primò, quia universale metaphysicum petit unitatem rationis in natura universali: sed unitas rationis non potest fieri nisi ab intellectu cognoscente: ergo cum intellectus agens non sit cognoscitivus, nequit facere in natura unitatem rationis, & consequenter, nec universale metaphysicum. Secundò, quia ens

rationis solum existit dum actū cognoscitur: at universale, quod daretur factum ab intellectu agente, existeret ante omnem cognitionem: ergo existeret implicatoriè, & sic implicat fieri universale ab intellectu agente.

Nulla ex his rationibus tenet in principijs nostris. Non prima; quia unitas naturæ universalis est unitas realis extrinseca, ut satis insinuavimus libro præcedente, & infra ex professo probabimus quæstione de distinctione rationis inter gradus metaphysicos, ubi dicemus eos distinguere distinctione reali extrinseca. Non etiam secunda; quia assumit principium nobis falsum, quia ens rationis fundamentum existit etiam dum actū non cognoscitur ab intellectu, ut diximus num. 24. Quare sicut ens rationis, & universale existit objectivè in specie expressa, ut diximus lib. 2. Log. quæst. 4. §. 2. ita poterit existere in specie impressa producta ab intellectu agente, nisi adsit ratio in contrarium, & nulla ex assignatis ab his DD. tenet in principijs nostris.

30. Propter hæc dicimus consequenter ad nostræ principia, quod universale metaphysicum constituitur formaliter per relationem rationis naturæ ad inferiora: sed relatio rationis solum resultat ex natu-

ra cognita ab intellectu possibili: ergo universale metaphysicum nequit fieri ab intellectu agente. Major supra probata est num. 5. ubi ostensum est quod universale non est natura absoluta, sed quid relativum, non reale vel per relationem realem, ut constat: ergo relativum per relationem rationis. Minor autem est certissima in D. Thoma, & B. Ægidio, concediturque à contrarijs, & suadet. Quia implicat ens rationis, quod vel non dependeat ab intellectu actu considerante, ut volunt Thomistæ; vel quod non fundetur in natura actu considerata, ut volumus nos cum D. Thoma sæpissimè dicente locis citatis supra num. 19. *Ens rationis propriè dicitur de illis intentionibus, quas ratio adinvenit in rebus consideratis &c.* Ergo relatio rationis solum resultat ex natura cognita ab intellectu considerante; intellectus agens nec cognoscit, nec considerat.

Rursus. Universale in essendo diversum est ab universali in repræsentando: sed species impressa producta ab intellectu agente, ad summum est universalis in repræsentando; & revera nec sic universalis est: ergo universale non fit ab intellectu agente. Probatur min. Aliter est natura cognita in spe-

cie expressa producta ab intellectu possibili; aliter in specie impressa, producta ab intellectu agente. Discrimen est, quia licet utraque sit imago objecti, & formalis similitudo ejus; at species impressa est *Similitudo objecti in actu primo*; species autem expressa est *Similitudo objecti in actu secundo*. Hinc fit quod in specie expressa existit *objectivè* natura, potens esse in multis, & ibi est universalis in essendo: in specie autem impressa non existit *objectivè* natura, quia existentia dicit actum secundum; species impressa non est actus secundus, sed primus, quare reddit objectum præsens intellectui solum in actu primo. & sic non existit per illam natura *objectivè*: ergo species impressa non est universalis in essendo sed ad summum in repræsentando. Vide infra num. 33.

31. Ex his respondemus ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 12. & ad primum dicimus verba D. Thomæ debere exponi de universali in repræsentando. Si verò arguens contendat naturam abstractam ab intellectu agente esse universalem in essendo juxta D. Thomam, respondemus sub distinctione, est universalis entitativè, & in actu primo, concedo maj completere, & in actu secundo, nego.

31. maj. quia juxta D. Thomam universale in actu secundo solum datur in rebus consideratis, & ibi solum habet relationem rationis, qua contempletur; secus in specie producta ab intellectu agente, ut ostensum est.

Ad fundamentum à ratione, admissa majori, disting. min. Per intellectum agentem redditur natura potens esse in multis, vel non repugnans, redditur initiativè, & in actu primo, concedo min. completivè, & in actu secundo, nego min. quia ad hoc non sufficit abstrahere à singularitate, sed requiritur, quòd natura existat *absolutive* in intellectu, & dicatur relativè ad inferiora, quorum neutrum habet natura per abstractionem intellectus agentis.

Ad primam confirmationem dic, quòd per abstractionem intellectus agentis non manet natura alicui appropriata; unde manet indifferens; at hæc indifferencia est iniatiativa, & solum in actu primo, quod non sufficit ad universalitatem: & ad summum probatur inde fieri initiativè, & incompletè universale ab intellectu agente; non autem completè, & formaliter, ut dictum est.

Ad secundam confirmationem eodem modo distingue, & responde. Dat ergo in-

tellektus agentis naturæ unitatem initiativè, & incompletè; non autem completè, & formaliter; quia sicut in specie impressa non existit natura, sed representatur objective in actu primo; ita ibi non existit unitas naturæ: & minus relatio rationis, qua unitas completur, cum non sit unitas absoluta, sed relativa illa, quam universale debet habere, ut ostensum est.

32. Ad secundum fundamentum à ratione, admissa paritate doctrinæ Aristotelis; nil inde contra nos. Quia objectum intellectus est universale; sed universale, & objectum intellectus dupliciter sumi possunt, in actu primo, & in actu secundo. Objectum intellectus in actu primo non est objectum cognitum, sed cognoscibile, quare nec est universale actuale, & exercitum, sed in potentia, & iniativum. Intellectus agens reddit objectum actu intelligibile, sed non actu intellectum; quare reddit naturam universalem in potentia, & initiativè; non autem exercitè, & completivè.

Ad primam confirmationem dic, quòd per contractionem naturæ, fit illa singularis primò intentionaliter; sed non est singularis secundò intentionaliter usque dum cognoscatur ab intellectu, & ex vi cognitio-

QUEST. IV.

nis recipiat secundam intentionem singularis, ut numer. 26. diximus ex Divo Thoma opuscul. 48. capit. 2. ergo per abstractionem intellectus agentis erit natura universalis quasi primò intentionaliter, sed usque dum cognoscatur ab intellectu possibili, non erit universalis secundò intentionaliter, quia à solo intellectu considerante recipit relationem rationis, ut dictum est.

Ad secundam confirmationem dic, quòd universale iniativum & in actu primo comparatur intellectui agenti ut potentia activæ, & possibili ut potentia passivæ. Hinc sequitur, quòd universale sic sumptum, fiat solum ab intellectu agente, & illud præsupponit factum intellectus possibilis, sicut supponit productam speciem impressam. At universale completum, & in actu secundo, hoc nullo modo comparatur ad intellectum agentem, nec aliquid ab eo habet: nam tale est natura cognita, & representata in specie expressa;

§. IV.

& hæc oritur, & produci-tur ab intellectu possibili, & in eo recipitur; quare relatè ad hoc universale solus intellectus possibilis est potentia activa, & passiva.

33. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita numer. 13. dicimus, ea esse plenè pro nostra sententia; & eis confirmari, quæ supra diximus numer. 30. Quam ob rem si quæ ex sententijs relatis coincidit cum nostris principijs, est sola secunda sententia fundata in D. Thoma, ut ibi patet.

Ad fundamenta tertie sententiæ, dicimus illam divisionem abstractionis positivæ, & negativæ, esse adinventam à RR. gratia impugnandi secundam sententiam, quam putavimus verissimam; quare contra eam dicimus primò, quòd fundamenta hujus divisionis levia sunt, ut patebit ex solutione. Secundò quòd eis probatur contra AA. tertie sententiæ quòd si universale non fit per abstractionem negativam, non fit etiam per positivam.

Ratio formetur sic. Ideò per vos non cognito singulari, ut termino à quo, non redditur natura universalis, quia universale non est unum utcumque, sed unum potens esse in multis determinatis: sed licet singularia cognoscantur ut terminus à quo, non redditur natura potens esse in multis determinatis: ergo per vos non erit universalis etiam abstracta positivè. Probatur minor. Cognitis singularibus, per modum termini à quo, solum redditur natura una. *A multis determinatis, non in multis determinatis: sed universale non est unum à multis, sed unum in multis: ergo licet singularia cognoscantur*

&c.

*

*

Rursus. Natura humana abstracta negativè, solum est potens esse in multis per identitatem cum illis: ergo non est potens esse in multis indeterminatis, sed in multis determinatis. Probatur consequentia. Quia natura humana negativè abstracta est *animal rationale*: sed *animal rationale* non est indifferens ad identitatem cum equo, asino, & alijs, quibus sic abstracta, essentialiter repugnat: ergo non est potens esse in multis indeterminatis, sed in multis determinatis.

Explicatur. Dum dicitis, quòd natura negativè abstracta, est indifferens ad essendum in multis indeterminatis, vel loquimini de multis diversæ speciei à natura abstracta; vel de multis ejusdem speciei cum natura abstracta. Si secundum? Hoc non obstat universalitati, sed id petitur ab ea, ut patet. Si primam? Ergo natura rationalis est potens esse in equo, asino, & alijs, nec per rationalitatem eis repugnat, quod est falsissimum. Confide-

rà naturam humanam negativè abstractam: quærimus, an sit rationalis? Non poteris negare. Sed rationalitas ex se repugnat equo, asino, & alijs: ergo natura sic abstracta, est impotens esse in eis: ergo non est indifferens ad essendum in multis indeterminatis, ut contendebas. Quare sine fundamento dividis illas abstractiones, ut neges de natura per unam, quod eidem concedis per alteram.

34. Ad fundamenta ergo in contrarium posita num. 14. respondemus, & concessis authoritatibus D. Thomæ, quæ non sunt contra nos, sed pro nobis, negamus minorem. Ad rationem, qua minor probatur, disting. maj. universale est unum potens esse in multis determinatis, in multis determinatis ejusdem speciei cum natura, concedo; diversæ speciei à natura universali, nego maj. & in eodem sensu negata minori, nil valet consequentia. Ad probationem minoris, nego min. Quia licet natura humana abstrahatur

nulla facta mentione singularium per modum termini à quo, est tamen rationalis, & sic impotens, & repugnans essentialiter esse in equo, asino, & brutis: quare solum determinatè potest esse in singularibus naturæ rationalis. Inter ista singularia non determinat, an sit in Petro, Paulo, aut alijs; sed determinationem ista non petit, ut sit universalis, sed potius oppositam indifferentiam.

Ad confirmationem concessa majori distinguo min. Relatio petit terminum determinatum, determinatione essentiali, concedo minorè, determinatione numerica, & materiali, implicas in terminis, & nego consequentiam. Natura humana abstracta est universalis per relationem rationis, ut dictum est: hæc relatio non petit terminum determinatum determinatione numerica, ut est Petrus; quia natura est universalis, quia potens esse in multis; implicat posse esse in multis, & petere esse in solo Petro determinato. Petit esse in multis ejusdem spe-

ciet.

ciei cum natura, & non speciei diversæ, quare terminus est determinatus determinatione specifica, & essentiali, non determinatione numerica. Atqui natura humana per solam rationalitatem habet illam determinationem, etiam si non cognoscatur terminus à quo abstractionis: ergo est universalis; etsi sit abstracta negativè. Quare per quamcumque abstractionem intellectus possibilis fit universale, ut verè, & cum D. Thoma asserit secunda sententia.

35. Ad fundamenta quartæ sententiæ posita num. 15. dicimus uno verbo, probare tertium assertum nostrum, scilicet quòd nequit natura cognosci ut universalis, nisi reflexè, & cognitione comparativa: non autem probare, quòd universale fiat per talem actionem: quare licèt comparatio simplex sit necessaria ad universale quoad cognosci, non tamen quoad esse. Thomistæ ad utrumque id putant necessarium, quia putant, quòd esse entis rationis consistit in cognosci cognitione practica.

Ceterum lib. 2. Logicæ quest. 2. 4. & 5. ostensum est, quòd nulla est cognitio factiva entis rationis, quæ sit cognoscitiva ejus; quia ens rationis fit per cognitionem solius sui fundamenti, & resultat ex sola cognitione directâ, unde fit solum fundamentaliter in nostris principijs, ut dictum est.

Ad autoritatem Divi Thomæ à Thomistis inductam, respondemus illam esse pro nobis, nam in ea dicit S. Doct. quòd intellectus *Adiuvant intentiones generis, & considerando ordinem nature* abstractione ad singularia; si ad. invenit, non facit, sed invenit factas per cognitionem abstractivam, ut dicit nostra sententia. Quod si *ly adiuvant* intelligatur à Thomistis cum Bajona pro *facit*, præter quam quòd peccant contra Grammaticam, & torquent verba ad sensum improprium, implicant D. Thomam, & sibi pugnare permittunt, ut vidimus à num. 25. usque ad 28.

Ad fundamentum à ratione, nego antecedens. Nego quòd

na:

natura abstracta sit indifferens ut fiat universalis, vel singularis: est enim determinatè universalis, & simul determinatè singularis singularitate specifica. Nam semel abstracta natura humana, determinatè resultat in ea duplex ratio rationis, una superioritatis ad individua; altera inferioritatis ad rationem communem genericam, scilicet ad *animal*: & per utramque est determinatè universalis, & particularis, aut singularis singularitate specifica. Nec pugnat esse simul universale, & singulare, quia est respectu diversorum. Solum enim natura sic abstracta, est indifferens ut cognoscatur universalis per primam relationem, vel singularis per secundam. Unde est indifferens quoad cognosci, sed non est indifferens quoad esse. DD. quartæ sententiæ nolunt distinguere hæc; & ideò ad tollendam istam indifferentiam recurrunt ad comparisonem simplicem. Nos recurrimus etiam, sed non ad tollendam indifferentiam quoad esse, & fieri universalis, quia jam supponitur factum; sed ad tollendam indifferentiam quoad cognosci, quia non supponitur cognitum.

Ad 1. confirmationem respondemus eodem modo neg. antecedens. Nam color ex vi solius abstractionis habet

utramque relationem, unam ad speciem coloris, putà albedinè, & nigredinem; alteram ad subiecta, in quibus potest esse: quare non est indifferens ut sit hoc, vel illud prædicabile, sed determinatè est utrumque. Ceterum, quia per abstractionem hoc non cognoscitur, sed per solam comparisonem; ideò est indifferens ut cognoscatur hoc modo prædicabilis per modum generis, vel alio modo per modum accidentis communis.

Ad 2. confirmationem nego antecedens. Ad ejus probationem, nego min. ad probationem min. nego maj. nego quòd ratio rationis solum fiat per cognitionem per quam practice cognoscitur. Immo nego suppositum, scilicet quòd detur cognitio entis rationis, quæ sit practica, & factiva illius. Fit enim ratio rationis solum fundamentaliter, ut diximus cum D. Thoma quest. 5. lib. 2. Log. quare fit per cognitionem directam naturæ abstractæ, ex qua resultat ens rationis. At cognitio directâ non cognoscit ens rationis, sed solum naturam; cognitio autem reflexa cognoscit ens rationis, sed non facit, quia supponit factum: ergo nulla datur cognitio practica entis rationis formaliter, sed omnis cognitio ejus est speculativa. Vide

de loco citato.

36. Ad fundamenta 5. sententiæ posita num. 16. dicimus 1. quòd si simplex comparatio supponit universale factum, & non facit: ergo nec facit illud comparatio composita, quæ est posterior ad comparisonem simplicem. Sed supra probatum est non fieri per comparationem simplicem; ergo à fortiori idem probatū est de comparatione composita.

Ad primum nego maj. Non enim fit universale per cognitionem qua cognoscitur natura una in multis; cognitio enim ista supponit naturam abstractam à multis, & per cognitionem sic abstractivam, fit universale, ut probatum est. Sed demus fieri per cognitionem, qua noscitur natura una in multis: quid inde? Ergo fit per comparisonem compositam, & actuale iudicium? Mala consequentia, quia ante iudicium datur simplex apprehensio; & potest intellectus per eam apprehendere naturam, ut unam in multis, & sic facere universale ante comparisonem compositam.

Ad confirmationem huius sententiæ à nobis inductam ex P. Augustino, respondemus solum probare quòd universale non potest cognosci ut universale, nisi per cognitionem

comparativam. Vide verba S. P. pro nostra sententia n. 23. & observa, quòd P. N. loquens de universali *quoad cognosci*, non designat an pro illo sit necessaria cognitio comparativa simplex, an composita? Sic nec nos id decernimus: licet probabilius nobis sit sufficere cognitionem simplicem; quia ut benè notant Thomistæ antiquam naturam actu prædicatur, est prædicabilis: ergo antiquam cognoscatur ut actu prædicata, noscitur ut prædicabilis, & sic per cognitionem simplicem.

§. V.

Deciditur, an sufficiat ad universale, abstrahere naturam ab uno individuo.

37. PRO complemento quæstionis principalis, duo restant decidenda: primum est, an universale fiat per præcisionem objectivam an verò per formalem? Ceterum de hoc quæst. 6. prolixè disputandum est. Secundum, an petat universale naturam à pluribus abstractam, an sufficiat illam ab unico individuo abstrahere? Quæstio hæc multos habet sensus. Nam potest procedere de natura, quæ unicam habet individuum, & ei plura

repugnant, ut est natura Gabrielis Archangeli. De ea sic adest quæstio lib. sequenti discutienda circa prædicabile speciei. Potest procedere de natura, quæ unicam habet, sed illi non repugnant plura, ut est natura Solis. Et de quæstione sic, dicemus quando de natura Angelica. Vel tertio potest procedere, de natura, quæ actu habet plura individua; & in hoc sensu hic breviter decidenda est.

Prædo in Logica lib. 1. quæst. 13. §. 8. refert quosdam supressio nomine, docentes naturam sic abstractam ab uno individuo esse universalem. Probant, quia semel abstracta ab uno individuo, talis natura abstrahit ab omni singularitate: ergo talis natura abstrahit ab omnibus individuis ejusdem specificæ naturæ. Sed natura, quæ abstrahit ab omnibus individuis, est universalis: ergo natura abstracta ab uno solo individuo, est formaliter universalis. Huic modo dicendi favet D. Thomas 3. p. quæst. 2. art. 5. ad secundum, ubi insinuat quòd tunc cognoscitur natura, ut natura, non autem singularis.

38. Per oppositum Mag. Calero tractatu 3. Prædic. disput. 3. dub. 3. docet cū alijs quòd natura talis ab uno abstracta, non est universalis.

Probant, quia natura solum ab uno abstracta, non est potens esse in multis: sed natura abstracta Petri, non est abstracta ab alijs, sed à solo Petro: ergo non est potens esse in multis, & sic non est universalis. Min. probatur. Abstrahere est cognoscere unum sine alio, cum quo identificatur; quando enim cognosco animal, non abstraho à lapide, quia licet non cognoscam lapidem, lapis non identificatur cum animali cognito, sed realiter distinguitur ab eo: quo fit ut solum detur abstractio, & præcisio inter extrema identificata. Sed natura Petri realiter distinguitur à singularitatibus Pauli, Francisci, & aliorum: ergo ab eis non abstrahit, sed à sola singularitate Petri, cum qua identificatur.

Confirmatur hæc sententia. Natura Petri in se non est potens esse in Paulo, & alijs; alioquin esset indifferens à parte rei esse in multis, cujus contrarium probatum est à nobis quæst. 3. contra Scotistas: ergo nec abstracta natura Petri à singularitate est universalis, & potens esse in multis. Probatur consequentia, quia natura abstracta est eadem ac natura, quæ est à parte rei, licet non cognoscatur cum singularitate: ergo si natura à parte rei in Petro non est potens esse in alijs, nec abstracta erit potens.

39. Prado, relatis sententijs, primam approbat dicēs, quod licet natura Petri abstracta ab eo, unice abstrahat *positivè* ab uno, at *negativè* abstrahit ab omnibus; quia semel abstracta nulla Petri, aut aliorum singularitas cognoscitur. Hoc sufficit ut sit universalis, quia non requiritur, quod actu sit in omnibus, sed sufficit quod non repugnet ex conceptu naturæ esse in illis. Hoc suadet ex D. Thoma 1. par. quæst. 13. art. 9. ubi docet, quod natura Solis, ab unico abstracta, non est universalis *secundum rem*, quia non est communis pluribus realiter existentibus, cum sol in re unus sit: est tamen universalis *secundum rationem*; quia ex conceptu naturæ Solis, quæ est materialis, non repugnat plures soles, in quibus possit esse.

40. Nobis, stando his principijs, videtur dicendum, quod natura Petri abstracta, est universalis negativè in essendo; & universalis positivè in repræsentando. Ita diximus, & breviter probavimus quæst. 3. præcedenti, num. 79. Videantur ibi dicta, ne eadem repetamus inutiliter. Est quidem universalis in repræsentando, quia ducit in cognitionem omnium. Non est positivè universalis, quia natura Petri cum solo Petro est identificabilis, non cum

Paulo, & sic non est positivè pluribus communis. Quia tamen concipitur sine singularitate, est natura illa non singularis; & hoc est esse universalem negativè.

At restat altera via clarior, quæ sumitur ex P. Augustino, & ratione probatur, & plene dubium resolvitur. Dicimus, quod dum abstrahitur natura Petri à singularitate, non cognoscitur sola natura Petri sed cognoscitur natura omnium hominum, ubique existentium. Dicitur autem natura Petri, vel abstracta à Petro, quia à Petro sumit intellectus occasionem cognoscendi naturam humanam: quare natura occasionans est sola Petri; sed natura cognita, non est solius Petri, sed omnium hominum, qui sunt in mundo. Si hoc probaverimus, cessat dubium, & omnes sententiæ relatæ tolluntur ut diminutæ, & ex falsa suppositione procedentes, quia supponunt solam naturam Petri cognosci abstractam, non autem naturam aliorum.

Probatur ergo ex P. August. lib. de categor. cap. 1. dicente: *Cum leonem, vel taurum dixeris, omnes qui ubique sunt, sub uno nomine natura succedunt.* Item ibidem, *Cum hominem dixeris, noscis omnes.* Nunc sic. Natura Petri abstracta, & cognita, si per vocem

ex-

explicitetur, debet dici *Homo*, sed juxta P. Augustinum, *Cum dicis hominem, noscis omnes; sicut cum dicis Leonem, omnes, qui ubique sunt, sub uno nomine natura succedunt*: ergo abstrahendo naturam Petri, cognoscis naturam omnium hominum.

Ut autem videas, quod hæc cognitio naturæ omnium, debet occasionari ab aliquo singulari viso, audi S. P. in Prologo prælaudati libri dicentem, *Quis enim quid sit homo possit agnoscere, nisi aliquem sibi hominem ponat ante oculos, quasi subjectum homini?* Ista verba ad aliud comprobandum supra allegavimus, sed etiam confirmant hoc assertum, quia universale reddit ad id, à quo incipit: incipit à singularibus per abstractionem; & reddit ad singularia per comparisonem. Verba hæc num. 23. allegata sunt pro comparatione; nunc ea adducimus pro abstractione. In eis S. P. docet, quod ab uno & singulari homine viso, & quasi ante oculos posito, ducimur ad cognoscendum *quid sit homo*. Sed homo dicit naturam omnium hominum, & dicto *homine noscis omnes*: ergo dum occasione Petri, ab eo abstrahitur natura, non est sola natura Petri, quæ cognoscitur, sed natura omnium, qui ubique sunt,

hominum agnoscitur.

A ratione probatur. Possumus cognoscere naturam omnium hominum, & illam definire, & de illa scientiam habere, ut patet: sed hæc cognitio naturæ omnium hominum, non fit per actualem & explicatam abstractionem naturæ ab omnibus individuis, ubique existentibus, sed per abstractionem ab uno, vel ad summum per abstractionem à duobus, vel tribus: ergo dum ab uno, duobus, vel tribus, abstrahitur natura, non cognoscitur sola natura eorum, à quibus explicitè, & occasionaliter fit abstractio, sed cognoscitur omnium natura. Major est certa, & minor probatur. Cognitio nostra incipit à sensu, & frequentius, & melius incipit à visu: sed qui cognoscit naturam omnium hominum, non vidit omnes homines, ut ab eis explicitè abstraheret omnium naturam; sed satis est unum, aut paucos videre, ut horum occasione naturam omnium abstractam cognoscat: ergo.

Confirmatur. Philosophi disputantes de naturis rerum, non viderunt omnia individua cujuscumque naturæ, ut ab eis abstraherent naturam omnibus communem; sed occasione sumpta ab hoc, vel illo individuo viso, cognoverunt omnium naturam, illam diffinierunt dif-

fiatone omnibus communi; & de illis sic in comuni disputarunt scientificè: ergo quia natura Petri abstracta, non sola cognoscitur, sed omnium hominum, qui ubique sunt, natura percipitur; & consequenter, licet detur abstractio occasio-

nalis naturæ ab uno; in re abstractio est naturæ omnium, & sic sine dubio natura abstracta est universalis in essendo. Ex his constat ad alias sententias.



QUÆSTIO QUINTA.

Virum universale conservetur in actuali prædicatione?

§. I.

Referantur sententiæ cum suis fundamentis.

2. **Q**UÆSTIO ista est corollarium præcedentium, in quibus statutum est quod universale est unum potens esse, & prædicari de multis, v.g. *homo* significans naturam humanam communem multis, quæ semel ab eis abstracta, una est, & potens esse in multis, & prædicari de illis. Quæritur, an in actuali prædicatione ista *Petrus est homo*, *ly homo* retineat universalitatem? Et nota, quod non est sermo de secunda intentione; sed de universalitate naturæ realis, hoc est de illa superioritate naturæ humanæ ad Petrum: unde sensus est, an in dicta propositione *ly homo*

dicat solam naturam Petri, an verò naturam Petri, & aliorum? Si primum? Non conservatur universale in actuali prædicatione, quia *homo* universalis non solum dicit naturam Petri, sed omnium hominum. Si secundum? Ergo in actuali prædicatione conservatur universale.

Prima sententia est omnium ferè Thomistarum, quam docent etiam ex DD. Societatis, Quirus, Rubio, Aversa, & Coimbraenses, & aliter, quod in actuali prædicatione conservatur universale. Probat 1. ex Porphyrio cap. de specie ubi ait: *Æqua de aquis prædicari oportet, aut majora de*

QUÆST. V.

de minoribus, ut hinnibile de equo, & animal de homine. En juxta Porphyrium aliquando prædicatur æquale de æquali, aliquando autem superius de inferiori: sed si universale non retineret universalitatem in actuali prædicatione, non daretur prædicatione superioris de inferiori, sed omnes essent æquales de æquali: ergo dum dicitur *Petrus est homo*, *ly homo* retinet universalitatem, qua est superior ad Petrum.

Confirmatur 1. Hæc propositio *Petrus est homo*, est distincta ab ista, *Petrus est hic homo*: sed in hac secunda *ly homo* non retinet universalitatem, quam perdit per *ly additum hic*: ergo in prima *ly homo*, nullum habens additum diminuens, retinet universalitatem.

Confirmatur 2. Si hæc propositio *Petrus est homo*, esset eadem ac ista *Petrus est hic homo*; posset illi addi hæc particula *solum*, & esset vera hæc *Solus Petrus est homo*: at ista est falsa: ergo quia hæc *Petrus est homo*, retinet universalitatem, quam non retinet *Petrus est hic homo*. Maj. patet, quia hæc est vera *Solus Petrus est hic homo*: ergo si hæc *Petrus est homo*, esset eadem, ac ista *Petrus est hic homo* &c.

Explicatur. Quando præ-

§. I.

dicatum soli subjecto convenit, potest ex parte subjecti addi particula exclusiva, & manet propositio vera, ut patet dicendo, *Solus Petrus est hic homo*. Ergo dicendo *Petrus est homo*, si *ly homo* solum dicit naturam Petri, quæ soli Petro convenit, posset dici, *Solus Petrus est homo*. At hæc propositio est falsa: ergo quia in prima *Petrus est homo*, *ly homo* non dicit solam Petri naturam, sed naturam universalem omni homini convenientem.

3. Illa natura de Petro hic prædicatur, quæ erat de ipso prædicabilis: sed natura, quæ erat prædicabilis de Petro, erat universalis; cum omne prædicabile sit universale: ergo natura, quæ actu prædicatur de Petro, est universalis, & servat universalitatem.

4. Hæc prædicatione *Petrus est homo*, non est identica, & æqualis de æquali, sed est formalis, & superioris de inferiori: ergo *ly homo* non prædicatur ut singularis, sed ut universalis. Tandem *ly homo* prædicatur, ut species de suo individuo: sed species est universalis: ergo prædicatur ut universalis, retinendo universalitatem.

2. Secunda sententia huic contraria docetur à Scottis, quos sequuntur ex PP. Societatis Fonseca, Hurtado,

Alphonsus, & alij. Probatur. In hac prædicatione *Petrus est homo*, prædicatur de Petro natura humana, cū ipso identificata: sed natura identificata cū Petro, nō est universalis, sed singularis: ergo ibi prædicatur *homo* ut singularis, & non ut universalis.

Confirmatur 1. Divisum in membris dividitibus non est eo modo, quo erat in se ante divisionem: sed natura ante actualem prædicationem erat universalis; postea verò per actualem prædicationem dividitur in Petrum, & Paulū, ut in membra, & partes: ergo in actuali prædicatione non remanet universalis.

Confirmatur secundo. De ratione universalis est unitas, & carentia divisionis: sed natura, quæ ante prædicationem erat una, & indivisa, dividitur in Petrum, Paulum, &c. per actualem prædicationem: ergo in actuali prædicatione non retinet unitatem, & consequenter nec universalitatem.

3. Tertia sententia est nostri Villanovani, docentis, quòd universale positum ex parte subjecti, servat universalitatem: secus dum ponitur ex parte prædicati. Addit quòd in casu prædicationis superioris de inferiori, prædicatur natura universalis, sed non universaliter. Quid autem sit non prædicari universaliter: explicat in

soluzione ad primum argumentum sententiæ Thomisticæ. dicens, esse prædicari *Particulariter & sic desinendo esse universale*. Ecce stat ferè pro sententia Scotillarum, quare non est sententia tertia, sed adhæret secundæ.

Probat suam sententiam ex Aristot. lib. 1. Perhierm. cap. 5. in fine ubi ait: *In eo verò, quod universale prædicatur, id quod est universale, prædicari universaliter, non est verum*. Hanc sententiam explicat, & approbat ibi S. Thomas lect. 10. & noster Agidius in expositione ejusdem lib. cap. 5. & in 1. Sent. distinct. 21. q. 2. art. 1. Ecce juxta Beatos Doctores de mente Philosophi dū prædicatur universale non prædicatur universaliter: quare dū dicitur *Homo est animal*, non est sensus *Omnis homo est omne animal*, ut ibi exponitur ab utroque Beato Doctore, sed est sensus *Omnis homo est animal*; quo jam vides quòd ex parte subjecti retinetur universalitas, secus ex parte prædicati.

Et confirmatur ex D. Thoma ibidem dicente, *Et idè neque signum universale, neque particulare, convenienter additur prædicato, sed magis subjecto*. Ergo quia sentit S. Doctor quòd ex parte subjecti universale retinet universalitatem in actuali prædicatione; se-

cus ex parte prædicati. Hinc probat à ratione. Nam in ista prædicatione *Homo est animal*, subjectum, & prædicatum sunt quid universale: sed subjectum retinet universalitatem, secus prædicatum: ergo in actuali prædicatione universale ex parte subjecti retinet universalitatem, secus ex parte prædicati. Probatur min. Signum omnis, additum termino universali non reddit propositionem falsam, dum terminus retinet universalitatem: unde quia illam retinet hinc, *Homo est rationalis*, valet, *Omnis homo est omne rationale*: at non valet *Omnis homo est omne animal*: ergo quia in hac *homo est animal*, ly *homo* ex parte subjecti retinet universalitatem, secus ex parte prædicati.

§. II.

Nostri sententia proponitur, & probatur.

4. **D**ICENDUM putamus cum Thomisticis, quòd *Universale conservatur in actuali prædicatione: sed non prædicatur universale universaliter*. In 1. parte nostri asserti plenè sumus cum Thomisticis; in 2. parte non ita clarè convenimus, licet in re idem sentiamus aliter, & aliter ex-

plicatum. Dicimus quòd in hac prædicatione *Homo est animal*, ly *animal* non dicit solam animalitatem hominis, sed etiam dicit animalitatem brutorum: at non prædicat ly *animal* totum quod continet, & dicit, sed solam animalitatem hominis. Conclusio nostra sic explicata, est expressa in P. Augustino, & eam indicat D. Thomas, nec non N. Fundat. D. locis citatis.

Probatur ergo 1. ex P. August. lib. de *Quantitate anime* cap. 25. ubi disputans cum filio Adeodato, dicit sic: *Si enim me rogares quid esset homo, & eum hoc modo diffinirem, homo est animal mortale; non continuo quia verum est, etiam diffinitionem probare deberes; sed superposita ei particula omnis, convertere illam, & intueri, utrum etià conversi vera esset, hoc est, utrum quemadmodum verum est, omnis homo est animal mortale, ita esset verum, omne animal mortale homo est: quo aliter invento, improbare diffinitionem propter illud vitium, quo aliena comprehendit. Et infra: Plus continendo ergo superior diffinitio vitiosa erat; bestiam enim cum homine continebat. Hæc S. P.*

Ecce duo pro nostra sententia in verbis istis P. N. primò hæc propositio est vera

Homo est animal mortale: secundò: diffinitio posita ex parte prædicati est vitiosa, quia *Bestiam cum homine continebat*. Ex his duobus probatur utraque pars nostræ sententiæ. In hac propositione *Homo est animal mortale*, datur ex parte prædicati diffinitio vitiosa, & comprehendens aliena: sed si diffinitio prædicata solum comprehenderet, & diceret animalitatem hominis, non foret diffinitio vitiosa ob vitium comprehendendi aliena: ergo juxta P. August. *ly animal mortale* in actuali illa prædicatione non solum dicit animalitatem hominis, sed etiam animalitatem universalem, & communem brutis: quod erat prima pars nostræ sententiæ. Major est expressa in P. Augustino, & min. ab ipso explicatur dicente quod *ly animal mortale prædicatum de homine continet bestiam*, & ob id comprehendit aliena; non enim bestiam comprehenderet, si solum hominis animalitatem contineret, & diceret.

Secunda pars nostræ conclusionis probatur ex alio asserto S. P. Nam juxta S. P. Hæc propositio est vera *Homo est animal mortale*: sed non esset vera, si prædicaret totum quod continet, & dicit prædicatum: ergo juxta S. P. universale in actuali prædicatione non præ-

dicat totum, quod continet: Probatur min. *Animal mortale*, ut vidimus, continet *bestiam*, hoc est animalitatem brutorum: sed si bestia prædicaretur de homine, propositio foret falsa: ergo si in dicta propositione prædicaretur totum quod continet prædicatum, propositio non esset vera.

5. Restat ergo de mente S. P. quod in actuali prædicatione prædicatum universale, manet universale, & retinet universalitatem, sed non prædicatur universaliter. Primum patet, quia *ly animal* in tantum est universale, in quantum continet animalitatem hominis, & bestiarum: sed in actuali prædicatione, ut vidimus, *ly animal* continet *bestiam*, hoc est animalitatem bestiarum: ergo manet universale, & retinet universalitatem. Secundum etiam constat. Nam prædicari universaliter, est prædicari totum quod continet prædicatum universale: sed in illa prædicatione vera, non prædicatur totum, quod continet *animal*, quia alioquin non esset vera: ergo non prædicatur universaliter.

Et observa qualiter S. P. confirmat etiam dictum D. Thomæ supra laudatum, scilicet quod signum *omnis* non est ponendum ex parte prædicati, sed ex parte subjecti. Nam instruens P. N. filium Adeodatum,

QVÆST V.

tum, quod dicitur diffinitioni expendendæ adderet particulam *omnis*; non dixit quod eam poneret ex parte prædicati sic, *Homo est omne animal mortale*, quod satis erat ad cognoscendum vitium comprehendendi aliena: sed monuit convertere propositionem, ut mutato *ly animal* in subjectum, susciperet signum *omnis*, sic, *Omne animal mortale est homo*: docet ergo etiam S. P. signa non esse ponenda, nisi ex parte subjecti. Possemus alias probationes adducere subtilissimas ex S. P. Augustin. lib. 6. de Trinit. cap. 9. & lib. 5. cap. 9. & lib. 8. cap. 1. sed quoniam superant incipientium captum, eas omitimus. De eis tractat N. Egidius in 1. Sent. distinct. 21. q. 2. art. 1.

Hanc esse sent. Aristot. testantur D. Thomas, & B. Egidius locis datis num. 3. eam ibi sequitur uterque B. Doct. sed immeritò allegantur à N. Villanova pro suo asserto contra Thomam, quia nec Aristot. nec D. Thomas, & Egidius tenent quod prædicari, & non universaliter, sit deperdere universalitatem in actuali prædicatione; deperderet quidem si universale solum contineret id, quod prædicat: at non sic evenit, non sic. Nam plus continet prædicatum actuale, quam prædicat, ut probatum

est: ergo licet id quod prædicat, sit particulare; prædicatum tamen est universale ratione ejus, quod continet, & retinet universalitatem.

6. Dices. Prædicatum est id, quod prædicatur: sed per nos id, quod prædicatur non est universale: ergo prædicatum non est universale, semel quod non prædicetur *universaliter*. Quare non retinet universalitatem. Rursus. Prædicatum prædicat omne, quod continet: sed per nos non prædicat, nisi animalitatem hominis: ergo solum continet animalitatem hominis, & ruit probatio nostra. Tertiò. Si prædicatum posset plus continere, & minus prædicare, hæc foret vera, *Homo est omne animal*, quia licet contineret prædicatum omnem animalitatem, non prædicaret omnem, sed solum animalitatem hominis, quæ verè prædicatur de homine: at talis propositio est falsa: ergo falsum est, quod prædicatum minus prædicet, quam continet.

Hæc omnia, æquè militant contra dictum Augustinianum, ac contra nos solvantur tamen faciliter. Ad primum dic prædicatum esse quod prædicatur, quia esse affirmatum continetur in prædicato: at quia aliquando prædicatum est superiorius ad subjectum, ideò tunc

§. III.

esse quod affirmatur, & esse prædicati superioris, non adæquantur: unde tunc quod prædicatur est *inadequate* prædicatum, non *adæquate*.

Ad 2. dist. maj. prædicatum prædicat omne, quod continet, quando est prædicatio æqualis de æquali: cōcedo maj. quando est prædicatum superioris de inferiori, nego maj. Casus nostræ quæstionis est in prædicatione superioris de inferiori, & in eo major est falsa.

Ad 3. nego maj. quia in illa propositione *Homo est omne animal*, explicitè affirmatur de homine omne quod continetur in animali. Hanc vim habet *ly omne* additum termino. Quare non est locus, ut propositio sit vera prædicando solam partem contenti in prædicato. Ceterum dicendo *Homo est animal*, nullum est signum limitans, aut extendens naturam animalis, & esse in illo contentum: quare adest locus communis, & vero sensus verborum, quo nobis demonstratur, solum affirmari de homine animalitatem hominis, non verò omnem animalitatem, quam prædicatum continebat ante prædicationem, & retinet in actuali prædicatione.

Expenduntur aliorum sententia.

7. **A**D fundamenta primæ sententiæ dicimus, eis confirmari conclusionem nostram; si quod autem discrimen est nostræ, & primæ sententiæ, est solum, quod prima sententia videtur ponere in hac propositione *Petrus est homo*, *ly homo* universale solum ex parte modi significandi; nos autem ponimus universale ex parte rei significatæ; quia dicimus quod res significata non est sola natura Petri, sed natura omnium hominum, sicut erat ante prædicationem; quare in actuali prædicatione non prædicat totum quod dicit ex parte rei significatæ, sed partem; servat tamē significare naturam universalem omnium hominum, & sic est universale ex parte rei significatæ.

Alij verò RR. ut Palanco, Bajona, fundati in verbis D. Thomæ 1. par. quæst. 13. art. 12. in corpore dicunt quod prædicatum in dicta propositione, dupliciter sumi potest, scilicet ut identificatum cum Petro per compositionem propositionis; vel ut distinctum ex parte prædicati. Primo modo non est universale: bene

QUÆST. V.

verò secundo modo, quia sic representatur præcisum à differentijs. Verba D. Thomæ sunt hæc, *Hæc verò diversitati, quæ est secundum rationem, correspondet pluralitas subjecti, & prædicati; identitatem verò rei significat intellectus per ipsam compositionem.* Hæc S. Doctor, in quibus præcisè duo docet; quod in dicta propositione subjectum, & prædicatum sint per rationem distincta, & sint plura: rursus quod sint identificata identitate, quæ intellectus significat per verbū *est*. Ex his verbis non percipimus quomodo RR. probent suam asserturam: nam totum quod docet D. Thomas, verificatur etiam in hac propositione *Petrus est hic homo*, nam ibi est pluralitas subjecti, & prædicati; & datur identitas significata ab intellectu per ipsam compositionem: & tamen in hac propositione non adest locus illi distinctioni RR. & illi duplici acceptioni prædicati nec in hac propositione prædicatum retinet universalitatem, ut ipsi RR. fatentur: ergo doctrina hæc non salvat conclusionem nostram.

At stando probationi nostræ ex P. Augustino, clariùs ostenditur quomodo *ly homo* in actuali prædicatione manet contractus, & simul præcisus à differentijs; & sic quatenus contractus facit identitatem, & propositionem veram; quate-

nus præcisus, servat universalitatem. Ecce utrumque clarè demonstratum. *Ly homo* præcisus dicit humanitatem omnium hominum; hæc omnium natura præcisus non contrahitur plenè, nisi descendat ad omnes per actualem prædicationem de omnibus: sed dum prædicatur de solo Petro, non descendit ad omnes, nec contrahitur per omnes, sed per solum Petrum: ergo dum contrahitur per Petrum, manet adhuc contrahibilis per alios: ergo manet adhuc præcisus ab alijs. Ergo manet respectu diversorum contracta, & abstracta; contracta per Petrum, & abstracta ab alijs: ergo est universalis.

8. Dices: per nos quæstione præcedenti §. ultimo. Semel abstracta natura à Petro, abstrahitur ab omnibus: ergo semel contracta per Petrum; contrahitur per omnes, & sic non tenet doctrina præsens nec cohæret dictis. Patet consequentia, quia contrariorum eadem est ratio; contractio, & abstractio contraria sunt.

Respondemus negando consequentiam propter disparitatem claram, desumptam ex fine scientiarum: nam idèd sufficit abstrahere naturam ab uno, ut detur abstractio ab omnibus, quia impossibile est nocere omnes homines in particulari, & ab eis sumere occa-

tionem abstrahendi explicitè ab omnibus naturam. Quare ne scientiæ de universalibus reddātur nobis impossibiles, tenendum est naturam ab uno abstrahā esse abstrahā ab omnibus; & dum eā sic diffinimus, diffinitio convenit naturæ omnium. Hæc ratio non tenet in contractione, quia non est necessarium ad scientiam de homine, contrahere per omnes naturam abstrahā: immò est necessarium ad talem scientiam, quòd contractio ad unum, sit ad illum tantum, & nō ad omnes; quia si ad omnes contraheretur, non daretur propositio particularis, & universalis; sed dicendo *Petrus est homo*, *ly homo* prædicaretur de omni homine, & non foret propositio particularis. Cumque pro scientiis sit necessarium discrimen inter propositiones particulares, & universales, petunt scientiæ, quòd contractio naturæ ad unum, non sit contractio ad omnes. En ex fine scientiarum discrimen, ne teneat contra nos consequentia objecta.

Secunda disparitas est ex natura contractionis, & abstractionis intellectualis. Nam contractio petit cognitionem termini *ad quem*: est enim contractio comparatio composita, & sic cognitio naturæ contractionis, & termini *ad quem* contractionis: sed per contractio-

nem ad solum Petrum, non cognoscitur alius terminus ad quem, nisi solus Petrus: ergo ad solum Petrum sit contractio, non ad alios. E contra abstractio non petit cognitionem termini *à quo*; immò petit non cognitionem; nam hoc est abstrahere, scilicet *Non cognoscere id à quo abstrahitur*: sed dum abstrahitur natura Petri, nedum non cognoscitur Petreitas, sed neque cognoscitur Pauleitas, & aliæ differentie individuales aliorum hominum: ergo revera abstrahitur ab omnibus, dum ab uno abstrahitur. Ergo ex natura abstractionis, & contractionis bene constat, quomodo natura abstracta ab uno, abstrahitur ab omnibus; secus contracta ad unum, quæ non contrahitur per omnes.

9. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita n. 2. respondemus, & ad primum omiſſa solutione Thomistica, quæ continet doctrinam n. 7. dicimus totum discursum esse verum, & quòd sola consequentia distinguenda est. Fateamur quòd in hac propositione *Petrus est homo*, prædicetur de Petro natura cum ipso identificata: quia *ly est* denotat identitatem, *Quam significat intellectus per ipsam compositionem*, ut ait D. Thomas Fatemur etiam, quòd natura idé-

tificata cum Petro non est universalis, sed singularis, sicut Petrus cum quo identificatur. Hoc solo discrimine, quòd natura ex se singularis non est, sed id habet à singularitate, & Petreitate, cum qua identificatur, ut diximus quæst. 4. præcedente. Dist. ergo consequens: ergo ibi prædicatur *homo* ut singularis, & non ut universalis, ut singularis secundum id quod dicit, & prædicat, concedo consequentiam, secundum id quod dicit, & non prædicat, nego consequentiam. Nam ut vidimus *homo* dicit naturam omnium, sed non prædicat omne quod dicit, sed partem, hæc pars prædicata, est singularis; sed reliquum, quod dicit, & non prædicat, est universale, quia est natura una potens esse in multis alijs distinctis à Petro, & dici de illis.

Hinc cessat alia replica contra nostram sententiam, proponitur sic: Petrus non est homo universalis, sed singularis: ergo dum dicitur *Petrus est homo*, *ly homo* non prædicatur, ut universalis, sed ut singularis. Respondemus concedendo totum, quia non dicitur à nobis quòd universale conservatur in actuali prædicatione, quia universale adæquatè prædicatur de singulari; sed quia prædicatur secundum partem singularem,

retinendo universalitatem naturæ, quam dicit, & non prædicat. Quare licet Petrus non sit homo universalis; at *ly homo*, qui prædicatur de Petro amplius dicit, quàm prædicat, & hoc amplius quòd non prædicat, est universale, quòd conservatur in actuali prædicatione.

Ad primam confirmationem respondent Thomistæ concedendo totum discursum de divisione in partes integrales, negant de divisione totius Metaphysici in partes per quas potius contrahitur, quàm dividitur. Sed in sua probabilitate relicta hac solutione, facillimè respondemus ex nostris principijs, quòd natura universalis desinit esse universalis, dum adæquatè dividitur, & contrahitur; secus dum non dividitur adæquatè, ut vidimus n. 7. in fine. Nostra sententia non est de conversione universalis in actuali prædicatione de omnibus, & singulis individujs naturæ, nam tunc plenè contrahitur, & non remanet contrahibilis, & consequenter, nec universalis. Si tamen natura prædicetur solum de Petro, Paulo, & alijs, non tamen de omnibus; tunc in prædicationibus actualibus conservatur universale: & de his procedit nostra sententia, nec aliquid contra probat prima confirmatio, quæ solum est ve-

ra de divisione adæquata. Observa tamen, quòd in divisione inadaquata non remanet divisum plenè ut erat antea; nec nos dicimus, quòd natura humana contracta per Petrum, & Paulum, maneat ut antea, sed quòd manet universalis. Nò tamen ita universalis, ut antea, quia antea erat universalis ad omnes; postea ad multos, sed non ad omnes, quia contracta per Petrum, & Paulum, non manet contrahibilis per illos.

Ad secundam confirmationem disting. consequens ergo natura contracta per Petrum, & Paulum, non retinet unitatem, & universalitatem, relatè ad Petrum, & Paulum, per quos est contracta, concedo consequentiam, relatè ad alios numeros per quos non est contracta, sed contrahibilis, nego consequentiam, solutio patet ex dictis n. 7.

Dices: Per nos solùm destruitur universale, quando actu prædicatur de omnibus, & singularis: ergo dum dicitur universale *Vnum potens esse in multis*, & *de multis*, non debet intelligi de omnibus, & singularis. Patet consequentia, quia nemo potest constitui per potentiam ad actum destructivum sui: nec ullus est actus, qui non perficiat, sed potiùs destruat potentiam ad illum. Er-

go definitio universalis debet intelligi de omnibus divisivè, ita ut semper maneat potens esse in alijs, & in alijs modo quo quantitas semper manet divisibilis. At hoc dici non potest saltem de eis naturis, quæ vel unicum individuum habent, ut Sol, & Phenix; vel habent pauca, ut sunt naturæ quæ dicuntur raræ.

Respondemus, quòd omnes sententiæ tenentur respondere huic difficultati, & maximè secunda, quæ docet destrui universale per quamcumque prædicationem actualem. Quomodo ergo est potens dici de pluribus? Sanè per potentiam ad actum destructivum universalitatis. Ergo cum etiam Thomistæ, & nos id debeamus fateri, nil speciale nobis objicitur, quod non debeat ab omnibus solvi. Dicimus, quòd sicut forma embryonis est forma imperfecta, quæ destruitur adveniente perfecta, & constituebatur per ordinem ad perfectam. Sic universale constituitur per ordinem ad actum, quo adveniente destruitur: nam status universalis, licet ad scientias opportunus, est tamen imperfectus, quia est status entis in potentia ad essendum, qui cessat adveniente termino, sicut cessat motus accedente termino ad quem erat in potentia.

Ad

Ad fundamenta tertiæ sententiæ posita n. 3. dicimus auctoritates inductas Aristot. D. Thomæ, & N. Ægidij esse pro nobis, ut dictum est n. 5. in fine: nec dicimus, quòd *Universale prædicatur universaliter*, immò id negamus cum Beatis DD. quia quod prædicat terminus universalis, est quid singulare. Dicimus tamen retinere universalitatem, quam non prædicat, & idèò signum *omnis* non potest addi prædicato propter rationem datam num. 6.

Ad rationem nostri Villanovani, dic quòd signum *omnis* potest addi prædicato universali, quando prædicatum prædicat omne quod dicit, ut in hac *Homo est rationalis*. Sed

non quando plus dicit, & minus prædicat, ut in hac *Homo est animal*, quia *ly animal* dicit animalitatem brutorum, ut vidimus ex P. Augustino, sed illam non prædicat.

Dicimus 2. cum D. Thoma lib. 1. Perhiern. lect. 10. quòd nec in prima propositione potest addi signum *omnis* prædicato, nam propositio hæc *Omnis homo est omne rationale*, est falsa juxta D. Thomam, quia homo supponit distributivè pro singulari, & de Petro v.g. non est verum quòd sit *omne rationale*; quare prædicatum, *ly omne affectum*, non convenit subjecto supponenti distributivè, & sic est falsa propositio.

QUÆSTIO SEXTA.

An inter gradus metaphysicos detur præcisio objectiva?

§. I.

Quaedam prænotantur pro sensu quæstionis.

I. **P**RÆCISIO est idem ac abstractio: quare cum dictum sit universale fieri ab intellectu per abstractionem; restat hinc explicare quid sit abstractio, quotuplex, & per quam fiat universale. Hinc omnes DD. hanc quæstionem instituunt, & in duas partes divisi, acriter quilibet pro

pro suo sensu decertat. Est ergo præcisio, vel abstractio, cognitio unius sine alio, cum quo identificatur. Quare dum intellectus non percipit unica cognitione totum objectum, sed per partes, unam per unam cognitionem, alteram partem per aliam; tunc datur præcisio. Quo fit, ut pro tali præcisione detur duplex fundamentum, unum ex parte objecti, alterum ex parte intellectus, ut docent D. Thomas, & B. Ægidius in 1. Sent. dist. 2.

Fundamentum ex parte objecti est, quia licet sit unica entitas, æquivaleret multis perfectionibus distinctis, unde potest cognosci, ut æquivalens uni, & non cognosci, ut æquivalens alteri. Hoc patet in Deo, qui est unica entitas indivisibilis, sed æquivaleret multis, immò omnibus perfectionibus creatis, quia esse Dei est omne esse: unde in entitate illa possumus cognoscere iustitiam, misericordiam, sapientiam &c. Ista æquivalencia vocatur distinctio virtualis. Datur in Deo iustitia, datur misericordia: at non distinguuntur realiter à Deo, nec inter se, quia quidquid in Deo est, Deus est. Ceterum distinguitur virtualiter una perfectio ab alia, quia æquivalent nostris perfectionibus realiter distinctis; vel melius dices distingui, quia sunt perfe-

ctiones diversæ linear, potentes terminare diversos conceptus nostros.

Fundamentum ex parte intellectus nostri, est limitatio nostræ virtutis intellectivæ, quæ non potest unica cognitione cognoscere totum objectum, ideò attingit illud per partes. Ob id diximus lib. 1. Logicæ quæst. 9. §. 1. quod Logica nõ est in Deo, nec in Angelis, sed in solis hominibus. Et lib. 2. quæst. 7. defendimus Deum, & Angelos non facere entia rationis logica. Omnium ratio est, quia hæc solum conveniunt intellectui potenciali, attingenti objectum per partes, & diversis cognitionibus: sed Deus, & Angeli unica cognitione attingunt totum objectum: ergo non præsciunt. Quare fundamentum ad præcisionem, quod datur ex parte intellectus, solum reperitur in intellectu humano. Omittimus, an Angeli dum cognoscunt Deum, præsciunt? Hoc enim Theologicum est: nobis videtur certissimum, quod licet non præsciunt utendo cognitione beata: at dum cognitione naturali Deum agnoscunt, abstrahunt, & intelligunt per partes quia Dei perfectio superat eorum captum, & omnem vim intellectivam creaturæ.

Hoc modo in entitate hominis, quæ est unica, & clari-

us dignoscitur in anima nostra unica, & indivisibili, datur hoc duplex fundamentum ad præcisionem. Etenim anima nostra unica est vegetativa, sensitiva, & rationalis; ut vegetativa facit nos crescere, & æquivaleret animæ plantarum, & virgultorum. Ut sensitiva facit nos sentire, & æquivaleret animæ sensitivæ brutorum. Ut rationalis, facit nos intelligere, & constituit in gradu intellectivo superiori ad bruta, sed inferiori ad Angelos. Hinc eadem anima est principium vitæ, sensationis, & discursus, & hi tres effectus formales vocantur in homine *Videns, sensibile, rationale*. Cùmque intellectus unica cognitione non possit totum hoc intelligere, per unam attingit *Videns*, per aliam *sensibile, vel animal*, per alteram *rationale*, & duæ primæ cognitiones sunt præcisivæ.

2. At præcisio ista potest esse duplex, scilicet *objectiva, & formalis*. Præcisio objectiva est cognitio unius formalitatis tantum, nullo modo attingendo alias formalitates cum ipsa identificatas. Sic dum in homine cognosco solum animalitatem, præsciando objectivè, quia ex parte objecti animalitas sola tangitur, nõ autem rationalitas identificata cum animalitate. Solet expli-

cari hoc exemplo. Dum video animal à longè, video moveri, & cognosco esse animal, quia movetur, & sola moventur animalia. Ceterum ob distantiam non percipio, an sit homo, an brutum: quare cognosco animal, & non cognosco rationale, nec irrationale, cum quorum uno identificatur animal. Hæc est præcisio objectiva.

Præcisio formalis est cognitio attingens omnia, quæ sunt in objecto; sed non eadem claritate. Quare est cognitio clara unius formalitatis, & obscura aliarum formalitatum, quæ cum primâ identificanter. Explicatur exemplo dato. Nam videns animal à longè, cognoscit totam entitatem ejus; sed quia clarè videt moveri, clarè cognoscit illud esse animal. Ceterum licet cognoscat etiam rationalitatem identificatam cum animali, eam cognoscit confusè, & obscurè, & ideò non discernit, nec potest affirmare an illud sit rationale, nec ne? Quia solum obscurè id noscit. Oculus item à longè videt colorem in communi, & determinatum colorem in particulari, totum hoc videt, quia oculus non præsciunt: ceterum quia non potest discernere, an sit color ceruleus, an viridis, ideò videt clarè colorem

in communi, & obscure, & confusè colorem in particulari. Vocatur præcisio ista *formalis*, & non *objectiva*. Non est objectiva, quia totum objectum attingitur, & non pars ejus. Est formalis quia tota differentia se tenet ex parte cognitionis penes majorem, vel minorem claritatem. Claritas autem est modus cognitionis. Quare sicut actus intellectus vocatur conceptus formalis; ita præcisio purè se tenens ex parte cognitionis, dicitur præcisio formalis.

3. Impugnant præcisiones objectivas, & defendunt formales omnes antiqui Nominales inter quos N. Gregorius Arimin. in 1. distinct. 8. quæst. 2. art. 2. & dist. 3. quæst. 3. per totam. Eis adhærent RR. Societatis ut Hurtado, Arriaga, Oviedo, Alphonsus, & alij. Quorum præcipuum fundamentum est, quod indivisibile, vel totum attingitur, vel nihil; unde ex prædicatis identificatis implicat unum attingi, & non aliud. P. Arriaga cum aliquibus admittit in Divinis præcisiones objectivas, & distinctionem virtualementer Divina prædicata, quam negat in creaturis, & idè negat in eis objectivas præcisiones.

Defendunt præcisiones objectivas reliqui Philosophi om-

nes Thomistæ, Scotistæ, Egidiani, & ex PP. Societatis Suaris, Vazquez, & alij ex primoribus. Procedunt tamen diversis principijs: nam Scotistæ docentes formalitatem *animal* distingui realiter à *rationali*, tenentur dicere unam excludere alteram à suo conceptu formali, & hoc est objectivè præscindere. Thomistæ putant præcisionem objectivam esse distinctionem rationis; quare agnoscetes in objecto distinctionem virtualementer, quæ est fundamentum distinctionis rationis, docent consequenter dari fundamentum ad præcisionem objectivam. Nulla ex his sententijs distinguit inter res corporeas, & spirituales quorundam præcisionem objectivam.

Egidiani verò cum nostro Egidio in 2. Sent. dist. 3. q. 1. art. 3. distinguimus inter objecta corporea, & spiritualia; dicimusque dari præcisionem objectivam in rebus corporeis; secus in spiritualibus, ubi datur sola præcisio formalis. Putamus expressam sententiam istam in D. Thoma, cujus auctoritates allegabimus infra. Et licèt teneamus quòd distinctio virtualis objecti est fundamentum præcisionis objectivæ; negamus præcisionem objectivam esse distinctionem rationis in sensu Thomastico. De hoc ultimo sigillatim quærit. ultima hu-

hos libri. Interim quid sentiant alij, & quibus fundamentis, proponemus sigillatim, ut clariùs procedamus.

§. II.

Fundamenta proponuntur pro præcisionibus objectivis.

4. **P**ROBANT Thomistæ primò præcisiones objectivas ex D. Thoma 1. p. quæst. 40. art. 3. ubi ait: *Duplex est abstractio, una quidem secundum quod universale abstrahitur à particulari, ut animal ab homine; & in hac abstractione non remanet id in quo sit abstractio remota enim ab homine differentia rationali, non remanet in intellectu homo, sed solum animal.* En juxta D. Thomam in ista abstractione remanet in intellectu objectivè *animal*, & non remanet objectivè *rationale*: sed hoc est objectivè separari animal à rationali, & objectivè præscindere: ergo juxta D. Thomam animal objectivè præscindit à rationali, et sic datur præcisio objectiva inter gradus metaphysicos.

À ratione probatur sic. Potest cognosci *animal*, quia cognoscatur rationale, cum eo identificatum: hoc est præscindere objectivè, ut diximus n.

2. ergo possunt dari, & dantur præcisiones objectivæ. Probatur maj. Potest homo operari, ut animal, quin operetur ut rationale: ergo potest cognosci &c. Patet consequentia, quia difficilius est primum, quàm secundum. Antecedens est certum, & patet, quando homo operatur per sensationem, & non per discursum; tunc enim operatur ut animal, & non ut rationale.

Confirmatur: entitas hominis quatenus est animal, ordinatur ad sensationem, ad quam non ordinatur entitas hominis ut est rationalis: ergo poterit homo cognosci ut animal in ordine ad sensationem, & non cognosci ut rationalis in ordine ad discursum. Explicatur. Rationale dicit ordinem ad discursum, sicut animal dicit ordinem ad sensationem: sed potest cognosci homo in ordine ad sensationem, quia cognoscatur in ordine ad discursum: ergo potest cognosci homo ut animal, quin cognoscatur, ut rationale. Patet consequentia: nam non cognito ordine transcendentali alienius ad aliud, non cognoscitur subiectum talis ordinis: sed animal est subiectum ordinis ad sensationem, & rationale est subiectum ordinis ad discursum: ergo si potest cognosci ordo ad sensationem sine ordine ad

discursum, potest cognosci animal sine rationali.

5. Si respondeas cum Nominalibus, quod dum cognoscitur homo ut animal, cognoscitur totus homo, unde cognoscitur etiam rationale: at totus homo sic cognitus cognoscitur solum in ordine ad sensationem, & non in ordine ad discursum. Quare tunc non datur præcisio objectiva, cum totus homo sit cognitus; datur tamen præcisio formalis, quia ex parte cognitionis solum cognoscitur illa totalis entitas in ordine ad sensationem. Si hæc respondeas, das communem solutionem.

Sed ecce communem impugnationem solutionis daturæ. Nam solutio fatetur quod cognoscitur ex parte objecti ordo ad sensationem, & non cognoscitur ordo ad discursum: ergo jam ex parte objecti unus ordo attingitur, & alter ordo non: ergo jam præscindis objectivè ordines illos, non minus identificatos, quam identificantur animal & rationale: ergo dum fugis præcisionem objectivam, incidis, velis, nolles, in eam.

6. Secunda ratio communis pro eadem sententia sumitur ex paritate in Divinis, ubi admittendas esse præcisiones objectivas latè probat Ariaga, licet neget consequen-

tiam, & paritatem ad creaturas, in quibus non agnoscit distinctionem virtuales. In Divinis Trinitas Personarum identificatur cum natura Divina, unitate, & existentia Dei, non minus, immò magis, quam animal, & rationale identificantur inter se: sed lumine naturæ nos, & antiqui Philosophi cognovimus existentiam, & unitatem Dei; non tamen lumine naturali cognoscimus Trinitatem, quæ est mysterium ad quod sola fides sufficit, & lumen supernaturale: ergo poterit cognosci animal, quin cognoscatur rationale, quantumcumque identificentur.

Confirmatur. Communiter Thomistæ cum D. Thoma, Agidiani cum B. Agidio, & alij cum illis probant dari in Deo intellectum, quia Deus est immaterialis; insuper probant Deum esse volitivum, quia est intellectivus: ergo objectivè præscindunt unum ab alio. Pater consequentia. Quia sic probantes probant veluti à priori unum ex alio: ergo concipiunt immaterialitatem, ut distinctam ab intellectu, & intellectum ut distinctum à voluntate; alioquin non probarent unum ex alio, sed unum ex se ipso. Item Theologi principijs fidei innixi probant Deum dare nobis primam gratiam ex misericordia, &

non

non ex justitia; item docent quod Verbum Divinum procedit per intellectum, non per voluntatem; & alia multa: ergo quia objectivè præscindimus intellectum à voluntate, justitiam à misericordia.

7. Tertia ratio communis sumitur à sensibus, qui licet non præscindant formaliter, præscindunt occasionaliter, quatenus dant intellectui occasionem præscindendi objectivè. Arguitur sic. Dum animal videtur à longè (& supponamus quod sit homo) tunc cognoscitur animal, & non cognoscitur rationale: ergo tunc datur præcisio objectiva. Probatur antecedens. Nam solum cognoscitur in objecto, quod infertur ex signis exterioribus: sed in casu dato signa visa, sunt tantum motus, qui indicant animalitatem; non autem ob distantiam videtur an illud quod movetur, sit bipes, quadrupes &c. ut inde inferamus, an sit rationale, vel brutum: ergo &c.

Confirmatur. In eo casu idem cognoscitur, ac si objectum cognitum esset irrationale: sed si esset irrationale, non cognosceretur rationalitas, ut patet: ergo nec in nostro casu cognoscitur rationale, sed solum animal. Probatur majus. Si foret aliud animal, immitteret eandem speciem, ac in

casu nostro: sed dum objectum immittit eandem speciem sensibus, tunc idem est objectum cognitum: ergo &c. Omittimus aliam rationem, quæ probant præcisionem objectivam esse distinctionem rationis. Nā de ratione ista infra agendum est.

8. Quarta ratio pro eadem sententia formatur everteendo sic fundamentum Nominalium. Ideò non posset cognosci animal sine rationali, quia cum sint eadem entitas, de illa verificaretur prædicata contradictoria, scilicet *cognosci, & non cognosci*: sed apud contrarios eadem verificantur de entitate hominis: ergo tenentur solvere suam præcipuum fundamentum. Probatur minus. Contrarij docentes præcisiones formales, dicunt quod animal cognoscitur clarè, & per eandem cognitionem attingitur rationale confusè, sed non clarè: sed cognosci clarè, & non cognosci clarè, sunt contradictoria non minus, quam cognosci, & non cognosci: ergo &c.

Confirmatur. Sicut in sententia Thomistica verificatur de animali, quod objectivè præscindit à rationali, & quod non præscindit objectivè à se ipso: sic in sententia contrariorum verificatur, quod animal præscindit formaliter à rationali, & quod

quod non præscindit formaliter à se ipso; ergo in contrariorum sententia aliquid verificatur de animali, quod non verificatur de rationali cum ipso identificato. Ergo ex hoc principio perperam impugnant objectivas præcisiones.

Hac ratione coacti Hurtado, Arriaga, & alij, non defendunt istas præcisiones formales Nominalium, quia vident quòd eis admissis, tenendæ sunt præcisiones objectivæ. Ideò alias sibi adinvenerunt præcisiones, quas videre poteris apud ipsos, & in Caramuele quæst. 1. suæ Metalogicæ de universali confuso: earum impugnationem omittimus, ne oleum, & operam perdamus, universale confusum confusis impugnationibus arietantes.

Communis tamen solutio hujus quartæ rationis est negare verificari contradictoria in principijs Nominalium. Quia dum præscinditur formaliter animal à rationali, tunc tota entitas hominis cognoscitur in ordine ad sensationem, quare non solum animal, sed etiam rationale cognoscitur in ordine ad sensationem, nec aliquid de animali verificatur, quod non verificetur de rationali, & eodem modo. Immo in eo sensu quo præscindit à rationali, præscindit à se ipso. Ratio est, quia præscindere à rationali est

non cognosci in ordine ad discursum; at tunc animal etiam non cognoscitur in ordine ad discursum: ergo in eodem sensu, quo animal præscindit à rationali, præscindit à se ipso.

Hanc solutionem multis impugnant Bajona, Froylan, & alij RR. Thomistæ. Satis sit tibi ex dictis notare, quòd solutio concedit cognosci ordinem ad sensationem, & non cognosci ordinem ad discursum; cum tamen uterque ordo sit identificatus cum eadem entitate hominis. Rursus, licet tota entitas hominis cognoscatur in ordine ad sensationem, tamen non cognoscitur sic clarè rationale, sed clarè solum animal: ergo jam verificatur de eadem entitate cognosci clarè, & non cognosci clarè, ut supra arguebamus pro communi sententia.

§. III.

Fundamenta Nominalium contra præcisiones objectivas pro formalibus proponuntur.

9. **P**ROBANT primò Nominales, & RR. non dari præcisiones objectivas, sic. *Indivisibile vel totum attingitur, vel nihil: sed ani*

animal rationale est entitas indivisibilis: ergo vel utrumque cognoscitur, vel neutrum, & sic non datur præcisio objectiva unius ab alio.

Confirmatur. Si cognito animali non cognosceretur rationale, animal identificaretur cum rebus realiter distinctis: sed hoc implicat: ergo implicat præcisio objectiva animalis à rationali. Probatur maj. Si animal esset realiter cognitum, animal identificaretur cum realiter cognito; aliunde, si rationale non esset realiter cognitum, animal identificaretur cum non cognito realiter: sed realiter cognitum, & non cognitum realiter, sunt distincta realiter: ergo &c.

Confirmatur secundò. Si animal objectivè præscinderet à rationali, verificarentur de eadem entitate prædicata contradictoria: sed hoc non est possibile: ergo nec præcisio objectiva. Prob. maj. Nam verificaretur de animali cognosci; & de rationali non cognosci: sed animal, & rationale sunt eadem entitas; & cognosci, & non cognosci, sunt prædicata contradictoria: ergo &c.

10. Si respondeas, quòd de eadem entitate realiter, verificantur contradictoria, quando entitas illa realiter una, est multiplex virtualiter; & sic se habet animal rationale, quæ

realiter sunt unum, sed virtualiter sunt duo. Si ita respondeas, das communem solutionem, sed ecce communem instantiam.

Primò. Quia distinctio virtualis non sufficit ut rationale non sit realiter id, quod est realiter animal: sed animal est realiter cognitum: ergo & rationale licet sit virtualiter distinctum. Secundò. Distinctio virtualis non sufficit ut de animali, & rationali verificentur produci, & non produci; existere, & non existere: ergo nec sufficit ut verificentur cognosci, & non cognosci. Tertio. Distinctio inter essentialiter connexa non sufficit, ut unum cognoscatur sine alio, ut constat in relativis: ergo nec distinctio virtualis inter realiter identificata sufficit, ut unum cognoscatur sine altero.

11. Secundum fundamentum hujus sententiæ formatur sic. Quando cognoscitur animalitas, cognoscitur quidquid est identificatum cum animalitate: sed rationalitas identificatur cum animalitate: ergo quando cognoscitur animalitas cognoscitur rationalitas, & non ita præcisio ex parte objecti. Probatur maj. Primò, quidquid affirmatur, vel negatur de aliquo, affirmatur, vel negatur de omni identificato cum eo: ergo quando

cognoscitur &c. Secundò. Quàdo cognoscitur animalitas, cognoscitur quidquid est realiter animalitas: sed quidquid identificatur cum animalitate, est realiter animalitas: ergo quando cognoscitur &c.

Confirmatur varijsformis arguendi. Primò sic: Omnis animalitas hominis est rationalitas: sed animalitas hominis cognoscitur: ergo cognoscitur rationalitas. Discursus est in *Datis*. Secundò in hoc syllogismo expository. Hoc animal est hoc rationale: sed hoc animal cognoscitur: ergo cognoscitur hoc rationale. Tertio. Dum cognoscitur animal, rationale est res cognita: sed res cognita est cognita: ergo rationale est cognitum. Quarto. Quando prædicatum dicitur de subjecto, dicitur de omni identificato cum illo: sed de animali dicitur esse cognitum; & cum animali identificatur rationale: ergo etiam de rationali dicitur esse cognitum per cognitionem, qua noscitur animal.

12. Tertium fundamentum ejusdem sententiæ, quo evertere intendunt fundamentum sententiæ Thomisticæ, formatur sic. Ideo animal præscinderet objective à rationali, quia potest intellectus unum cognoscere sine alio: sed hæc ratio est nulla: ergo ruit præci-

puum fundamentum communitatis sententiæ. Probatur min. Possum cognoscere Angelum materialem, quin cognoscam an sit ens, vel chimæra. Rursum potest intellectus cognoscere substantiam quin attingat rationem entis. Insuper potest cognoscere diffinitum, quia cognoscat diffinitionem; item potest cognoscere essentiam sub ratione essentiæ, quin eam cognoscat sub ratione naturæ. Sed substantia non præscindit objective ab ente; nec diffinitio à diffinito; nec essentia à natura; nec Angelus materialis ab ente, & chimæra: ergo ex quo intellectus unum cognoscat sine alio, non sequitur quòd unum præsciadat objective ab alio.

Confirmatur. Noster intellectus cognoscit in Deo voluntatem sine intellectu; justitiam sine misericordia; & sic de alijs: sed ista in Deo non præsciadunt objective: ergo idem. Probatur min. Quia si præscinderent objective, distinguerentur objective; & sic facerent compositionem, repugnantem simplicitati Dei, cum compositio sit unio distinctorum, & tales perfe-

rent distinctæ,

& uni-

te.

§. IV.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

13. **N**OSTRA sententia cum D. Thoma, & N. Fundatis.

Doct. utramque præcedentem amplectitur, & utriusque adversatur. Dicimus quòd in rebus corporeis genus objective præscindit à differentia, & gradus superior ab inferiori: in Angelis autem, & rebus spiritualibus non datur objectiva præcisio generis à differentia, sed purè formalis. Ita D. Thomas quæst. unica de spiritualibus creaturis art. 1. ad 24. argumentum. Et 1. par. quæst. 50. art. 1. ad primum. Item N. Egidius in 2. Sent. distinct. 3. quæst. 1. art. 3. per totum, ubi docent quòd in rebus corporeis *Genus desumitur à materia, & differentia à forma*, quæ est doctrina sæpè asserta ab Aristot. Unde in eis genus nõ sumitur à tota natura, sed à parte naturæ, differentia item à parte distincta; quare cum sumantur ab alia, & alia parte, præsciadunt objective. Secus in Angelis, quarum natura indivisibilis non habet partes; quare in eis genus sumitur à tota natura, differentia etiam

à tota natura; unde in Angelis genus non præscindit objective à differentia. Ut clarius procedamus nostram sententiam duplici assertione sigillatim comprobemus.

Sit prima assertio. *In rebus corporeis genus objective præscindit à differentia, & idè dicendum est de prædicato quocumque superiori ab inferiori.* Probatur primò ex P. August. lib. 2. de ordine cap. 17. ubi ait: *Ego quodam meo motu interiore, & occulto, ea quæ dicenda sunt, possum discernere, & connectere; & hæc vis mea ratio vocatur. Quid autem discernendum est, nisi quod aut unum putatur, & non est; aut unitatem unum est, quàm putatur.* Et infra: *In illa parte utantur aliena; in hac propria copulantur, ut unum aliquid perfectam fiat.* Illam authoritatem supra expendimus quæst. 4. nom. 18. ad probandam quòd universale fit per abstractionem intellectus possibilis; nunc eam reproducimus ad suadendam præcisionem, & abstractionem objectivam.

Arguimus sic. Iuxta dicta quæst. 4. citata, in his verbis S. P. docet intellectum abstracte, & præscindere inter prædicata realiter identificata; ut videre poteris ex contextu dato ibi, Atqui loquitur de præ-

cisione objectiva, & non de præcisione formali: ergo juxta S. P. dantur in rebus corporeis, quæ à nobis discuntur, præcisiones objectivæ. Probatur min. Intellectus præscindens juxta S. P. est intellectus discernens: sed discretio, & distinctio intellectus, non est formalis, sed objectiva: ergo &c. Probatur min. Intellectus juxta S. P. solum discernit id, *Quod aut unum putatur, & non est; aut non tam unum est, quam putatur*: sed in utroque horum datur distinctio ex parte objecti, quæ vel est realis, & sic opposita unitati reali, quæ *Unum putatur, & non est*; vel est distinctio virtualis, & sic opposita unitati virtuali, quæ *Non tam unum est, quam putatur*: ergo discretio, & distinctio intellectus, de qua S. P. loquitur, non est formalis, sed objectiva.

Explicatur. Hic S. P. pro discretionem facta ab intellectu recurrit ad objectum, quod *Vel unum non est; vel non tam unum est, quam putatur*: sed iste ræursus non esset necessarius, si tota distinctio, & discretio, se teneret ex parte intellectus, & non ex parte objecti: ergo hic S. P. loquitur de discretionem, & distinctionem objectivam, & non purè de formali. Et observa, unicè loqui de corporalibus, quæ discuntur;

nam in spiritualibus, ut infra videbis, non datur ex parte objecti distinctio virtualis inter genus, & differentiam, quare de eis non verificatur, quod *Non tam unum sunt, quam putantur*; quia si putamus in Angelo quod genus, & differentia sunt unum realiter, & virtualiter, reverà sic sunt, quia ab una, & eadem indivisibili natura sumitur in eo genus, sumitur, & differentia, quod non contingit in rebus corporeis.

14. Confirmatur ex eodem S. P. libro de Quantitate animæ cap. 25. ubi hæc distinctioem hominis improbat, *Homo est animal mortale*; vitium quod in ea agnoscit est *Quod aliena comprehendit*. Et concludit *Plus ergo consistendo superior diffinitio vitiosa erat; bestiam enim cum homine continebat*. En argumentum. Si *ly animal mortale* non præscinderet objectivè à differentia rationalitatis, non contineret bestiam cum homine, nec comprehenderet aliena ab homine diffinito: sed juxta P. August. comprehendit aliena, & bestiam cum homine continet: ergo quia *ly animal mortale* juxta S. P. præscindit objectivè. Min. cum consequentia tenet, & major probatur. Si *ly animal mortale* non præscinderet objectivè à differentia rationalitatis, diceret

pro

pro implicito rationalitatem: sed animalitas dicens pro implicito rationalitatem, non convenit brutis, nec bestias continet, sed solos homines: ergo &c.

Explicatur ex S. P. ibidem dicente: *Hæc igitur hominis diffinitio perfecti solet, cum addideris mortali rationale; nam homo est animal mortale rationale, atque ut omnis homo animal mortale rationale est; ita omne animal rationale mortale homo est*. En diffinitio ista *Animal rationale mortale*, est perfecta; & ista *animal mortale* est vitiosa, & aliena comprehendens: sed si cognito animali cognosceretur pro implicito rationale, hæc secunda diffinitio non esset vitiosa, sed æquè perfecta, ac prima cum solo discrimine, quod in prima rationale est explicitum, in secunda est implicitum: ergo cum prima juxta P. August. sit perfecta, & secunda vitiosa; secunda nec pro implicito dicit rationalitatem, sed ab ea objectivè præscindit. Quare in homine, & alijs rebus corporeis datur præcisio objectiva.

15. Probatur secundò assertio nostra ex D. Thoma 1. p. quest. 4. art. 3. ubi distinguit duas abstractiones intellectus; unam qua universale abstrahitur à particulari, ut ani-

mal ab homine: alteram qua forma abstrahitur à materia, ut forma circuli ærei à materia æris: De prima dicit, quod intra intellectum non manet homo, sed solum animal: Videtur verba S. Doct. supra num. 4. & observa S. Thomam doctrinam istam sæpius repetere varijs locis: quæ invenies in tabula aurea operum D. Thomæ verbo *abstractio*: ceterum hic, & alibi docens talem præcisionem objectivam, loquitur semper de rebus corporeis, nec ulla est autoritas pro præcisione objectiva in rebus spiritualibus.

Probatur tertio ex nostro Agidio multis locis, sed præcipue lib. 3. de anima textu 360 ubi querit: utrum intellectus possit intelligere ut separata; quæ separata non sunt, sed identificata? Et respondet, quod duplex est separatio; unam per negationem, *Dicendo hoc non est illud; vel per abstractionem, ut intelligas hoc non intellecto illo*. Primus modus semper est falsus &c. De secundo non sic, sed concludit, *Possumus enim hoc modo priora separari à posterioribus*. Et ut videas loqui de abstractione: & præcisione objectiva subdit: *Est itaque diligenter notandum, quod hæc separatio ex ipsa re ortum sumit: quia non quilibet à quibuslibet, sic separari*

possunt. Nam ea, quae sunt priora in esse, de quorum ratione non sunt alia, possunt separari, & sic intelligi non intellectis alijs: posteriora vero, de quorum intellectu, & ratione sunt priora, non possunt sic separari, nec sic intelligi sine prioribus &c.

16. Hic tria docet Fundat. D. N. i. quod separatio per negationem semper est falsa, ut si dicas: *Homo non est animal, animal non est rationale.* Sed separatio per abstractionem est vera, ut intelligendo animal, non intellectu rationali, quia ut docet Philosophus *Abstrahentium non est mendacium*, & consequenter nec error, aut falsitas. Secundò docet, quod hæc abstractio nascitur ex objecto, & ex ipsa re cognita, ut videas præcisionem esse objectivam, & non purè formalem ex parte cognitionis. Docet 3. quod prædicata priora possunt hoc modo separari à posterioribus; secus posteriora à prioribus. Rationem hujus infra explicabo, sed interim prius nota, quod Thomistæ relati pro prima sententia non dant hoc discrimen; immò rationes eorum utrumque probant. Nam probant præcisionem objectivam, quia prædicata identificata distinguuntur per rationem: sed tam distinguuntur superiora ab inferiori-

bus, quàm inferiora à superioribus: ergo tam possunt inferiora præscindere à superioribus, quàm superiora ab inferioribus. Idem constat de alijs rationibus probativis primæ sententiæ.

Iuxta nostrum Ægidium, & veritatem non sic, sed possunt præscindi objectivè in rebus corporeis prædicata superiora ab inferioribus, non autem è contra: ratio data à Doctore nostro est hæc. Præcisio consistens in eo quod unum cognoscatur sine alio, solum potest dari, quando unum non est de conceptu essentiali alterius, nec in eo includitur: sed licet prædicata inferiora non sint de conceptu essentiali superiorum, nec in eis includantur; at superiora includuntur in inferioribus, & sunt de conceptu essentiali inferiorum: ergo licet superiora possint præscindere objectivè ab inferioribus, non autem inferiora à superioribus.

Explicatur, & confirmatur hæc ratio Ægidij ex communi doctrina sic. Hæc consequentia est mala, *Est animal: ergo est rationale.* Ceterum hæc est bona *Est rationale: ergo est animal.* Unde inferunt Dialectici hoc dogma, quod *A superiori ad inferius non valet consequentia affirmativè; bene verò ab inferiori ad*

superius. Sed hoc idè est, quia inferiora includunt prædicata superiora; superiora verò non includunt, sed excludunt inferiora: ergo cum præcisio objectiva sit exclusio objectiva; & nemo possit objectivè excludere quod objectivè includit; si inferiora includunt objectivè superiora, nequeunt objectivè ab illis præscindere. Consequentia tenet: major est communis doctrina, & minor est certa: quia si æquè rationale excluderet animal, sicut animal excludit rationale; modo quo ab animali non valet consequentia ad rationale exclusum; sic nec valeret consequentia à rationali excludente ad animal exclusum: ergo si valet à rationali ad animal, idè est, quia rationale includit animal, & omne inferius includit prædicata superiora.

17. Quartò probatur assertio nostra à ratione ex doctrina data à nostro Ægidio. Hæc consequentia est falsa in sensu formali, *Est animal: ergo est homo.* Ergo datur præcisio objectiva, & non datur formalis. Probatur consequentia. Si animal positum in antecedenti esset terminus præcisionis formalis, de animali sic cognito ad rationale esset recta consequentia in sensu formali: sed non est recta consequentia, ut docet communis senten-

tia DD. ergo quia animal in antecedenti terminat præcisionem objectivam, & non formalem. Min. cum consequentia tenet, & maj. probatur. Si animal in antecedenti esset terminus præcisionis formalis, animal terminaret cognitionem, ut clarè, & expressè dicit animalitatem, & in confuso dicens rationalitatem; sed ab animalitate, & rationalitate implicita, & in confuso dicta, valet consequentia ad rationalitatem expressam: ergo tenet maj. Probatur hæc min. Ista est bona consequentia *Est homo: ergo est rationalis*: sed hic inferitur rationalitas expressa ex homine, ubi est rationalitas implicita, & in confuso: ergo ex rationalitate implicita ad rationalitatem expressam valet consequentia.

Dices: quod *homo dicit rationalitatem expressam*; & idè est bona hæc consequentia *Est homo: ergo est rationalis.* Secus ista, *Est animal: ergo est homo*; nam animal non dicit expressè rationalitatem, sed implicitè. Sed contra. Nā homo dicit essentiam hominis in confuso: ergo tam animalitatem, quàm rationalitatem dicit in confuso. Probatur antecedens, idè *animal rationale* est diffinitio hominis, quia explicat essentiam hominis, quā non explicat *homo*: ergo quia

homo: solèny in confuso dicit hominis essentiam. Antecedens patet, quia diffinitio est. *Oratio explicans essentiam rei*: ergo si essentia hominis, explicaretur per vocem *homo*, hac esset diffinitio, & non *animal rationale*.

Confirmatur ratio nostra. Hæc est mala consequentia *Est animal: ergo est homo*, quia hæc arguitur à superiori ad inferius affirmativè: sed si *ly animal* est terminus præcisionis formalis, non est superius ad rationale: ergo semel quòd illa consequentia sit mala apud omnes, non datur præcisio formalis, sed objectiva. Probatur min. Si *ly animal* in antecedenti est terminus præcisionis formalis, animal dicit in confuso, & implicite rationale: sed animal dicens implicite, & in confuso rationale, non est superius ad hominem: ergo &c. Probatur min. Animal dicens in confuso, & implicite rationale, est animal identificatum cum rationali, & ut tale cognitum: sed animal ut identificatum cum rationali, & cognitum ut tale, non est superius ad hominem; cum soli homini possit convenire, nec possit se extendere ad bruta; ut patet: ergo &c.

18. Quintò probatur conclusio nostra à ratione ex Ægidio loco supra laudato. 2.

Sentent. sic. Potest cognosci animal ut genus ad hominem, & equum: sed animal ut genus terminat præcisionem objectivam, non autem formalem: ergo datur præcisio objectiva inter gradus metaphysicos. Maj. & min. sunt probandæ. Maj. i. sic. Animal ut genus ponitur in diffinitione hominis: sed quòd ponitur in diffinitione hominis, cognoscitur; aliàs non possemus cognoscere diffinitionem hominis, quam formamus: ergo &c. Secundò. Potest cognosci animal, ut est ratio conveniendi hominem cum equo; nam cognoscitur animal ut est *principium sentiendi*, sub qua ratione conveniunt homo, & equus: hoc modo est genus ad hominem, & equum: ergo tenet maj.

Min. principalis probatur. Animal terminans præcisionem formalem, est animal includens rationale, & dicens illud implicite, & in confuso: sed animal sic non est genus ad hominem, & equum: ergo animal terminans præcisionem formalem, non est genus. Probatur min. Primò, quia animal dicens in confuso rationale, est animal identificatum cum rationali: sed hoc nequit equo convenire; & sic nequit esse genus ad hominem, & equum: ergo &c. Secundò probatur: min.

min. Si animal dicit implicite rationale, dicendo *animal rationale*, committitur nugatio; nam sensus erit *Homo est animal rationale rationale*: at illa est nugatio, & inutilis repetitio: ergo ut animal sit genus sine nugatione diffinitionis, debet animal terminare præcisionem objectivam; & non sufficit terminare formalem, id est debet terminare cognitionem per quam animal excludat rationale, & hæc est præcisio objectiva; non tamen cognitionem per quam animal includat rationale, & hæc est præcisio formalis.

19. Hinc inferes, quòd Suarius, & alij R.R. tenentes ex una parte præcisiones objectivas generis à differentia; & ex alia dicentes quòd genus non sumitur à materia, sed à tota natura; non procedunt consequenter, sed redarguuntur effaciter sic. Per vos genus sumitur à tota natura, v.g. animal à tota natura hominis: ergo dicit totam hominis naturam, à qua sumitur: sed natura non differt realiter ab essentia, sed sunt idem cum diverso respectu ad existentiam sub ratione essentiae, & ad operationem sub ratione naturae: ergo animal dicens totam hominis naturam, dicit etiam totam hominis essentiam. Sed essentia hominis est animal ratio-

male: ergo animal dicens totam hominis essentiam, dicit nedum animalitatem, sed rationalitatem. Hinc duo inferuntur. Primò quòd dicendo *animal rationale*, dicitur *animal rationale rationale*, quòd est nugatio. Patet sequela, quia si animal dicit rationale, dicendo *animal rationale*, rationale bis repetitur, semel in animali, & iterum in se. Secundò sequitur, quòd animal non præcindat objective à rationali: quia qui cognoscit animal, cognoscit omne quòd dicit animal: sed per vos animal dicens totam essentiam hominis, dicit rationale: ergo qui cognoscit animal cognoscit rationale, & sic non præcindit objective.

Ob hæc N. Ægidius videns, quòd in Angelis genus non sumitur à parte naturae, sed à tota natura, quæ quoniam est indivisibilis, non habet partes, duo subsumit. 1. quòd Angeli non possunt diffiniri sine nugatione, quia in eis genus dicit totam Angeli naturam, quare dum generi addimus differentiam, repetimus, & nugamus. 2. quòd in Angelis genus non præcindit objective à differentia, sed cognito genere, sicut dicit totam naturam, sic cognoscitur tota natura, & tota essentia Angeli, quare non præcinditur in eo genus ob-

divè à differentia. Hæc est summa doctrinæ nostri Doctoris loco laudato : Sent. dist. 3. quæst. 1. art. 3. pro qua amplius elucidanda erit secunda assertio nostra, sequenti §. comprobanda.

§. V.

Probatat quòd in Angelis non est præcisio objectiva, sed formalis.

20. **S**IT secunda assertio nostra. *In Angelis non datur præcisio objectiva, sed formalis.* Hanc assertionem uti Egidianam defendit N. Villanova disp. 3. de universalibus dub. 13. cap. 2. & cap. de specie dub. 4. & 5. Hæc assertio fundatur in discrimine rerum corporearum, & spiritualium, nam in rebus corporeis juxta Aristot. 5. Metaphys. textu 33. Genus sumitur à materia, differentia à sola forma; unde nec genus, nec differentia, sumuntur à tota natura, sed à parte naturæ; & sic genus dicens partem naturæ, præscindit objectivè à differentia in rebus corporeis. In spiritualibus non sic: quia genus sumitur à tota natura, differentia item à tota natura; quare idem dicit genus, ac differentia, & sic non præscin-

dunt objectivè. Utrunque est de mente Philosophi ubi supra, & expressum in D. Thoma, & B. Egidio Rom.

Probatat ergo primò ex D. Thoma quæst. unica de spiritualibus creaturis art. 1. ad 24. argum. ubi dicit: *In rebus compositis ex materia & forma, genus sumitur à materia, & differentia à forma. Ita tamen quòd per materiam non intelligatur materia prima, sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse speciei; sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis.* Et infra: *Substrata ergo materia à substantijs spiritualibus, remanebit ibi genus, & differentia, non secundum materiam, & formam, sed secundum quod consideratur in substantia spirituali tam id, quod est commune sibi, & imperfectioribus substantijs, quam etiam id, quod est sibi proprium.*

Brevius id expressit S. D. 1. par. quæst. 50. art. 3. ad primum ubi ait: *Genus, & differentia in Angelo non accipiuntur secundum aliud, & aliud, sed secundum unum, & idem, que tantum differant secundum considerationem nostram.* Ecce in rebus corporeis genus, & differentia sumitur secundum aliud, & aliud; in Angelis ve-

rò

rò secundum unum & idem: ergo juxta S. Doctorem genus in Angelis dicit unum & idem, quod dicit differentia; sicque cognito genere cognoscitur differentia, & non præscindunt objectivè.

21. Probatat secundò ex Fundat. Doct. in 2. Sentent. dist. 3. par. 1. quæst. 1. art. 3. §. Est autem diligenter, ubi dicit: *Differentia ergo in rebus compositis nunquam sumitur à tota natura, sed solum à forma: sed in rebus simplicibus non habentibus naturam compositam, cujusmodi sunt Angeli, qui sunt formæ per se existentes, oportet quòd ratio differentie sumatur à tota natura. Nam cum in talibus tota natura sit forma: non est inconvenientis quòd ratio differentie formalis sumatur à tota natura.* Ex hoc infert varia discrimina naturæ materialis à spirituali, concludens quòd Angelus non potest diffiniri sine negatione; & quòd genus dicens totam Angeli naturam, non præscindit à differentia, sed dicit idem, quod differentia, quia non sumuntur secundum aliud, & aliud, sed secundum unum & idem, ut vidimus ex D. Thoma.

A ratione probatur assertio nostra ex Egidio sic. Genus in Angelis dicit totam naturam: ergo genus in Angelis non præscindit objectivè à differentia.

Consequentia postea probabitur, antecedens probatur sic. Genus dicit id, à quo sumitur: sed genus in Angelis sumitur à tota natura: ergo in eis dicit totam naturam. Maj. patet à paritate differentie corporearum nobis notæ, nam rationale dicit animam rationalem, à qua sumitur; videns dicit formam vitalem à qua sumitur vita: & sic de alijs. Min. probatur. Ubi non est pars, & pars naturæ, genus non sumitur à parte naturæ, sed à tota natura: sed natura Angeli est indivisibilis, non habens partes: ergo in Angelo genus sumitur à tota natura; & consequenter dicit totam naturam.

Nunc probatur consequentia prima principalis. Si genus dicit totam Angeli naturam, cognito genere cognoscitur tota Angeli natura: hoc ipso non præscindit à differentia objectivè: ergo si dicit totam naturam genus non præscindit in Angelo objectivè à differentia. Maj. patet, nam cognito genere cognoscitur quidquid dicit genus. Min. probatur. Qui cognoscit totam naturam Angeli, cognoscit totam ejus essentiam: sed qui cognoscit totam essentiam Angeli, non præscindit à differentia Angeli: ergo hoc ipso quòd cognoscatur tota natura Angeli, non præscinditur à differentia.

Aa

Maj.

Maj. patet quia essentia, & natura idem sunt, ut supra diximus. Min. est certa, quia essentia Angeli est genus, & differentia Angeli; quare qui cognoscit totam essentiam Angeli, cognoscit genus, & differentiam Angeli: sed qui cognoscit differentiam Angeli, non præscindit à differentia, ut patet: ergo qui cognoscit totam essentiam Angeli, non præscindit ab ejus differentia.

22. Dices cum P. Suarez disp. 6. Metaph. sect. 11. ubi citat pro nostra sententia N. Egidium quodlib. 1. quæst. 8. Albertum Magnum cap. de substantia, Durandum in 2. Sent. dist. 3. quæst. 1. Nullum esse discrimen inter res corporeas, & spirituales; nam dictum illud Philosophi *Genus sumitur à materia, differentia à forma*, non est verum in rigore, nec potest ulla ratione probari; quia etiam in rebus corporeis genus sumitur à tota natura; quod probatur argumentis, de quibus infra. Hinc est, quod dictum illud Philosophi debet explicari per quamdam analogiam, ita ut sensus sit, quod sicut materia in genere physico est potentia, & forma est actus; ita in genere logico, vel metaphysico genus est potentia, differentia est actus. Sed revera in rebus corporeis genus sumitur à tota natura, differentia item

à tota natura desumitur, sicut & in Angelis.

Sed contra primò, quia etiam si rationes non adessent, sufficeret nobis autoritas D. Thomæ, & B. Egidij sequentium Aristot. loco citato. At qui juxta Beatos DD. istos genus in Angelis sumitur à tota natura, & dicit idem quod differentia; secus in rebus corporeis: ergo discrimen hoc tenendum nobis est, etiam si nulla ratio id convinceret. Contra secundò: Quia si in rebus corporeis genus sumitur à tota natura, sicut in Angelis, non dabitur præcisio objectiva in rebus corporeis, nec poterunt diffiniri sine nugatione, ut de Angelis probatum est: ergo qui neget discrimen inter res corporeas, & spirituales, tenetur negare in omnibus præcisiones objectivas. Contra tertio: Nam ad sunt rationes ad probandum dictum illud Philosophi in rebus corporeis, rigorosè illud intelligendo, ut patebit.

23. Probatur ergo quod genus in rebus corporeis sumitur à materia, & differentia à forma. Compositio metaphysica fundatur in compositione physica & ab ea desumitur: ergo partes compositionis metaphysicæ, quæ sunt genus, & differentia, fundantur, & desumuntur à partibus compositionis

QUEST VI.

nis physicæ, quæ sunt materia, & forma. Consequentia tenet, & antecedens probatur. Omnis compositio metaphysica est potentialitas, & actualitas metaphysica: sed omnis potentialitas, & actualitas metaphysica fundatur in actualitate, & potentialitate physica: ergo omnis compositio &c. Maj. est certa, quia compositio est ex actu & potentia. Min. probatur. Ubi non datur potentialitas physica, nequit dari potentialitas metaphysica, ut patet in Deo, qui quoniam est actus purus physice, ei repugnat potentialitas metaphysica.

Urgetur. Potentialitas metaphysica est potentialitas rei, & entitatis essentialiter potentialis: sed entitas essentialiter, & metaphysicè potentialis necessariò habet, physice sumpta, potentialitatem; ut patet in rationalitate, & alijs; nam quia homo est essentialiter, & metaphysicè rationalis, homo physice sumptus est rationalis, & habet rationalitatem physicam, sibi essentialem: ergo omnis potentialitas metaphysica fundatur supra potentialitatem physicam, & ab ea desumitur. Imò non sunt duæ potentialitates realiter distinctæ, sed una & eadem, variè accepta, & considerata, scilicet physice, & metaphysicè.

Confirmatur. Essentia rei

non distinguitur ab entitate rei physice accepta; cum nemo distinguatur à sua essentia: ergo potentialitas metaphysica & essentialis, est ipsissima potentialitas physica & entitativa, & consequenter non stat una sine altera. Sed physica potentialitas est materia, vel aliquid generans vices materiæ: ergo potentialitas metaphysica, vel genus, sumitur à materia.

Confirmatur secundò. Purus actus metaphysicus non datur in Deo sine puro actu physico, quare non posset Deus esse metaphysicè actus purus, nisi in esse physico esset purissimus actus: ergo nequit dari potentialitas metaphysica, nisi desumatur à potentialitate physica, quæ est materia, vel quid generans vices materiæ.

24. Hinc duo colliges cum P. Augustino tom. 9. lib. de cognitione veræ vitæ cap. 7. ubi docet, quod Deus nullo modo potest diffiniri. Ratio est, quia Deus nullo modo habet potentialitatem metaphysicam, nec genus, & differentiam, cum sit simplicissimus, & purus actus tam physice, quam metaphysicè. Sed quid quid diffinitur debet constare ex genere, & differentia, quæ sunt partes diffinitionis: ergo Deus harum incapax, non potest diffiniri.

Inferes secundò, quod An-

gelus potest diffiniri, quia constat ex genere, & differentia; immò de facto diffinitur à S. P. libro laudato cap. 6. sic: *Angelus autem spiritus est, substantia incorporea, indivisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis.* At diffinitio ista, & quæcumque brevior assignetur, nugatoria est, quia genus dicit differentiam, & dum illi additur differentia, hæc bis repetitur. semel in genere, iterum in se, quod est nugari.

Quæres fortassis, quomodo in Angelis sit genus, si in eis non est materia? Respondemus, quòd in eis materia nō est, sed est aliquid gerens vices materiæ. Angeli enim ratione suæ finitudinis habent essentiam, realiter distinctam ab existentia, ut latè probabimus lib. 1. Physicæ cum P. August. D. Thoma, & B. Ægidio. Tota ergo Angeli essentia est receptiva suæ existentia, & in potentia ad illam: essentia sic in potentia ad existentiam, gerit vices materiæ; & ab ista potentialitate, & supra istam desumitur, & fundatur potentialitas metaphysica generis. Ceterum quia hæc potentia ad existentiam, non est pars naturæ, ut est materia, sed est tota natura, & tota essentia receptiva existentia; idè non fundatur propria ratio generica, sed impropria, quæ non di-

cit partem essentia, sed totam essentiam, quare dum illi additur differentia bis repetitur, & additur nugatoriè; nec potest ratio generica præsciad à differentiali.

§. V.

Solvuntur argumenta contra assertionem dictam pro Angelis.

25. **C**ONTRA nostrum Ægidium ob doctrinam hinc traditam, decertarunt ex nostris Argentinas, & Venetus; ex alijs P. Suarius loco laudato; quorum argumenta oportet dissolvere, & Doct. nostrum ab illis vindicare.

Argues primò cum P. Suario sic. In Angelis datur genus: sed in eis non est materia: ergo quia genus non sumitur à materia, sed debet sumi à tota natura. Probatur maj. Angeli inter se conveniunt genere, & differunt specificè: ergo habent genus. Ultrà ex hoc sequitur, quòd genericè conveniunt cum rebus corporeis. Ratio est, quia ubi datur similitudo, & convenientia; ibi datur genus, quæ enim minor convenientia, quàm generica? Sed Angeli sunt similes inferioribus in conveniendo gene-

ricè cum alijs: ergo habent genus respectu inferiorum.

Confirmatur primò. Falsum est quòd in rebus corporeis genus sumatur à materia; nam ratio viventis est genus ad hominem, & equum: sed hæc ratio non sumitur à materia; eū vivens non habeat vitam à materia: ergo genus non sumitur à materia.

Confirmatur 2. Si genus sumeretur à sola materia, & differentia à sola forma, genus diceret solam materiam, & differentia solam formam: sed hoc est falsum adhuc in rebus corporeis: ergo idem. Probatur min. Si genus diceret solam materiam, & differentia solam formam, genus, & differentia non possent prædicari de specie; quare sicut hæc est falsa *Homo est materia*, & hæc *homo est anima rationalis*; ita istæ forent falsæ *Homo est animal*, *homo est rationale*. Sed consequens est contra omnes Philosophos: ergo & id unde sequitur.

Confirmatur 3. Si differentia sumeretur à sola forma, Petrus haberet eandem differentiam ac nunc habet, etiam si variaretur materia ejus, & reciperetur anima Petri in materia diversæ rationis à materia, quam habet nunc: sed hoc est falsum: ergo & quòd differentia in rebus corporeis

sumatur à sola forma.

26. Ita arguit Suarius cum Ferrara, & alijs. Sed quomodo in his principijs possint defendere præcisiones objectivas, si genus dicit totam naturam, non percipimus; & satis urget ratio Ægidij contra eas posita num. 24. Observa quòd materia hujus argumenti non est contra nostrum Ægidium, qui loco laudato secundi sent. eam statuit, & cum sua sententia componit, ut ibi patet legenti. Unde solutio pendet unicè ex unica explicatione hujus principij, *Genus sumitur à materia, differentia à forma.* Item ex isto principio D. Thomæ, & Ægidij, *Genus, & differentia in corporeis sumitur secundum aliud, & aliud; in spiritibus secundum unum, & idem.*

Explicatio habetur in D. Thoma verbis datis supra num. 20. ubi S. Doct. docet, quòd dum genus sumitur à materia, non sumitur à materia nuda, sed ita, ut *Per materiam non intelligatur materia prima, sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectū, & materiale respectu esse specificum, sicut esse animalis est imperfectū, & materiale respectu hominis.* Considera in anima rationali multos gradus, scilicet, *substantia, corporis, viventis, sensibilis, & rationalis.* Materia s.

nim est ens incompletum, & purè potentiale, quare ab anima recipit esse substantiam completam, esse corpus, vivens &c. Sed cum debito ordine, quia anima prius dat materiæ esse substantiæ, postea esse corporis, tertio esse viventis, quarto esse sensibilis, ac tandem esse rationalis. Hinc fit, quod materia cum primo gradu est in potentia ad secundum; & cum secundo est in potentia ad tertium, & sic de alijs. Unde in ordine isto fundatur arbor prædicabilium, quæ dicitur *prædicamentalis*, ubi ordine quodam à superiori fit descensus ad inferiora, & illud prædicatum, v.g. *vivens*, quod ut differentia & actus, ponitur ad latus corporis, postea ut genus ponitur in recta linea, & dividitur per actuales differentias *sensibile*, & *insensibile*.

Dicit ergo D. Thomas, quod genus *vivens* v.g. non sumitur à materia nuda, sed à materia cum gradu vitæ præstito per formam. Ceterum, quia materia cum isto gradu est in potentia ad alios gradus perfectiores animæ, puta ad recipiendam formam sub gradu *sensibilis*, & sub gradu perfectissimo *rationalis*; ideò dicitur quod genus *vivens* sumitur à materia, & non à tota natura. Hæc doctrina non singularis pro nobis, sed

omnes debent ad eam recterere, & sic explicare, ut patebit ex instantia sequenti.

27. Omnes cum Philosopho 1. de anima diffiniunt animam sic: *Anima est actus primus corporis physici organici in potentia vitam habentis*. En argumentum. Vel gradus corporeitatis convenit materiæ ratione sui, & sumitur à sola materia; vel sumitur à forma, illum præstante materiæ. Si primum? Ergo materia non est pura potentia physica, sed ratione sui habet actualitatem corporeitatis; immò ratione sui est substantia corporea completa, quod negatur communiter; & ideò Scotistæ ne concedant hoc, dicunt esse in materia formam corporeitatis; alij verò Philosophi dicunt quod gradus corporis præstat ab anima, sed ante gradum vitæ. Si præstat ab anima? Ergo *corpus* non dicit solam materiam, sed dicit compositum ex materia, & forma. Ergo dū diffinitur anima *Actus corporis physici &c.* Sensus erit *Anima est actus compositi physici &c.* Et hoc est implicatorium, nam anima adveniens composito, adveniret enti completo, & sic non faceret unum per se ex potentia, & actu, sed unum per accidens ex duobus entibus in actu; & non foret anima forma substantialis, quæ

quæ diffinitur *Actus primus materia*, sed esset *actus compositi*, & sic foret forma accidentalis.

Ut ergo solvatur hæc communis difficultas, omnes Philosophi tenentur his, vel alijs terminis recurrere ad doctrinam datam ex D. Thoma. Omnes dicunt quod gradus iste corporeitatis præstat à forma, quia est quædam actualitas, licet imperfecta. Ceterum quia materia cum isto gradu est in potentia ad actualitatem gradus vitæ; ideò materia corporea non dicit totum compositum, nec se habet ut compositum in ordine ad animam, sed ut pura potentia receptiva vitæ, & veluti materia nuda actuabilis per vitam.

Hinc sequitur, quod genus v.g. *corpus*, non sumitur à tota natura, sed à parte naturæ. Ratio est, quia anima recipitur in corpore, & non recipitur in tota natura, sed in alia comparte. Non in alia comparte nuda (& in hoc stat æquivocatio impugnantium N. Doctorem) sed in alia comparte, habente esse imperfectum ab ipsa anima. In Angelis nulla est pars recipiens, nec recepta, quare in eis genus sumitur à tota natura, ut dicebamus. Solum enim habent Angeli potentiam physicam ad existentiam, in qua fundatur genus: cete-

rùm ista potentia est totius naturæ, & dicit totam essentiam, & naturam; quare genus in eis dicit differentiam.

En quomodo in rebus corporeis genus, & differentia sumuntur secundum aliud, & aliud; quia genus sumitur à materia habente gradum aliquem imperfectum, & potentialem à forma; differentia sumitur à forma, & nullo modo à materia: sed forma sola est aliquid aliud à materia, habente gradum illum potentialem: ergo in corporalibus genus, & differentia sumuntur secundum aliud, & aliud. In spiritualibus non sic. Quia in eis non est nisi forma, ab ista sumitur genus; ab eadem differentia: quare in eis genus, & differentia sumuntur secundum unum & idem, ut vidimus ex D. Thoma 1. p. quæst. 50. art. 3. ad primum.

28. Ad argumentum Suarj respondemus dist. maj. In Angelis datur genus, proprium, nego maj. improprium, concedo maj. & disting. min. in Angelis non est materia, propria, concedo min. impropria, & gerens vices materiæ, nego min. & consequentiam. Ad probationem maj. dic Angelos inter se non convenire propriè genericè, sed impropriè; quia convenientia generica debet esse univoca: ut univoca sit, debet objectivè præ-

præscindere à differentijs, ut dicemus in antepredicamentis. Atqui ratio generica Angelorum non potest objective præscindere à differentijs, ut probatum est: ergo non est ratio univoca, sed analogica; & sic non est genus proprium, sed improprium. Hoc genus, licet improprium, petit materiam saltem impropriam, quia petit potentialitatem physicam, in qua fundatur, ut dicebamus n. 23. Hæc potentialitas, est essentia Angelorum receptiva existentiae realiter distinctæ, ut dictum est. Quare adhuc in Angelis suo modo est verum, quod genus sumitur à materia.

Ad illationem ex argumēto Suarj nego sequelam. Si enim Angeli inter se non conveniunt genericè proprie, tamen minùs convenient genericè cum rebus corporeis. Nec juvat ad illationem convenientia, & similitudo. Nam etiam sunt Angeli similes corporalibus in entitate; & tamen similitudo ista, quoniam non univoca, sed analogica, non sufficit ad unitatem generis, ut patet. Præterquam quod Angeli inter se solum convenient analogicè: res corporales inter se conveniunt univocè: ergo potius in modo conveniendi inter se est dissimilitudo, quam similitudo; quare ex argumento potius inferatur sequela opposita, quam il-

lata à P. Suario.

Ad primam confirmationem retorqueo illam. Ratio viventis, quæ est genus ad hominem, & equum, est potentialis, & actuabilis per rationalitatem: sed à forma, quæ est actus, non potest sumi potentialitas, & actuabilitas per ulteriorem actum: ergo ratio viventis, quæ est genus, non sumitur à forma; & multò minùs à toto composito, quod non est potentiale, sed actuale. Unde ergo? Respondemus ex dictis sumi à materia; non à materia nuda, sed à materia habente per formam gradum imperfectum, & potentialem vitam. Materia cum isto gradu est quid potentiale, & receptivum alterius compartis, scilicet formæ præstantis actualiores gradus sensibilis, & rationalis.

29. Ad secundam confirmationem retorqueo illam. Per te dum dicitur *Homo est animal*, ly *animal* non dicit partem naturæ & essentiae, sed totam essentiam: ergo ly *animal* dicit animalitatem, & rationalitatem: ergo dum dicitur *Homo est animal rationale*, nugatur, ac si diceretur *Homo est animal rationale rationale*. Patet consequentia, quia in hæc bis repetitur rationale, quod est nugari. Respondeo, quod genus dicit solam partem naturæ, & dif-

differentia solam partem ejusdem: at pars metaphysica potest prædicari de toto, & non pars physica, ut materia, & forma. Disparitas est, quia partes physice realiter distinguuntur inter se, & à toto. Partes verò metaphysice, quæ sunt genus, & differentia, nec inter se distinguuntur realiter, nec à specie, quæ est totum. Et cū affirmatio vera dicat identitatem; ideo pars physica non potest prædicari de toto; bene tamen pars metaphysica.

Ad tertiam confirmationem dic, quod si anima Petri reciperetur in alia materia, numericè distincta, solum variaret differentiam individualem, vel singularitatem, quæ sumitur à materia; non tamen variaret differentiam specificam, de qua est sermo. Adde, quod si ponatur in alia materia essentialiter diversa à materia prima præsentis, quam reputamus impossibilem, ut dicemus in Philosophia de mente P. Augustini, admissio tamen hoc impossibile, dicimus, quod tunc non variaretur differentia formaliter, sed illativè. Ratio primi est, quia differentia sumitur formaliter à forma: sed tunc anima Petri maneret eadem: ergo formaliter maneret eadem differentia formalis. Variaretur tamen illativè: quia variata materia, variaretur ge-

nus: sed variato genere, inferretur variatio differentie: ergo ex variatione materie illativè variaretur differentia.

Hinc solvitur, & retorquetur altera suppositio Suarj: Supponit quod à materia prima hominis vel tollatur omnis forma, vel mutetur forma manente materia hominis: tunc enim non maneret idem genus *animal*: ergo quia animal ut genus, non sumitur à materia. Retorquetur. Nam ablata à materia hominis anima rationali, & posita anima equina, manet genus *animal*; & *sensibile*: ergo quia genus non sumitur à forma, sed à materia. Respondetur, quod genus *animal* non sumitur à materia nuda; sed à materia cum gradu imperfecto sentiendi præfinito à forma. In casu separationis materie ab omni forma, maneret materia nuda, & sic non esset genus *animal*. Item si in materia ponatur forma insensitiva, non datur illud esse, & ille gradus pro genere animal. Si tamen substituatur forma sensitiva vermis, equi &c. loco formæ humanæ, jam manet materia cum illo gradu, quæ antea habebat, & sic manet genus animal.

30. Noster Argentinas in suis scriptis Egidianus, & sæpè vindex doctrinæ B. Egidij, in præsentis materia recedit à

Magistro, eum redarguens suis-
met dictis. Nam Ægidius quæst.
2. Prologi super 1. Sent. ex-
pressè docet, quòd differentia,
per quam differunt singula, di-
cit totam speciem, & substan-
tiam diffiniri, & hoc probat
ex Philosopho 7. Metaphysi-
cæ: sed hic Ægidius in 2. Sent.
dicit oppositum saltem quoad
res corporeas: ergo inconsè-
quenter procedit.

Secundò. Ut in Angelis
detur diffinitio sine negatione,
sufficit quòd genus, & differen-
tia sumantur à tota natura se-
cundùm aliam, & aliam ratio-
nem: sed in Angelis juxta Ægi-
dium sumitur genus à tota natura
secundùm rationem universa-
liorem; differentia item à tota
naturam secundùm rationē mi-
nus universalem: ergo dum
Angeli diffiniuntur, non com-
mittitur negatio, & consequē-
ter in eis genus præscindit à
differentia. Maj. patet ex A-
verroë 4. Metaphysicæ ubi ait,
quòd dicendo *ens unum*, non
committitur negatio, quia li-
cèt idem dicat *ens*, ac *unum*;
aliter tamen, & aliter: nam
ens dicitur à positione, & ra-
tio unius à privatione; idest ens
dicit quid positivum; unum
dicit quid negativum; ens enim
est *id quod est*: unum est *indi-
visum in se* &c.

Tertiò. In Angelis repe-
ritur vera, & propria ratio

specifica: sed species est verè,
& propriè diffinibilis: ergo An-
geli sine negatione possunt dif-
finiri; & consequenter genus
in eis non dicit differentiam,
sed objectivè ab illa præscindit.
Ita arguit contra Ægidium N.
Argentinas in 2. Sent. dist. 3.
art. 3.

31. Ad argumentum
respondemus pro Doct. nostro
vindicans illum faciè ab in-
consequencia. Communis enim
sententia docet, quòd licèt ge-
nus præscindat à differentia;
non tamen differentia præscin-
dit à genere. Hujus ratio data
est ex Ægidio n. 16. quia supe-
riora excludunt inferiora, & sic
ab eis objectivè præscindunt;
inferiora tamen includunt su-
periora, & sic nequeunt ab eis
præscindere objectivè. In hoc
sensu loquitur de differentia in
quæstione Prologi, dicit enim
differentia totam naturam *præ-
suppositivè*, quia cum sit præ-
dicatum inferius ad genus, præ-
supponit genus, & ab eo nequit
præscindere. Non tamen diffe-
rentia dicit *formaliter* totam
naturam, quia deberet sumi à
tota natura, quòd non evenit
in rebus corporeis; & sic lo-
quitur in 2. Sentent. Quare non
contradicit sibi; cum hic lo-
quatur de differentia *formaliter*,
& ibi de differentia *præsuppo-
sitivè*.

Ad 2. ipse Ægidius res-
pon-

pondet loco laudato 2. Sent.
per hæc verba: *Quando ali-
qua duo sic dicunt idem secun-
dùm aliam, & aliam ratio-
nem, quòd illæ rationes una
non includatur in alia; sicut
dicimus ens, & unum, ita ta-
men quòd una ratio non com-
prehendit aliam, sed ipsi op-
ponitur, quia aliud sumitur à
positione ut ens, aliud à pri-
vatione, ut unum; tunc con-
jungendo unum alteri, non
committitur negatio.* Et pro-
sequitur negando paritatem,
nam licèt genus in Angelis su-
matur à tota natura secundùm
aliam rationem, ac differentia;
attamen hæc ratio comprehen-
dit aliam, & sic committitur
negatio. Vide integram solu-
tionem in fine articuli in solu-
tione ad secundum argumen-
tum.

Ad 3. dic quòd in Ange-
lis est species physica; non ta-
men species logica prædicabi-
lis, nec subijcibilis, ut dicemus
lib. sequenti. Non est species
prædicabilis, quia non habet
plura numero distincta, de qui-
bus prædicetur. Non est species
subijcibilis propriè, quia nullum
est genus proprium, & univo-
cum ad species Angelicas, sub
quo collocetur Angelus. Est ta-
men species physica diffinibi-
lis, ut vidimus ex P. Augustin.
n. 24. sed non est diffinibilis si-
ne negatione.

32. Argues 3. cum no-
stro Paulo Veneto in prædica-
mentis cap. de *substantia*. Si in
Angelis non daretur genus, quia
in eis non datur materia, à qua
sumitur genus; sequeretur quòd
substantia non esset genus ad
corpoream, & incorpoream,
unde prædicamentum substan-
tiæ non esset ratio generalissi-
ma superior ad genus substan-
tiæ corporeæ: sed hoc est de-
struere prædicamenta, assi-
gnata ab Aristotele, & Por-
phyrio: ergo non est tenen-
dum quòd in Angelis non de-
tur genus.

Secundò. Prædicamenta
accidentis sunt formæ simpli-
ces; calor enim ponitur in præ-
dicamento qualitatis, licèt sit
forma simplex: sed ratio ge-
nerica qualitatis in calore, su-
mitur à tota natura caloris:
ergo poterit in Angelis sumi à
tota natura ratio generica præ-
scindibilis objectivè à differen-
tia, etiam si Angeli sint formæ
simplices.

Confirmatur ex Moneda
in Prædicabilibus disp. 4. quæst.
3. §. 8. ubi arguit sic: Si rebus
corporeis datur genus sumptum
à sola materia; & differentia
à sola forma: ergo sicut mate-
ria differt realiter à forma, sic
in eis rebus genus realiter di-
stinguetur à differentia, quòd
est falsum. Probatur consequen-
tia. Quia distinctio quæ datur

in principijs datur in principia-
tis.

33. Ad argumentum respondemus, quod prædicamentum *substantia* debet esse ratio univoca perfectè præscindens à differentijs. Talis non est substantia, ut comprehendit Angelos, quia in illis non præscindit à differentijs; nec Angeli juxta nostrum Ægidium sunt in prædicamento substantiæ, ut dicemus suo loco, & ex dictis pater. Vide infra lib. 5. quæst. 3. num. 12. Est ergo *substantia* genus supremum, & superius ad corpoream, & incorpoream. At nomine substantiæ incorporeæ non intelliguntur Angeli, sed substantia quædam composita ex materia, & forma carens dimensione profunditatis. Tales erant in sententia Platonis substantiæ *Punctuales, lineales, & superficiales*, quæ quoniam carebant divisione secundum profunditatem, quæ sola ultimò constituit corpus quantitativum; idè dicebantur substantiæ incorporeæ. In his principijs disposita est arbor prædicamentalis ab Aristot. Platonis discipulo, & à Porphyrio utriusque Sectatore. Quare non est necesse ponere Angelos in prædicamento substantiæ, sub differentia substantiæ incorporeæ, ut *substantia* sit superior ad corpoream. Satis est ponere, ut

debet Platonis Sectatores substantias materiales indivisibiles secundum profunditatem.

Ad 2. respondet pro Ægidio D. Thomas lib. de ente & essentia cap. 7. ubi confirmans nostram sententiam, solvit replicam à Veneto objectam, dicens: *Et quia accidentia non componuntur ex materia, & forma; idè non potest in eis sumi genus à materia, & differentia à forma sicut in substantijs compositis; sed oportet ut primum genus sumatur ex ipso modo essendi, secundum quod ens diversimodè secundum prius, & posterius de decem generibus prædicatur. Sicut dicitur quantitas ex eo quod est mensura substantiæ, & qualitas secundum quod est dispositio substantiæ, & sic de alijs secundum Philosophum II. Metaphysicæ.* Ecce S. Doct. negat paritatem de accidentibus ad substantias corporeas, de quibus asserit genus desumi à materia, & differentiam à forma. Et cum in accidentibus non inveniat materiam, & formam recurrit ad aliud principium.

In forma respondeo concedendo maj. & disting. minoratio generica qualitatis in calore sumitur à tota natura, à tota natura secundum se, nego min. à tota natura secundum quod perficit substantiam, con-

ce:

cedo min. & nego consequentiam. Angelus est forma simplex, & per se subsistens, quare nec est pars componens totum cum materia, ut est anima rationalis; nec est forma perficiens compositum, ut est calor, & alia accidentia. Hinc est quod genus in Angelis sumitur à tota natura secundum se; & ab ea sic etiam sumitur differentia, quare non præscindunt objectivè. Qualitas est forma simplex, sed recepta in subjecto quod perficit: cumque omne accidens non tam sit ens, quam entis ens; ejus essentia, genus, & differentia non sumuntur ex sua entitate, sed ex entitate ut perficiente subjectum. Quare cum omnes qualitates convenient in perficiendo subjectum per modum dispositionis, ab ista convenientia sumunt rationem genericam qualitatis. Specificam verò differentiam sumunt à principijs unde proveniunt, quod docet D. Thomas post verba laudata; & id omittimus, ne difficultati præsentī majorem addamus. Observa tamen ex dicendis in prædicamento quantitatis, & qualitatis, quod quoniam accidentia ex se absolūtè non habent genus, & differentiam, sed ex subjecto, & principio; idè non diffiniuntur in abstracto, sed in concreto per ordinem ad subjectum.

Ad confirmationem ex Moneda respondetur primò instantando. Nam per te distinctio, quæ est in principijs, debet esse in principiatīs: sed Deus, Sol, & homo, generant hominem, & causæ sunt realiter distinctæ: ergo homo ut productus à Deo sub ratione entis, realiter distinguitur à se ipso producto à Sole sub ratione corporis, & à se ipso producto ab homine sub ratione talis entis. Si ergo hic non valet consequentia, cur talis objicitur doctrinæ Ægidianæ? Nec obstat, quod nostra instantia sit de principijs extrinsecis efficientibus, & argumentum de causis intrinsecis. Nam licet materia, & forma sint principia entis naturalis, & intrinseca, non sequitur hæc consequentia. *Principia intrinseca entis sunt realiter distincta: ergo ens naturale ut effectus unius, est realiter distinctum à se ipso ut effectus alterius.*

Directè respondemus primò, quod distinctio realis materiæ, & formæ de materiali se habet ad principiatum, quod est essentia metaphysica unica & indivisibilis realiter, & idè non refunditur in principiato; sicut in instantia data, distinctio Dei, Solis, & generantis, se habet de materiali ad hominem genitum, & sic non refunditur in genito. Dicimus secundò, quod

quòd genus non sumitur à materia nuda, sed à materia cum gradu aliquo potenciali prællitro à forma: sed gradus iste universalis prællitrus à forma non distinguitur realiter à gradu formæ specifico constituyente differentiam, sed solum virtualiter: ergo licet materia differat realiter à forma, genus solum virtualiter distinguitur à differentia.

Hæc diximus in gratiam N. Fundatis. Doct. quem si velis defendere, oportet ut solvas fundamenta primæ sententiæ posita num. 4. quæ infra expendemus: nec non probationes nostras pro præcisione objectiva in rebus corporeis, quæ aliquomodo militant contra hanc assertionem; & ut formalitè solutionem percipias, erit 4. argumentum contra hanc assertionem sic.

34. Quartò arguitur: Sicut hæc est mala diffinitio hominis *Homo est animal mortale*, ita hæc est mala diffinitio speciei Gabrielis, *Gabriel est substantia immaterialis completa*; utraque enim laborat eodem vitio comprehendendi aliena; nam prima comprehendit bestias, secunda non solum speciem Gabrielis, sed omnes species Angelorum: sed quoniam prima diffinitio comprehendit aliena à diffinito, probatum est à nobis, quòd genus

in homine præscindit objectivè à differentia, ut patet ex dictis num. 14. ergo ex eodem vitio secundæ probatur, quòd genus in Gabriele Archangelo præscindit objectivè à differentia.

Confirmatur ex dictis n. 15. Nam ideò juxta D. Thomam cognitio animalis, datur præcisio objectiva, quia cognitio animalis hominis, non manet intra intellectum homo, sed solum animal: atqui dum in Gabriele Archangelo cognoscimus substantiam immaterialem, non manet Gabriel intra intellectum nostrum, sed sola substantia immaterialis, quæ est genus ad omnes Angelos: ergo hoc genus præscindit objectivè à suis differentiis; & sic nullum est discrimen inter spiritualia, & corporalia quoad præcisionem objectivam.

Confirmatur 2. ex Ægidio eodem num. 15. dicente, quòd separatione abstractiva possunt priora separari à posterioribus: atqui in Angelis dantur etiam prædicata priora & posteriora; cum dentur prædicata generica, & specifica: ergo videtur concedenda eadem præcisio in Angelis, ac in corporalibus.

Et explicatur. Ad præcisionem objectivam duo solum requiruntur juxta Ægidium, scilicet distinctio virtualis inter præ-

prædicata, vi cujus unum non est de conceptu essentiali alterius; & prioritas ordinis inter illa, vi cujus prædicatum primi præscindit à posteriori, & sine eo potest intelligi: sed prædicata constitutiva Angeli sunt virtualiter distincta; & aliunde servant ordinem prioris, & posterioris, ut dictum est: ergo datur in Angelis quiddam requiritur ad præcisionem objectivam.

Confirmatur 3. ex dictis num. 17. Sicut hæc consequentia est mala, *Est animal: ergo est homo*; ita ista est mala, *Est substantia immaterialis completa: ergo est Gabriel*; in utraque enim arguitur à superiori ad inferius affirmativè: sed quoniam prima consequentia est mala, probavimus supra, quòd animal præscindit objectivè à differentiis, & à speciebus sub eo contentis: ergo ob eundem defectum secundæ consequentiæ probatur eadem ratione, quòd genus in Angelis præscindit objectivè à differentiis, & speciebus, sub eo contentis.

35. Pro solutione observa, quòd in hac vita non possumus quiddativè cognoscere Angelos. Ita docetur à D. Thoma lib. de ente, & essentia cap. 6. & 1. par. quæst. 88. Idem docet N. Ægidius lib. 3. de anima textu 36. ubi

advertit, quòd possumus scire Angelos esse, sed non possumus scire quid sint Angeli. Primum patet; nam P. Augustinus lib. laudato de cognitione veræ vitæ probat cap. 6. Angelos existere, ex illo principio Aristotelico *Quod movetur, ab alio movetur*; de quo lib. 7. Physicorum Cum enim omnia sublunaria habeant motus suos, dependentes à Cælorum motu; & Cælum inferius moveatur à superiori; deveniendum est ad Cælum primum mobile corporale, quod movet omnia corporalia infra se. Hoc cælum ab aliquo agente movetur: sed hoc agens non est corporale, quia supponimus nos loqui de cælo primo mobili inter corporalia: ergo restat quòd cælum hoc moveatur ab agente spirituali; & iste est Angelus, vel intelligentia motrix, de qua in libris de Cælo, & Mundo. En ratione naturali (ut omittamus revelationes in Scripturis sanctis traditas) noscimus Angelos existere.

At non possumus scire quid sint Angeli, nec eos diffinire, nec quiddativè cognoscere. Ratio hujus est. Primum, quia nos in hac vita cognoscimus incipiendo à sensibus, & per species, acceptas per sensus: sed per sensus non possumus percipere Angelos, & res spirituales: ergo non possumus illos

illos cognoscere quid sint. Se-
cundò. Cognitio vel habetur
per similitudinem objecti cog-
niti; vel per effectus. Per si-
militudinem non noscimus An-
gelos quidditative, quia nulla
res corporea est perfecte simi-
lis Angelis spiritualibus. Nec
per effectus, quia nullus adæ-
quat virtutem Angeli, ut pa-
tet argumento Augustiniano;
nam motus cœli, indicans no-
bis Angelos motores existere,
non adæquat virtutem Angeli,
quoniam ultra actionem moti-
viam habent Angeli suas actio-
nes immanentes, nobis ocul-
tas: ergo non possumus nosce-
re quidditatem Angelorum.
Tertiò nam quidditas non co-
gnoscitur, nisi cognoscantur
differentiæ essentiales: atqui
differentiæ Angelorum inter
se, sunt nobis ignotæ: ergo &
quidditates eorum.

Hinc nec nomen *Ange-
lus* est nomen naturæ, sed of-
ficij, nec *Gabriel*, *Raphael*,
Michaël, sunt nomina speciei,
aut naturæ eorum, sed signi-
ficant nomina ista ministerium
ad quod missi sunt, ut *Michael*
quis ut Deus? *Raphael*, medi-
cina Dei: *Gabriel*, fortitudo
Dei. De quo vide Magnum
Gregorium Hom. 34. in Evā-
gelia. His omnibus evincitur
quòd non solum differentiæ
Angelorum sunt nobis ignotæ,
sed etiam ratio generica. Pa-

tet hoc rationibus suprâ factis,
quæ aequaliter probant de ra-
tione generica, ac de differen-
tiali, cum neutra per sensus
possit percipi, & sint æquè
imateriales. Quibus adde,
quòd cum genus in Angelis su-
matur à tota natura, ut osten-
sum est, omnes rationes, qui-
bus natura Angeli suadet no-
bis ignota, suadent quòd genus
Angelorum latet nos.

36. Dices: Quomodo
ergo scimus Angelos esse sub-
stantiam spiritualem comple-
tam, & sic eos diffinimus?
Rursus, quomodo P. Augusti-
nus dicit Angelum posse diffi-
niri, secus Deum; & Angelum
expressè diffinit ubi suprâ num.
24. Tandem, quomodo D.
Thomas loco laudato de ente,
& essentia, docet, Angelos posse
poni in prædicamento sub-
stantiæ? Quæ enim diffiniun-
tur, habent quidditatem co-
gnoscibilem; & quæ in prædi-
camento collocantur, habent
genus cognoscibile, & objecti-
vè præscindens à differentia.
Contrarium hucusque à nobis
assertum est.

Respondemus D. Thomã
his difficultatibus plenè satisfacere
1. par. quæst. 88. art. 2.
ubi docet, quòd nec per res
materiales possumus devenire
in cognitionem spiritualium
Angelorum. Et cum sibi in se-
cundo argumento objiciat, quòd

Da

Damascenus diffinit Angelum,
& de Angelis aliqua documen-
ta traduntur in Theologia, &
in Metaphysica, quæ sunt ar-
gumentum cognitionis, quam
de Angelis habemus. Res-
pondet sic: *Ad secundum di-
cendum, quòd de superioribus
rebus in scientijs maximè tra-
ctatur per viam remotionis. Si
enim corpora cœlestia notificat
Aristoteles per negationem
proprietas inferiorum cor-
porum: multò magis immate-
riales substantiæ à nobis cogno-
sci non possunt, ut earum
quidditates apprehendamus. Sed
de eis nobis in scientijs docu-
menta traduntur per viam re-
motionis, & alicujus habitudi-
nis ad res materiales.* Ecce nō
cognoscimus quid sint Ange-
li, sed quid non sint, & hoc
est cognoscere per remotionē.
Vocamus *substantias*, idest nō
accidentia; dicimus *spiritua-
les*, idest non corporeas; ap-
pellamus *separatas*, & *com-
pletas*, idest non informantes,
nec dependentes à corpore.
Quare diffinitio data Angelo-
rum, ut à nobis cognita, non
dicit quid sit Angelus, sed
quid non sit, quia solum per
remotionem imperfectionis rei
corporeæ, Angelos diffinimus,
& explicamus.

Ad ultimum respondet e-
tiam D. Thomas ibi in solu-
tione ad quartum dans discri-

men inter Deum, & Angelos.
Nam Deus non habet mate-
riam, quæ est genus physicū;
nec aliquid gerens vicem ma-
teriæ, quia ejus essentia non est
potentia in ordine ad existen-
tiam, unde nec improprie ha-
bet genus logicam. Hinc fit
quòd Deus non est diffinibilis,
nec potest poni in prædicamē-
to substantiæ. Angelus carens
materia, non habet genus na-
turale, & physicum; ceterum
habet aliquid gerens vices ma-
teriæ, & hoc est potentialitas na-
turæ ejus in ordine ad existen-
tiam. In hac potentialitate fun-
datur genus logicum Angelo-
rum, vi cujus dicitur poni in
prædicamento substantiæ, &
diffiniri. Sed observa ex dictis,
quòd genus tale est improprie
ob rationes datas num. 28.
Quare improprie solum potest
poni in prædicamento, quod
sufficit ad intentum D. Tho-
mæ, quod est dare discrimen
Dei à creaturis. Tale etiam in-
tendit dare P. Augustinus loco
laudato libri de cognitione ve-
ræ vitæ. Et subsistit, etiam si
genus in Angelis sit improprie;
nam tale fundatur supra poten-
tialitatem in ordine ad existē-
tiam, quæ non est in Deo,
actualissimo & identificante
suum esse.

Cum ergo pro hoc statu
non cognoscamus *positivè* na-
turam Angelicam, sed *remo-*

Cc

zida

videt, ideò ex diffinitione data, & ex argumentis supra objectis, nihil contra nos evincitur: quia deberent probare, quòd nos cognoscimus *positivè* genus Angelicum sine differentia: & hoc non probant, cum talis cognitio sit nobis nunc impossibilis. In statu separationis cognoscemus *positivè* Angelos; at tunc cognoscemus etiam eorum differentias sine objectiva præcisione. Nunc autem per *remotionem* cognoscimus Angelos, & de illis traduntur aliqua documenta in scientijs nostris. Inter hæc documenta ponimus nostram assertionem, quòd *In Angelis genus non præscindit objectivè à differentia*. Nam eisdem remotionibus, quibus noscimus, Angelos esse formas simplices, quorum genus sumitur à tota natura, cognoscimus etiam *remotivè*, hoc est removendo objectivam præcisionem corporaliùm, Angelorum genus non præscindere objectivè à differentijs.

37. Ad argumentum cujus occasione hæc tacta sunt, respondemus distinguendo maj. ita, & eodem modo, nego maj. diverso modo, concedo maj. & disting. min. quia præcise, nego min. quia, & quoniam prima hominis diffinitio cognoscitur à nobis *positivè*, & non *remotivè*, concedo mi-

norem, & nego consequentiam. Dum cognoscimus hæc diffinitionem *Homo est animal mortale* cognoscimus *positivè* genus commune ad bestias, & ideò est mala diffinitio, & infert præcisionem objectivam. Dum autem cognoscimus alteram, scilicet *Gabriel est substantia immaterialis completa*, non cognoscimus *positivè*, sed *remotivè*. Si enim cognoscere-mus *positivè*, foret bona diffinitio, quia in illis prædicatis nosceremus etiam differentiam Gabriëlis, & sic non comprehenderet alios Angelos, nec vitio tali laboraret; sicut nec animalitas hominis, ut identificata cum rationalitate, comprehendit bestias. At quoniam solum *remotivè* cognoscimus talem diffinitionem, ideò comprehendit aliena. Ceterum inde non probatur præcisio objectiva, sed formalis & ex parte intellectus nostri.

Ratio hujus est clara. Quia præcisio objectiva datur ex parte objecti, quando unum prædicatum objecti non includit aliud: sed genus Angelicum includit differentias, & ideò nequit sine illis cognosci *positivè*: ergo licet *remotivè* cognoscatur à nobis sine differentijs, tota distinctio, & separatio, se tenet ex parte nostri intellectus, & nostri modi cognoscendi, non autem ex parte objecti, qua

§. VI.

quare tota præcisio est formalis, sed non objectiva.

Ad primam confirmationem ex D. Thoma dist. maj. non manet homo, sed solum animal, animal *positivè* cognitum, concedo maj. animal *remotivè* cognitum, nego maj. & applicata minori distinctio-ne ista, nego consequentiam. Dum animal hominis abstractur, tunc cognoscitur *positivè*, & sine differentijs, quia ex parte objecti. excluduntur. Hoc arguit præcisionem objectivam, quæ est objectiva exclusio unius prædicati ab alio. Ceterum dum à natura Gabriëlis abstractimus substantiam immaterialem, eam cognoscimus *remotivè*; si enim *positivè* cognosceremus illam, nosceremus etiam differentiam ibi inclusam. Ex cognitione præcisiva per remotionem, non infertur præcisio objectiva, sed formalis; quoniam exclusio differentiarum non datur ex parte objecti, sed ex parte solum nostri intellectus & modi cognoscendi, ut dictum est.

Ad 2. confirmationem dic, quòd prædicata priora juxta Ægidium præsciunt ab inferioribus, quia non includuntur in superioribus, sed objectivè excluduntur. Sic contingit in rebus corporeis: secus autem in Angelis, quorum genus includit differentias, & spe-

§. VI.

cies, ut probatum est, & sic non præsciunt objectivè, sed formaliter. Ad explicationem dic quòd non omnis distinctio virtualis datur inter prædicata se excludentia. Nam in Deo datur distinctio virtualis, & prædicata Divina non se excludunt, nec præsciunt objectivè. In Angelis datur talis distinctio virtualis generis à differentia cum mutua inclusione, quia genus sumitur à tota natura, & dicit totam essentiam, ut probatum est: quare adest locus præcisioni formali, sed non objectivæ.

Ad tertiam confirmationem dic, quòd si *positivè* cognoscatur *substantia immaterialis*, erit bona consequentia ista, *Est substantia immaterialis: ergo est Gabriel*; quia tunc in antecedenti cognosceretur differentia Gabriëlis, & redderet bonam consequentiam, sicut est ista *Est substantia immaterialis Gabriëlis: ergo est Gabriel*, quæ bona est, & in ea arguitur ab æquali ad æquale, vel à diffinitione ad diffinitum. At quoniam solum noscitur à nobis diffinitio illa *remotivè*, ideò consequentia est mala. Sed non probat præcisionem objectivam, sicut eam probat hæc *Est animal: ergo est homo*, quia in hac *ly animal* cognoscitur *positivè*, & excludit objectivè suas species, quare datur præ-

cito ex parte objecti. Ceterum in altera ly *substantia immaterialis* cognoscitur *remotivè*, & tota ratio præsciendendi à differentijs sumitur ex modo cognoscendi nostro; quare arguit præcisionem formalem, non objectivam. Ob hæc D. Thomas 1. par. quæst. 50. art. 3. ad primum dicit: *Genus, & differentia in Angelo non accipitur secundum aliud, & aliud, sed secundum unum, & idem, quæ tantum differunt secundum considerationem nostram.* En tota distinctio inter genus, & differentiam Angeli, sumitur à consideratione nostra, ut dictum est, non ex parte objecti: unde infert præcisionem formalem, non autem objectivam.

§. VII.

Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis.

38. SUPRA §. 2. posita sunt fundamenta Thomistarum, & DD. primæ sententiæ pro præcisione objectiva, quæ in duobus deficient, ut plenè nobis conformentur. Nam primò non explicant an præcisio objectiva inter prædicata superiora, & inferiora, sit mutua; hoc est an sicut superiora præsciunt ab inferioribus, ita inferiora à superioribus? Aliquæ rationes eorum suadent mutuam præcisionem: ut est illa, quæ sumi-

tur ex distinctione rationis inter prædicata; nam tam distinguitur animal à rationali, quam rationale ab animali: quare sicut distinctio est mutua; ita præcisio erit mutua. Rursus ratio, quæ sumitur ex paritate in Divinis, suadet præcisionem mutuam; nam tam præsciendit misericordia à justitia, quam justitia à misericordia. Si ergo prima sententia vult præcisionem objectivam esse mutuam; nobis non probatur, sed improbanda est ex doctrina Ægidij data n. 16.

Secundò non explicant DD. primæ sententiæ, an præcisio objectiva danda sit solum in rebus corporeis, an etiam in rebus spiritualibus? Et videtur quòd æquè doceant præcisionem illam in omnibus. Hoc constat, primò quia nullus, quæ viderim, dat discrimen, nisi N. Villanova laudatus: ergo æquè discurrant in spiritualibus, & corporalibus. Secundò, quia probant præcisionem objectivam ex præcisione in Divinis, ut vidimus num. 6. Si ergo in Deo ponunt præcisiones objectivas, potiori titulo in Angelis: ergo æquè discurrant sine discrimine inter corporalia, & spiritualia. Si hoc ita est, sententia eorum nobis non probatur; immò putamus eam expressam contra D. Thomam locis citatis; & præcipuè lib. de

QUÆST. VI.

de ente, & essentia cap. 6. ubi quidquid pro nostro Ægidio diximus, traditur à D. Thoma satis clarè. Unde improbanda est sententia ista ex dictis toto §. 5. à num. 20.

39. Ultra dicta adest aliud, quod desideramus in prima sententia explicatum, sed non invenimus. Illud proponam, & quid nobis tenendum sit explicabo. Probant in creaturis dari præcisionem objectivam, ex eo quòd in Divinis, ubi est major identitas, datur præcisio objectiva justitiæ à misericordia, unitatis à trinitate, existentiae ab essentia, & sic de alijs, quæ invenies supra n. 6. ergo & datur in creaturis præcisio objectiva. Ex alia parte videmus, quòd secunda sententia probat non dari in creaturis præcisionem objectivam, etiam si unum cognoscatur, & non aliud; quia in Divinis unum cognoscitur sine alio, & non præscienditur objectivè. Quod suadet, quia si præscienderent objectivè Divina prædicata, distinguerentur objectivè; & si sic; facerent compositionem rationis, repugnantem Divinæ simplicitati.

Ut hic nodus dissolvatur à RR. Thomistis, docent dari duplicem præcisionem objectivam, unam perfectam, alteram imperfectam. Perfecta datur inter prædicata virtuali-

§. VII.

ter distincta, quæ mutuo se excludunt, quare distinguuntur distinctione *excludentis, & exclusi*. Hæc arguit compositionem metaphysicam, Deo repugnantem; quare isto modo non præsciunt objectivè Divina prædicata; sed solum prædicata creaturæ. Altera est præcisio objectiva imperfecta, quæ datur inter prædicata virtualiter distincta, sed mutuo se includentia, & quorum unum est de conceptu essentiali alterius. Hæc non arguit compositionem metaphysicam, & sic datur in Deo; immò aliquando etiam in creaturis, nam hoc modo præsciendit ens à suis differentijs, diffinitio à diffinito, bonum à vero, & sic de alijs, distinctis solum penes *Implicitum, & explicitum*. Unde præcisio objectiva *perfecta* datur inter distincta distinctione *Excludentis, & exclusi*; præcisio objectiva *imperfecta* datur inter distincta solum penes *Implicitum, & explicitum*.

40. In hac doctrina RR. familiari, plura sunt, quæ nos retardant ab assensu, nisi lis de nomine sit. Et primò præcisio objectiva imperfecta; non est objectiva, sed formalis; quapropter nec illam possunt impugnare DD. secundæ sententiæ, & si qui sunt impugnatores, forsam non rem, sed vocem impugnant. Suadetur. Præ-

Præcisio objectiva, & præcisio formalis, differunt purè in hoc, quòd objectiva non tangit omnes formalitates objecti; at formalis omnes attingit, sed non cum æquali claritate. Sed qui præscindit inter diffinitionem, & diffinitum, nullam formalitatem objecti relinquit intactam, sed purè cognoscendo diffinitum, cognoscit obscurè totum; cognoscendo diffinitionem, cognoscit idem totum clarè: ergo præcisio hæc non est objectiva, sed formalis. Si tamen contendas debere vocari præcisionem objectivam imperfectam, erit lis de voce, nō de re; nisi assignes ex parte objecti aliquam formalitatem, quam una cognitio tangit, & non alia: sed diffinitio nullam dicit formalitatem, aut prædicatum, quod non sit in diffinito, & solum differunt penes majorem explicationem; quia quod in diffinito est implicitum, in diffinitione est explicitum; & ideò diffinitio est *Orazio explicans essentiam rei*: ergo cum per cognitionem diffinitionis idem penitus attingatur, ac per cognitionem diffiniti, licet cum majori claritate; præcisio erit formalis, & non objectiva; nec ex parte objecti ulla est distinctio, sed tota ex parte actus, & intellectus.

Rursus præcisio objectiva

sive perfecta, sive imperfecta; est exclusio objectiva unius prædicati ab alio, sive perfecta, sive imperfecta: sed in Divinis nullum est prædicatum perfectè, vel imperfectè excludens aliud; item in creaturis diffinitum nec perfectè; nec imperfectè excludit diffinitionem; nec ens perfectè, aut imperfectè excludit differentias: ergo inter hæc nulla datur præcisio objectiva perfecta, aut imperfecta, sed solum præcisio formalis; nisi contentio de nomine sit. Maj. patet ex dictis præcipuè num. 2. & num. 15. Nec apparet quomodo dicenda sit *objectiva*, si ex parte objecti non datur aliqualis exclusio. Minor probatur. Id quod est de conceptu essentiali alterius, nec perfectè, nec imperfectè excludit illud: sed unum prædicatum Divinum est de essentia alterius; ens item est de conceptu essentiali differentiarum; & diffinitio est de conceptu essentiali diffiniti; immò est ipsa essentia diffiniti: ergo nec in Divinis unum prædicatum excludit aliud &c.

Rursus: Homo nec perfectè, nec imperfectè præscindit ab animali objectivè: ergo nec a'ia relata in instantijs præcedentibus. Probatur antecedens. Primò, quia *homo* nec perfectè, nec imperfectè excludit animal, sed illud plene inclu-

cludit. Secundò, quia dicere *homo animal*, est nugatio, ubi animal bis reponitur; non autem foret nugatio, si saltem objectivè præscinderet imperfectè. Tertio. Quia homo nec perfectè nec imperfectè præscindit à se ipso: ergo nec perfectè, nec imperfectè præscindit ab animali, & rationali. Patet hæc consequentia, quia non magis distinguitur homo à sua essentia, quàm à se ipso: ergo si non præscindit à se ipso, nec à sua essentia ullatenus objectivè præscindit. Atqui non est major distinctio inter prædicata Divina, quàm inter hominem, & suam essentiam; cum distinctio in Divinis sit solum penes implicitum, & explicitum, qualis est inter essentiam, & diffinitum: ergo in his non datur præcisio objectiva adhuc imperfecta, sed solum formalis, nisi contentio sit de nomine, ut in principio dictum est.

41. Propter ista non acquiescimus doctrinæ RR. datae num. 39. quia cum præcisio objectiva imperfecta, sit solo nomine *objectiva*, & in re sit formalis; vel si in re est objectiva, arguit ex parte objecti exclusionem unius ab alio, quæ nisi implicatoriè non potest poni in Divinis, & inter diffinitionem, & diffinitum: ideò nec approbamus fundamentum

primæ sententiæ, positum num. 6. nec solutionem datam à Thomistis num. 39. quæ potius videtur effugium, & abusus nominum.

Dicendum est in nostris principijs, quòd in Divinis nulla est præcisio objectiva, sed formalis. Hoc patet ex toto §. 5. Si enim in Angelis: ubi non est pars, & pars naturæ, nulla est præcisio objectiva: ergo cum in Deo sit major simplicitas, quàm in Angelis, & nulla potentialitas; à fortiori nulla, adhuc imperfecta, potest esse objectiva præcisio. Rursus si tota præcisio in Angelis non est ex parte objecti, sed ex parte cognitionis nostræ, quia nō cognoscimus Angelos *positive*, sed *remotivè*: ergo cum certius sit, quòd Deum non cognoscimus, nisi *remotivè*, tota ratio præscindendi in Deo prædicatum à prædicato, erit ex parte intellectus nostri. Tandem quòd diversis nominibus nominemus *Injustitiam, misericordiam, bonitatem, intellectum, &c.* non oritur ex diversitate *objectiva* inter istas perfectiones; non enim sunt ex parte objecti perfectiones plures, sed unica tam realiter, quàm virtualiter; quæ quoniam superat captum nostrum, non potest à nobis cognosci unica cognitione, sed multis, & quasi noscendo per partes: ergo tota

distinctio, & præcisio iustitiæ à misericordia non est ex parte objecti, sed ex parte cognitionis nostræ; vel ut loquamur cū D. Thoma, & Agidio; sumitur ex parte objecti, & ex parte intellectus; ex parte objecti, quia licet perfectio sit plene una, superat intellectum nostrum: ex parte intellectus, quia multiplicat cognitiones ob suâ potentialitatem.

Ita expressè D. Thomas in 1. Sent. distinct. 2. quæst. 1. art. 2. in corpore ad illa verba *Quantum verò ad quantum*, ubi ait, quòd si intellectus noster posset perfectionem Dei unica cognitione attingere, tunc uno nomine explicaret quidquid est in Deo, & nulla appareret distinctio, præcisio, aut pluralitas nominum; quare quod nunc dicimus pro isto nomine *Bonitas, iustitia, misericordia, intellectus, voluntas* &c. tunc uno nomine explicaretur, sicut explicatur à Deo, unica cognitione comprehendente se. Quare quod multis nominibus à nobis explicetur, non est propter pluralitatem ex parte objecti, aut Dei, sed propter pluralitatem nostræ cognitionis: *Et ideò* (verba sunt D. Thomæ) *Pluralitati istarum rerum respondet aliquid in re, quæ Deus est; non quidem PLURALITAS REI, sed plena perfectio, ex qua contingit,*

ut omnes istæ conceptiones ei aptentur. Qui ergo dixerunt quòd pluralitas ista est eamdem ex parte intellectus nostri, vel ex parte effectuum, quòdem modo verum dixerunt, & quòdam modo non. Si enim hoc refertur ad causam multiplicationis, sic verum dicunt quòd ex parte intellectus nostri &c. En causa præscindendi, & multiplicandi nomina de Deo, tota est ex parte intellectus nostri; quare nulla est pluralitas rei, aut objectiva, sed formalis, quæ in objecto non invenit nisi unam perfectionem superexcedentem intellectum nostrum.

42. Eandem doctrinam habet N. Agidius in 1. Sent. distinct. 2. quæst. 1. art. 5. licet alijs terminis eam explicet, de quo non licet in præsentibus discutere. Nobis satis sit utrumque Doctorem conformiter asserere, quòd ex parte objecti datur in Deo illa perfectio, quæ significatur his nominibus *Iustitia, misericordia, intellectus, voluntas* &c. Attamen hæc perfectio objecti est una tam realiter, quàm virtualiter. Ceterum quia excedit caprum nostrum, nec potest à nobis concipi unica cognitione; ideò nec potest unico nomine explicari. Eam noscimus per partes, non quia illas habeat, sed quia illas dividit noster intellectus. Quare distinctio attribu-

torum, & pluralitas, & præcisio, tota venit à nostro intellectu sine alio fundamento ex parte objecti, quàm superexcedentia Divinæ perfectionis supra omnem vim nostri intellectus.

Cum hoc stat, quòd Deus dat primam gratiam ex misericordia, non ex iustitia; item quòd Verbum procedit per intellectum, non per voluntatem. Ratio est, quia istæ propositiones involvunt Divinas perfectiones ut à nobis cognitæ; & semper ac utimur his nominibus, explicamus Divinam perfectionem per partes, quibus quædam conveniunt, quædam non, ut dictum est. Ceterum si hoc nomine *alpha* possemus explicare totam Divinam perfectionem, ut in se est ex parte objecti; tunc verisimè diceretur, Deus dat gratiam per *alpha*: Deus punit per *alpha*: Verbum procedit per *alpha*: Spiritus Sanctus procedit per *alpha*. Et sic de alijs quæ affirmamus de Deo medijs diversis nominibus. Et tunc propositiones negativæ forent falsæ, quæ nunc sunt veræ, v.g. nunc est verum, Verbum non procedit per voluntatem; at foret falsum, Verbum non procedit per *alpha*, & sic de alijs.

Hinc colliges quòd participatio Divinorum prædicatorum in lineam *Essentialem*, attri-

batalem, relativam, & transcendentallem, tota est ex parte intellectus nostri. Item inquirere constitutivum metaphysicum Divinæ essentia, an sit intelligere actuale, an radicans; an ens à se, & sic de alijs, nihil est ex parte objecti in se, sed ex parte cognitionis nostræ. In objecto non est nisi unica simplicissima perfectio, quæ est formaliter omne esse, & omnis perfectio; hæc est *Essentia, relatio, ens Divinum, attributum, iustitia, bonitas, intellectus* &c. Et est unico nomine explicabilis à Deo; quæ ut sic explicata, est constitutiva essentia, Personæ &c. Ceterum, quia nos non possumus illam cognoscere unica cognitione, nec unico nomine explicare; ideò multiplicamus cognitiones, & nomina, quorum neutrum explicat totam perfectionem, sed partem; non partem quæ ex parte objecti sit pars, sed partem, quæ dividitur divisione, & præcisione, se tenente parè ex parte intellectus nostri. Et hæc est præcisio formalis.

43. Circa definitionem, & diffinitionem non est alia præcisio, quàm formalis, id satis probatum est n. 40. Et probationes illæ suadent idem de omnibus prædicatis quæ solum differunt distinctione penes *implicitum, & explicitum*. Ra-

rio est clara. Quia præcisio ob-
jectiva est exclusio objectiva,
perfecta vel imperfecta : ergo
nisi perfectè, vel imperfectè u-
num excludat aliud, non præ-
scindit ab eo perfectè, vel im-
perfectè. Sed quæ purè non dif-
ferunt penes implicitam vel
explicitam, unum non excludit
aliud, adhuc imperfectè : ergo
non præscindit objective.

Circa ens, & differentias,
est specialis difficultas. Nam
hæc est mala consequentia *Est
ens : ergo est substantia* : &
hic arguitur *A superiori ad
inferius affirmative*. Atqui
hoc argumento probavimus
præcisionem objectivam in re-
bus corporeis : ergo videtur
quod ens præscindat objective
à differentiis : sed non perfectè :
ergo imperfectè. Vide n. 17.

Hæc difficultas late ver-
sanda est in ante prædicamen-
tis, nam isto argumento pro-
batur, quod ens potest objec-
tivè perfectè præscindere à dif-
ferentiis : quod docent plures.
Ideò certè negari non potest,
quod *ens* est superius ad sub-
stantiam, etiam si non præscin-
dat, quia includit substantiam,
& accidens, quod non includit
substantia sola. Quapropter ex
ente non potest inferri sola sub-
stantia, sed & accidens immò
neutrum determinatè, nec neu-
trum copulativè ; sed utrum-
què divisivè ; quare nec valet

Est ens : ergo substantia, quia
potest esse accidens. Nec valet
Est ens : ergo accidens, quia
potest esse substantia. Nec va-
let, *Est ens : ergo vel substan-
tia, & accidens*, quia potest
esse unum tantum, & non duo
simul. Restat ergo inferri sic,
*Est ens : ergo vel substantia,
vel accidens*.

Dicimus consequentiam
primam esse malam, sed inde
non inferri præcisionem obje-
ctivam perfectam, aut imper-
fectam. Ratio est, quia data
etiam inclusione objectiva dif-
ferentiarum in ente, adhuc est
mala consequentia, ut osten-
sum est. Sed cum inclusione
objectiva non stat præcisio ob-
jectiva, ut probatum est num.
40. ergo falsitas illius illatio-
nis non oritur ex præcisione,
sed potius ex inclusione omniū
differentiarum. Hæc inclusio
est propria solius entis, sicut
transcendentia, ut videbimus
infra. Quare licet argumentum
nostrum positum n. 17. probet
præcisionem objectivam in nō
transcendentibus, quo sensu ibi
erat sermo : secus in transcen-
dentibus, quoniam potius ex
transcendentia oritur quod cō-
sequentia illa sit mala, & à su-
periori ad inferius. Quapropter
*ens, verum, & alia transcen-
dentia, nec perfectè, nec im-
perfectè præscindunt objective
à differentiis, sed solum forma-*
liter

liter. Sufficit hæc præcisio for-
malis, ut unum inferatur ex al-
lio, & unum de alio prædice-
tur formaliter. Quia repræsen-
tantur diversis conceptibus, &
unum & idem, aliter & aliter
repræsentatur.

44. Ex dictis facile er-
rit expendere fundamenta pri-
mæ sententiæ posita à num. 4.
Ad auctoritatem D. Thomæ
dicimus pro nobis esse, quia
insinuat præcisionem objecti-
vam in solis rebus corporeis.
Prima ratio Thomistica potest
esse contra nostram assertionē
de Angelis, quia sicut potest
homo operari ut animal, quin
operetur ut rationale ; ita An-
gelus potest operari ut intelle-
ctivus, quin operetur, ut voli-
tivus : sed ex primo sequitur
præcisio objectiva animalis à
rationali : ergo ex secundo se-
quitur in Angelo præcisio
objectiva intellectivi à voliti-
vo.

Respondeo Thomistis in
principijs eorum, distinguen-
tium potentias ab anima. In
hac sententia eadem anima est
principium radicale sentiendi,
& intelligendi ; item idem An-
gelus est principium radicale in-
telligendi, & volendi. Quare
intellectio, & volitio non sunt
actus distincti adæquatè relatè
ad animam, sed unicus ;
alioquin anima non esset una
natura, sed plures, & tot, quot

operationes radicate. Hinc est
quod actus illi sunt distincti,
non relatè ad animam secun-
dum se, sed relatè ad poten-
tias animæ, quæ sunt realiter
inter se distinctæ. Quo fit ut a-
nima secundum se, non dicat
diversos ordines, sed unicum
ad suum actum adæquatam ;
ratione tamen potentiarum di-
cit distinctos ordines, fundatos
supra potentias, & sic sunt or-
dines realiter distincti. Hæc
certa sunt in principijs hujus
sententiæ. Ex his dicimus, quod
ratio Thomistica nil probat
contra secundam sententiam,
nec contra nostram de Ange-
lis. Nil probat contra secun-
dam sententiam, quia, ut ibi
respondent Nominales, *animal*
dicit totum hominem in ordi-
ne ad sensationem, rationale
totum hominem in ordine ad
ad discursum. Cognoscitur to-
ta entitas cum uno ordine, &
non cum altero. Et dam re-
plicat Thomistæ ibi, quod
jam unus ordo cognoscitur, &
non alter ; quare datur præci-
sio objectiva : hæc replica non
urget ; nam vel loqueris de or-
dine naturæ secundum se ad
operationem ; vel de ordine
fundato in potentijs naturæ, &
animæ. Si primum ? Non da-
tur ordo, & ordo, sed unicus,
& unica cognitione tangibilis.
Si secundum ? Tales ordines
distinguuntur realiter, sicut po-
ten

sententiæ, & sic nil mirum: unus sine altero cognoscatur; nec idè præscinditur, quia præcisio solùm est inter extrema identificata: tales ordines non identificantur, sed realiter distinguuntur. Ergo nil probatur contra secundam sententiam.

Nec etiam probatur quid contra nostram de Angelis. Quia Angelus ratione distinctarum potentiarum potest operari ut intellectivus, quin operetur ut volitivus: ergo ratione etiam earundem potentiarum poterit cognosci ut intellectivus, quia cognoscatur, ut volitivus. Sed quid inde? Numquid præscinditur objectivè? Non sanè: quoniam potentia intellectiva in Angelis, est realiter distincta à volitiva, quare potest præcisè cognosci Angelus cum una, quin cognoscatur cum altera, realiter distincta. Sed inter realiter distincta, non est præcisio, de qua in præsentia: ergo contra sententiam nostram de hac præcisione, nil probatur argumento facto.

Secunda ratio primæ sententiæ posita num. 6. nil probat contra secundam sententiã, quia ex eodem principio impugnat hæc præcisiones objectivas. Adde quòd illo medio ad summum probatur in creatis præcisio imperfecta, cum in Divinis non sit nisi imperfecta præcisio. Sed nec istam

admittimus juxta dicta n. 41 & 42. unice enim ibi est præcisio formalis, qua salvatur, quòd lumine naturali Gentiles noscunt unitatem Dei, non trinitatem: quia licet ex parte objecti unitas sit Trinitas, intellectus ex effectibus ducitur in cognitionem solius unitatis, nec in cognitione tali apparet Trinitas: hæc non est præcisio objectiva, quia unitas cognita nec imperfectè excludit Trinitatè, sed sola cognitio creata illam excludit ob rationes datas. Probare intellectum Dei ex immaterialitate, est probare quoad nos; quia noster intellectus diversis cognitionibus, & nominibus explicat spiritualitatem Dei, & intellectualitatem ejus. Hæc arguunt præcisionem formalem, non objectivam, ut satis dictum est. Deus enim unico nomine, & cognitione una, totum attingens, nequit unum per alterum probare: ergo probatio illa solùm valet quoad nos, non ex parte objecti, ut est in se.

Tertia ratio posita à num. 7. non probat, nisi amplius aliunde confirmetur. Nam sicut oculus videns coloratum à longè, non potest discernere colorem in particulari: & tamen cum ejus visio sit intuitiva, & non præcisiva, attingit colorem in particulari, & non in communi; ita intellectus videns ani-

animal à longè, cognoscet etiam animal in particulari, licet non possit discernere. Cur hoc non eveniat, si in oculis accidit sic? Sanè ab experientia id probandum non est, quia experientia potius favet secundæ sententiæ, & idè ea utuntur pro argumento probativo. Restat, quòd hæc ratio aliunde confirmetur, ut efficax sit.

Quarta ratio posita num. 8. Satis efficaciter redarguit DD. secundæ sententiæ; quare pro nobis etiam est. Ad illam ibi respondent Nominales Inconsequenter ad sua principia. Nec urget impugnatio ibi posita, quia eodem vitio laborat, ac impugnatio solutionis datæ pro prima ratione, de qua satis suprâ. Nec ratio ista quid valet contra nostram assertionem de Angelis, quam non probamus ex contradictorijs, sed ex eo quòd genus, & differentia, sumuntur à tota natura.

Restat solvere, & expendere fundamenta secundæ sententiæ suprâ posita §. 3. quæ quoniam impugnant omnem præcisionem objectivam, militant contra primam assertionem nostram de præcisione in rebus corporeis. Rursus aliunde nostra sententia posset oppugnari sic. Præcisio objectiva est distinctio rationis: sed inter

gradus metaphysicos non admittimus distinctionem rationis: ergo perperam propugnamus præcisionem objectivam. At de isto argumento infrâ redibit sermo in ultima quæstione hujus libri; & juxta doctrinam ibi dandam respondemus pro nunc negando majorem, quia licet prima sententia ex laudatis suprâ, idem putet esse distinctionem rationis, & præcisionem objectivam, in nostris principijs non sic, ut infrâ videbis. Reliqua autem fundamenta secundæ sententiæ solventur distinctius, & commodiùs §. seq. unde sit.

§. VIII.

Expenduntur fundamenta secundæ sententiæ contra præcisionem objectivam.

46:

AD primum fundamentum secundæ sententiæ positum

num. 9. Respondemus cum Thomistis disting. maj. indivisibile tam realiter, quàm virtualiter, concedo maj. indivisibile realiter tantum, nego maj. & disting. min. Animal rationale est entitas indivisibilis, realiter, & virtualiter, nego min. est indivisibilis realiter, sed divisibilis virtualiter, concedo min. & nego consequentem

quentiam. Hæc solutio sumitur ex Angelico Magist. pluribus locis, ubi distinguit inter ea, quæ sunt idem re tantum, & quæ sunt idem re, & ratione simul. Quod S. Doctor dicit idem ratione intelligendum est de identitate virtuali, quare à Thomistis indiscriminatim inveniunt hos terminos *Re*, & *ratione*; *realiter*, & *virtualiter*.

Anima ratione est unica entitas realiter indivisibilis; ceterum est virtualiter divisibilis, quia continet in se perfectionem animæ vegetativæ, quæ datur in plantis; animæ sensitivæ, quæ datur in brutis; & est anima rationalis dans homini esse intellectivum. Est unica entitas animæ æquivalet multis formis realiter distinctis; & est quasi divisibilis in tres animas virtualiter. Vi hujus distinctionis virtualis habetur, quod anima aliquando operatur ut vegetativa, & non ut sensitiva, quod accidit in unguibus, & capillis; aliquando ut sensitiva, & non ut intellectiva, ut patet in membris corporis quod informat, nam in eis anima sentit, sed non intelligit; ac tandem aliquando operatur ut rationalis, & non ut sensitiva, ut quando per capitis organa recipiens species, intelligit, memorat, amat &c. Hoc modo *animal rationale* est unica entitas rea-

ter, sed duplex virtualiter; quia æquivalet duplici principio realiter distincto; animal est principium sentiendi, rationale est principium discurrendi, utrumque est idem realiter, sed duplex virtualiter; quo fit ut possit sub uno cognosci, & non sub alio; sicut anima potest operari ut vegetativa, & non ut sensitiva.

Hæc solutio, quæ verissima est, & frequentissimè applicatur difficultatibus Theologicis, debet amplius explicari. Nam si sola æquivalentia unius entitatis pluribus realiter distinctis, sufficeret ad præcisionem objectivam perfectam, de qua est quæstio; sequeretur quod in Divinis ponenda esset præcisio objectiva perfecta, & consequenter compositio metaphysica, quæ Deo repugnat. Sequela patet, quia entitas Divina, quæ est omne esse, & omnis perfectio; æquivalet nostris perfectionibus realiter distinctis, nam æquivalet justitiæ, misericordiæ, bonitati, entitati, intellectui, voluntati &c. quæ in nobis realiter distinguuntur. Ergo Divinum esse est realiter idem, & virtualiter diversum, ac multiplex, quare juxta solutionem datam admittit præcisionem objectivam.

Propter hæc dicimus cum communi Thomistarum, quod non quælibet distinctio virtua-

lis

lis sufficit ad præcisionem objectivam perfectam; sed illa sola quæ est distinctio *Excludentis*, & *exclusi*. Vide dicta num. 39. Quapropter licet æquivalentia pluribus, fundet distinctionem virtuales, vel sit ipsa distinctio virtualis; at distinctio virtualis duplex est, altera penes *Implicitum*, & *explicitum*, & hæc non sufficit ad præcisionem objectivam, quæ est objectiva exclusio unius ab alio. Altera penes *Excludens*, & *exclusum*, & hæc sufficit ad objectivam præcisionem. Animal, & rationale, & generaliter in rebus corporeis genus, & differentia, distinguuntur virtualiter hoc secundo modo, quare præscindunt objectivè. In Angelis verò non sic, sed primo modo distinguuntur, quod in Deo certius est; quare distinctio virtualis in eis non sufficit ad præcisionem objectivam. Si quæras rationem hujus discriminis, supra invenies illam toto §. 5. Quoniam in solis rebus corporeis genus, & differentia sumuntur *Secundum aliud*, & *aliud*; quare in eis tantum est distinctio virtualis *Excludentis*, & *exclusi*.

47. Ad primam confirmationem respondet M. Froylan, quod animal identificatur cum rationali non cognito, & hoc ipso identificatur cum non cognito realiter denomina-

tivè; attamen non identificatur cum non cognito realiter entitativè. Est dicere, quod eo ipso, quod cognoscitur realiter animal, cognoscitur entitas rationalitatis, attamen non denominatur rationale cognitum. Hæc solutio displicet, quia si per cognitionem animal cognoscitur rationale, jam non præscindit objectivè; sed hæc solutio concedit quod rationale *entitativè* cognoscitur, licet non denominetur cognitum; ergo concedit non præscindere objectivè, & negat solam denominationem cogniti.

Respondemus primò ad confirmationem eam esse fallacem, sicut aliæ de quibus infra, ubi arguitur à sensu identico ad formalem; nam cognosci, & non cognosci, convenit animali, & rationali in sensu formali, non in sensu identico; identificari, & esse idem, eis convenit in sensu identico; quare ab uno ad alium consequentia est fallax. Dicimus secundò, quod animal dum cognoscitur, identificatur tam realiter, quam virtualiter cum realiter cognito; quia tam realiter, quam virtualiter identificatur cum se ipso. At verò quia non cognoscitur rationale, idè identificatur cum non cognito, sed ab eo virtualiter distinguitur. Et quia distinctio virtualis sufficit, ut unum realiter co-

co-

cognoscatur, & non aliud, idè sufficit distinctio virtualis ut animal identificetur cum cognito. & cum non cognito; juxta hanc solutionem in forma disting. minor. sed realiter cognitum, & realiter non cognitum distinguuntur realiter, *realiter virtualiter*, concedo min. *realiter actualiter*, nego min. & consequentiam.

Dicimus tertio. Quòd idè nequit identificari cum realiter distinctis distinctione reali intrinseca, benè verò cum distinctis distinctione reali extrinseca. Patet hoc, nam idem animal potest cognosci à me, & non cognosci à te: demus casum, in quo sic eveniat. En animal est realiter cognitum à me; & est realiter non cognitum à te. Ergo animal identificatur cum *Realiter cognito*, & *non realiter non cognito*, quæ sunt realiter distincta. Quomodo sic? Facillimè: quia esse cognitum, est quid extrinsecum animali, sicut esse non cognitum; quare sicut cognitio nihil ponit intrinsecum objecto cognito, sic nec carentia cognitionis ponit, vel tollit aliquid intrinsecum. Ergo sicut idem animal potest cognosci duplici cognitione, & tunc habet duo esse cognita, realiter distincta; poterit identificari, hoc est habere esse cognitum, & non esse cognitum. quia identitas intrinseca non tol-

litur per distinctionem extrinsecam, orram ex cognitione, vel non cognitione.

Dices: dum cognosco animal, cognosco animal, quod est à parte rei: sed animal, quod est à parte rei, est rationale: ergo cognosco rationale, & sic non præscindo. Respondemus, quòd cognoscitur animal, quod est à parte, & non animal chimæricum; ceterum non cognoscitur ut est à parte rei identicè rationale, sed ut est à parte rei virtualiter distinctum à rationali. Cognoscerem chimæricè si conciperem animal negando de ipso rationale, hoc est præcisione negativa, semper est falsa. At quia separamus *præcisivè* solum, animal à rationali. idè verè cognoscimus animal, quod est à parte rei, & ut est à parte rei virtualiter distinctum à rationali; licet non cognoscamus ut est à parte rei identicè rationale: quia præcisio attingit animal in sensu virtuali præcisivo, non autem in sensu identico.

Et quidem argumentum cum confirmatione, plenè instatur; quia indivisibile vel totum attingitur clarè, vel non attingitur: sed *animal rationale* est entitas indivisibilis: ergo vel tota attingitur clarè, vel nihil. Quomodo ergo dicitis, quòd animal cognoscitur clarè, & rationale obscurè? Rursus:

A

Animal identificatur cum clarè cognito; rationale, cum clarè non cognito: sed clarè cognitum, & clarè non cognitum, sunt realiter distincta: ergo animal identificatur cum realiter distinctis. Tandem: dum clarè cognoscitur animal, clarè cognoscitur animal, quod est à parte rei: sed hoc est rationale: ergo clarè cognoscitur rationale; sicque non datur vestra præcisio formalis.

48. Ad secundam confirmationem num. 9. positam, dicimus primò instari etiam contra Nominales, & invenies instantiam num. 8. Dicimus secundò, quòd de eadem entitate tam realiter, quam virtualiter una, non possunt verificari contradictoria. Ceterum quando entitas est una realiter, & multiplex virtualiter, tunc possunt verificari contradictoria, quia tunc non sunt verè contradictoria. Ratio est, quia oppositio illa est *Affirmatio*, & *negatio ejusdem de eodem, secundum idem*. Sed quando datur distinctio virtualis, tunc non verificantur contradictoria *secundum idem*, sed *secundum diversa virtualiter*: ergo tunc non sunt contradictoria. Sic accidit in casu nostro, ut dictum est cum Thomistis num. 10.

Nec contra istam solutionem faciunt replicæ positæ

num. 10. Tum, quia instantur contra præcisionem formalem, ut suprà: tum quia facilè solvantur. Ad primam dic, quòd distinctio virtualis non sufficit, ut animal non sit intrinsecè, id quod est *intrinsecè*; sed sufficit ut non sit id, quod est *extrinsecè*. Esse cognitum non est quid intrinsecum animali, sed extrinsecum; nec *esse cognitum* dicit puram entitatem animalis, quæ est intrinseca ei, sed addit cognitionem sibi extrinsecam, quam terminat animal. Cum ergo distinctio virtualis sufficiat, ut animal terminet cognitionem, quam non terminat rationale, sufficit, ut animal non sit id quod est extrinsecè rationale.

Ad secundam replicam concessio antecedenti, nego consequentiam. Non sufficit distinctio virtualis ad quæcumque contradictoria in creatis, quare non sufficit ut animal producat sine rationali, vel sine eo existat. In Divinis tamen sufficit ut essentia Divina communicetur, & non Paternitas. Sed omisis nunc Divinis; ecce pro creatis hanc regulam certam. Prædicata, quæ conveniunt animali, ut identificato cum rationali, æquè de utroque verificantur: talia sunt produci, & non produci; existere, & non existere. Quia existentia, & productio recipiunt.

Ee

en-

entitatem in sensu identico, nõ in sensu formali Prædicata, quæ conveniunt animali, ut virtualiter distincto à rationali, non verificantur æquè de utroque: talia sunt cognosci, & non cognosci; esse genus, & non esse genus; esse rationem conveniendi hominem cum equo, & non esse. Ratio est, quia talia non respiciunt animal in sensu identico, sed in formali, & præcisivo: quare pro talibus contradictorijs sufficit distinctio virtualis.

Ad tertiam replicam cõcesso antecedenti, nego consequentiam. Disparitas est, quia correlativa, & essentialiter cõnexa, sunt *Simul natura, & cognitione*; quare hoc est eis proprium non posse cognosci unum sine altero. Non sic extrema absoluta, quia quantumvis identificentur, si tamen virtualiter distinguuntur, potest unum cognosci sine altero, ut ostensum est.

49; Ad secundum fundamentum positum n. 11. Dicimus primò, quòd in eo malè arguitur à sensu identico ad formalem. Dicimus secundò plenè instari contra Nominales, si addideris *ly clarè* suprà cognosci, ut suprà vidimus num. 47. in fine. Respondemus tertio disting. maj. Quando cognoscitur animalitas, cognoscitur quid quid identificatur cum anima-

lis; quidquid identificatur à parte rei, & in sensu idètico. nego maj. quidquid idètificatur virtualiter, in sensu formali, præcisivo, & objectivo, concedo maj. sed in hoc sensu, nego min. quia rationale in hoc sensu non identificatur cum animali. Sicut enim animal præcisum, & objectivè sumptum, nec est rationale nec irrationale, sed ab utroque præscindit; ita nec idètificatur cum rationali, nec distinguitur, sed ab utroque præscindit. Quidquid enim de animali verificatur, ut identificato cum rationali, id verificatur æquè de rationali juxta regulam datam suprà. At cognosci non convenit animali ut identificato, sed ut virtualiter distincto à rationali, & sic non convenit rationali per talem cognitionem, quare nec per illam cognoscitur.

Ad primam probationem majoris constat distinctio ex regula data num. antecedenti. Ad 2. probationem majoris. nego maj. Cujus falsitas cognoscitur hac instantia. De fide est, quòd Pater æternus cõmunicat Filio naturam Divinam, sed non communicat Paternitatem; alioquin sicut est Deus per naturam communicatam; Filius esset Pater per Paternitatem communicatam. En argumentum: dum Filio communicatur natura, commu-

nicatur quidquid est realiter natura: sed Paternitas est realiter natura ergo dum communicatur natura Filio, communicatur ei Paternitas. Consequens est hæreticum: min. est de fide: ergo restat quòd major sit falsa, aut in sensu absoluto non vera. Talis est hæc, *Dum cognoscitur animalitas, cognoscitur quidquid realiter est animalitas*. Est ergo in Divinis Paternitas id, quod communicatur; quia Paternitas est Deitas, & hæc communicatur: at Paternitas non communicatur. Ratio est, quia dum communicatur natura, communicatur quidquid est natura, & est communicabile. Sed licet Deitas sit Paternitas, hæc non est communicabilis: ergo illa propositio de qua suprà, sine hac distinctione, est falsa. Sic etiam altera in nostra materia, addendo *ly virtualiter*. Dum cognoscitur animalitas, cognoscitur quidquid est realiter virtualiter animalitas; non autem quidquid solùm realiter est animalitas. Rationale solùm realiter est animal, non virtualiter, quare non cognoscitur per cognitionem, animal.

50. Ad confirmationem respondemus omnes illas formas arguendi esse defectuosas, quia variatur sensus ab identico ad formalem. Ad primam formam disting. maj. Omnis

animalitas hominis est rationalitas, est realiter identicè, & in esse rei, concedo: est virtualiter, objectivè, & in esse præcisivo, nego maj. & dist. min. Animalitas hominis cognoscitur, cognoscitur in esse rei, & identicè, nego min. in esse præcisivo, objectivo, & virtuali, concedo min. & nego consequentiam. En instantia. Omnis animalitas hominis est rationalitas: sed animalitas hominis est genus: ergo rationalitas est genus. Consequentia est falsa ob rationem datam; quia esse genus non convenit animali identicè sumpto, & in esse rei, sed in sensu præcisivo, & ut virtualiter distincto à rationali. Eodem vicio laborat secundus syllogismus ibi positus, scilicet *Hoc animal est hoc rationale &c.* ei applica solutionem datam.

Ad tertiam formam disting. maj. dum cognoscitur animal, rationale est res cognita, est virtualiter, & objectivè res cognita, nego maj. est identicè, & in esse rei res cognita, concedo maj. & disting. min. res cognita est res cognita, res cognita objectivè, & virtualiter, est cognita concedo, res cognita realiter identicè, nego min. & consequentiam. Non est idem *Rationale est cognitum*; ac *rationale est res cognita*; vel clarius dic sic. Non est idem

Rationale cognoscitur, ac Rationale est res cognita. Videntur idem sonare, sed non sunt. Discrimen est in verbo *sum, es sui* substantivo, quod facit sensum identicum; cum ergo rationale sit animal; & animal sit cognitum, & res cognita, etiam *Rationale est res cognita.* Ceterum alia verba adjectiva faciunt sensum formalem; cum ergo rationale formaliter non cognoscatur, sed solum animal; ideo est falsa hæc: *Rationale cognoscitur.* Idem puta de his propositionibus. *Paternitas communicatur: Paternitas est res communicata.* Nam prima est hæretica: secunda est de fide, quia de fide est quod Paternitas est Deitas, & Deitas est res communicata.

Ad quartam formam arguendi constat ex regula data num. 48. juxta illam dist. maj. Quando prædicatum dicitur de subiecto, dicitur de omni identificato; si dicitur de subiecto sub ea ratione quæ identificatur, concedo; si dicitur sub alia ratione, sub qua non identificatur, nego maj. Ad minorem dic, quod produci, & existere dicuntur de animali in sensu identico, & sub ea ratione, qua est idem cum rationali, quare utrique æquè convenit. Ceterum cognosci non dicitur de animali sub identitate reali, sed sub distinctione virtua-

li à rationalitate, unde non sequitur quod conveniat illi ex vi quod animali conveniat.

51. Ad tertium fundamentum secundæ sententiæ positum num. 12. respondent Thomistæ, & DD. primæ sententiæ, omnia in argumento relata præcindere objective imperfectè; ea præcisione, quæ supra explicavimus num. 39. quæ solum est penes implicitum, & explicitum. Unde dicunt ad primum exemplum; quod vel Angelus materialis est possibilis, est sic est ens; vel impossibilis, & sic est chimæra: quare semper pro implicito cognoscitur ut ens, vel ut chimæra; non tamen id explicat cognitio, & ideo pro explicito præscindit ab ente, & chimæra; & hoc est præcindere imperfectè. Idem dicunt ad alia exempla. Nam qui cognoscit substantiam, cognoscit pro implicito ens, sed non pro explicito. Item licet diffinitum sit idem ac diffinitio, non tamen pro explicito, quia diffinitum non explicat diffinitionem. Idem de conceptibus naturæ, & essentiæ, quæ pro explicito sunt diversi, & sic præscindunt imperfectè. Idem etiam de Divinis perfectionibus juxta dicta num. 39. ubi est plenè satisfacta confirmatio hujus fundamenti.

At

At quoniam à num. 40. istam præcisionem imperfectam probavimus non esse objectivam, sed formalem, dicimus consequenter totum tertium fundamentum non esse contrarios, quia rationes nostræ suadentes præcisionem objectivam, non fundantur in illo principio nudo, scilicet *Potest intellectus unum cognoscere sine alio,* nam *ly sine* potest significare *Exclusionem objectivam,* vel *exclusionem formalem.* Omnia in argumento relata non ex-

cludunt objective, & sic non præscindunt objective, sed formaliter. Nostra sententia de rebus corporeis, in quibus genus sumitur à parte naturæ, procedit de prædicato excludente aliud cum quo identificatur: & contra hoc nulla est instantia in hoc fundamento; cum nec Angelus excludat ens, nec substantia; nec natura essentiam, nec diffinitio diffinitum; nec perfectio Divina aliam; ut supra satis ostensum est à num. 41. usque ad 44.



QUÆSTIO SEPTIMA.

Vtrum inter gradus metaphysicos detur distinctio formalis, ex natura rei.

§. I.

Explicantur varia genera distinctionum, & prolixius agitur de distinctione modali.

1. **E**X terminis manifestum est dari in rebus distinctionem; quilibet enim clarè noscit se non esse aliam hominem, canem, leonem &c. Supposito ergo dari distinctionem in rebus, querimus quid sit distinctio. Aliqui respondent, distinctionem esse carentiam identitatis. Ceterum isti circulant vitiosè; nam agentes de identitate dicunt, eam esse carentiam distinctionis; nunc autem exprimentes quid sit distinctio, docent esse carentiam identitatis; & sic circulant vitiosè. Possumus sine circulo utramque diffinire sic. Identitas est *Affirmabilitas unius de alio.* Distinctio est *Ne-*

gabilitas unus de alio. Ubi nota, quod aliud est affirmatio, aliud affirmabilitas. Affirmatio fit per actus intellectus in actuali propositione; in hac non consistit identitas, quia propositio extrinseca est objecto, sicut cognitio; identitas autem est intrinseca objecto, sicut entitas, quare in affirmatione non consistit identitas. At quoniam ante affirmationem datur potentia in objecto ut affirmetur; hæc vocatur affirmabilitas; & in hac consistit identitas.

Prima partitio distinctionis est in *realem, & rationis*. Distinctio realis est illa quæ datur in rebus antecedenter & independenter à consideratione intellectus. Distinctio rationis est quæ solum datur dependenter ab intellectu. Hæc divisio est adæquata. Ratio est, quia distinctio est passio entis: sed ens adæquatè dividitur in reale, & rationis: ergo distinctio adæquatè dividitur in reale, & rationis. Hæc certa sunt apud omnes, nec dissentiant Scotistæ, quia sub ista generalitate distinctionis realis, sumptæ pro distinctione independenti ab intellectu, nullam distinctionem agnoscunt mediam inter realem, & rationis, ut benè advertunt RR. de quo vide nostrum Gavardi tom. 1. quæst. 2. de attributis in com-

De distinctione rationis agemus infrà quæst. ultima hujus libri: nunc autem assignabimus species varias distinctionis realis. Dividitur primò distinctio realis in *negativam, & positivam*. Positiva est, quæ versatur inter duo extrema positiva, v.g. inter calorem, & frigus, quorum quodlibet est ens, & quid positivum. Negativa est, quæ versatur inter ens positivum, & extremum negativum, v.g. inter ens, & non ens: inter Petrum, & carentiam Petri.

Observant hic DD. quod distinctio negativa aliquando est *mutua*, aliquando *non mutua*. Distinctio negativa mutua datur inter extrema, quorum utrumque est negativum, v.g. distinctio inter carentiam Petri, & carentiam Antichristi. Distinctio negativa non mutua datur inter extrema, quorum unum est positivum, & aliud negativum, ut inter Petrum, & nihil. Ceterum videtur abusus terminorum, quia inter duas carentias non datur distinctio realis formaliter, sed illativè. Ratio est clara, quia *Nullius entis nullæ sunt qualitates*: sed duplex carentia est duplex non ens: ergo non habent distinctionem realem, quæ solum est passio entis realis. Distinguntur tamen duæ carentiæ il-

illativæ, quatenus privant formis realiter distinctis; quare sicut cognoscuntur per formas, quibus privant, sic illativè distinguuntur distinctione formarum. De hoc agemus lib. 1. Physicæ circa constitutum privationis.

2. Distinctio positiva dividitur in *Entitativam, & modalem*. Entitativa est, quæ versatur inter duas entitates, & duas res; v.g. inter duos lapides, quorum quilibet est ens, & res. Hæc distinctio vocatur *Absoluta, realis simpliciter, & rei à re*. His nominibus explicatam invenies apud AA. Distinctio modalis est quæ datur inter rem, & modum; talis est distinctio Petri sedentis à sua sessione; ceræ sigillatæ à sigillatione; materiæ, & formæ à sua unione.

Distinctio modalis subdividitur in *mutuam, & non mutuam*. Mutua est quæ versatur inter duos modos, v.g. inter duas sigillationes, vel inter duas sessiones. Distinctio modalis non mutua est, quæ datur inter rem, & modum, ut in exemplis datis ceræ à sigillatione, Petri à sessione &c. Hac distinctione modali non mutua distinguitur res modificata à se ipsa non modificata v.g. Petrus sedens à se ipso non sedente; & anima unita corpori à se ipsa non unita.

3. Quæres primò. Quid sit modus? De hoc dubio agendum esset in Metaphysica, non hic: ceterum cum ad solam Metaphysicam spectet etiam agere de distinctione, quia sola agit de ente, & passionibus ejus, inter quæ sunt unitas, & distinctio; ideò sicut RR. hic disputant de distinctione, inviti trahimur ad inquirendum de constitutivo modi: nec sine hujus discussione scire poteris, aut discernere, quid sit distinctio modalis, quid, & quando entitativa sit.

P. Arriaga cum aliquibus RR. dicit, quod modus est entitas quædam diminuta, & debilis, quæ nec divinitus potest separari à re cujus est modus. Iuxta hos DD. illa erit distinctio entitativa, quæ versatur inter duas res, quarum quælibet separata saltem Divinitus potest existere: secus si nec Divinitus existere possit. At ista explicatio sustineri non potest à meliori parte Thomistarum docentium quod materia nec Divinitus potest existere sine forma: sed materia non est modus, sed res: ergo modus non est entitas illa sic impotens separata existere. Rursus Pater æternus nequit à Filio separari adhuc Divinitus, cum tamen Pater æternus non sit modus, sed res, immò omne esse. Præterea: Apud omnes

nes est verum, quod omnia quæ separantur, distinguuntur; sed non à contrario, omnia quæ distinguuntur, separantur. Ergo cum plura sint entitative distincta, quæ non sunt separabilia, ut distinctio potentiarum in anima, & alia multa; ideò discrimen assignatum à P. Arriaga, & alijs non subsistit.

Confirmatur juxta Phum allegatum à N. Gavardi tom. 1. suæ Theologiæ quæst. 2. de attrib. in communi art. 2. *Modus non distinguitur à re cujus est modus*: ergo modus non est res, aut entitas etiam diminuta. Patet consequentia, quia si esset entitas distincta, jam modus distingueretur à re cujus est modus; & sic in nullo sensu teneret dictum Arist.

Secundò sic loquendum est de modo genericè sumpto ad rem genericè sumptam, sicut de modo specificò ad rem specificam: sed modus corporis non est corpusculum diminutum: ergo nec modus entis est ens, & res diminuta.

Tertiò. Si modus esset res, & ens, licet diminutum, res cum modo foret res cum re; & modus adveniens rei pareret unionem distinctam, qua uniretur rei; & hoc esset plenè confundere res, & modos, quod est contra bonam philosophiam. Sequela patet, quia qualitas y g. unitur substantiæ

medio modo inhærentiæ, quia qualitas est entitas distincta à substantia: ergo si ipsa inhærentia esset entitas distincta à substantia, deberet eidem uniri per modum inhærentiæ distinctum, & sic in infinitum.

4. Dicendum est cum N. Egidio lib. de ente, & essentia quæst. 8, 10. & 11. opusc. de Gradibus formarum par. 2. per totam. Quodlib. 4. quæst. 8. & in 1. Sent. dist. 7. quæst. 2. & cum N. Gavardi loco laudato ubi citat Nostros Gerardum, & Fulgentium à judice, quod *Modus non est ens, nec res, sed est obliquitas entis*. Eandem sententiam docet P. Suario in Metaphysica disput. 7. sect. 1. à num. 17. ubi notat quod modus generaliter sumptus, diffinitur à P. August. lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 3. sic: *Modus est quem mensura præfigit*. Hoc est sigillatio, & determinatio rei finitæ relicta à sua mensura. Hinc deducitur diffinitio modi, ut hic de illo agimus. Est ergo quædam sigillatio adveniens rei, illam determinans ad proprium statum, ut sic determinata existat.

Ratio adstruendi hos modos est hæc. Creaturæ sunt finitæ, dependentes, compositæ, limitatæ, & mutabiles secundum varios status præsentis, unionis, terminationis, &c. Ergo

ergo cum istæ mutationes non possint fieri medio nihilo, restat quod fiant medio aliquo. Atqui hoc medium non est entitas, & res distincta, ut supra probatum est: ergo hoc medium est modus realis.

Iam verò quod sit obliquitas entis probatur. Id quod est aliquid, & non purum nihil, est ens in recto, vel in obliquo: sed modus non est ens, & res in recto, ut probatum est: ergo est ens in obliquo, & aliquid entis: hoc vocatur obliquitas entis. Explicatur. Sigillum ceræ impressum, aliquid reale in ea relinquit; id patet primò, quia cera sigillata aliter se habet, ac erat antea. Secundò, quia figura ceræ sigillatæ, est distincta à figura ceræ non sigillatæ: hæc alietas est realis, nec fit per solum nihil: ergo per aliquid reale à sigillo relicto in cera. Sed hoc reale non est entitas superaddita ceræ, sed est determinatio ceræ ad talem figuram: ergo est modus, & aliquid in obliquo.

Explicatur, & simul probatur ex doctrina Egidij ubi supra, de qua latè in Philosophia, ubi cum Egidio probabimus quod effectus formalis formæ realiter distinguitur à forma communicata subjecto. Ratio est hæc: Quantitas recepta in substantia extendit partes sub-

stantiæ; ergo hic datur duplex extensio partium, una activa, & hæc est extensio partium quantitatis; altera passiva, & hæc est extensio partium substantiæ. Probatur consequentia. Primò, quia partes substantiæ distinguuntur à partibus quantitatis: ergo & extensio partium substantiæ distinguitur ab extensione partium quantitatis. Secundò, quia partes quantitatis sunt extensæ per essentiam, hæc enim est essentia quantitatis, scilicet *habere partes*. Partes substantiæ sunt extensæ per participationem: sed tale per essentiam, distinguitur à tali per participationem: ergo extensio partium substantiæ &c.

Nunc sic. Sed illa extensio partium substantiæ, quæ est modus quantitativus, relicta à quantitate, non est entitas, aut res, addita substantiæ: ergo cum non sit nihil, restat quod sit modus, & obliquitas entis. Probatur min. Quando substantiæ advenit quantitas, illi advenit unica entitas: sed hæc entitas non est distincta à quantitate; ut patet: ergo cum extensio partium substantiæ sit distincta à quantitate, ut probatum est; extensio partium substantiæ non est nova entitas adveniens substantiæ; sed est effectus formalis illius entitatis, qui distinguitur ab illa entitate

caufante, fed non est entitas, fed obliquitas fubftantiæ, cui advenit.

5. Dices primò. Modus est aliquid; alioquin non differret à nihilo, nec excluderet nihilum: fed aliquid est ens; quia convertitur cum ente: ergo modus est ens, & res. Secundò: Res non potest transire de contradictorio in contradictorium sine fui reali mutatione, v.g. de non fedente in fedentem, quin fedens aliquid recipiat, quod antea non habebat: fed res non mutatur realiter nifi per additionem, vel deperditionem alicujus entitatis realis: ergo modus ille additus, vel deperditus in cafu dato, est ens, & res.

Ad 1. respondemus, quòd nihilum dupliciter excludi potest, in recto, & in obliquo, & femper excluditur per ens. Ceterum quòd est ens in recto, excludit in recto nihilum; modus autem, qui in recto non est ens, non excludit in recto nihilum; benè verò in obliquo, quia est obliquitas entis.

Ad 2. dicimus, quòd Petrus fedens, in recto non distinguitur à fe ipfo non fedente; nec contradictoria font pro recto *fedens, & non fedens*; font tamen contradictoria in obliquo, vel ratione obliqui; quia Petrus fedens importat o-

bliquitatem entis, fcilicet fedtionem, quam non dicit Petrus non fedens. Hæc obliquitas mutata, fufficit ut Petrus realiter mutetur; & ideò Deo immutabili non poffumus catholicè affigere modos iftos defedibiles, ut colligitur ex Còcilo Rhemenfi fub Eugenio III. & ex Concilio Florent. in capit. *Dammamus de fuma Trinitate*, ubi habetur quòd *Deus est omninò fimplex*.

6. Quæres fecundò, an diftinctio entitativa fit major quàm diftinctio modalis? Et videtur quòd fic. Separatio realis est fignum diftinctionis realis: fed duæ entitates font magis separabiles, quàm entitas, & modus; cum modus non poffit exiftere feparatus ab entitate, cujus est modus; ergo major est diftinctio entitativa, quàm modalis. In contrarium tamen est, quòd ibi est major diftinctio, ubi est minor convenientia, & minor fimilitudo: fed minus convenientia, & minus convenientia, & modus, quàm duæ res; cum iftæ convenientiant pro recto in ratione entis: ergo major est diftinctio modalis inter rem, & modum, quàm diftinctio entitativa inter duas res.

Neutra ex rationibus datis, est urgens. Non prima, quia arguit à majori figno ad majus fignatum; nec est femper diftinctio realis inter fola fe-

separabilia, ut vifum est. Non fecunda, quia Petrus, & nihil minus convenient, quàm Petrus, & lapis; non tamen magis diftinguuntur, quia inter hos datur diftinctio realis pofitiva mutua; inter illa verò fola diftinctio negativa. At diftinctio negativa non est major quàm diftinctio pofitiva. Quid quid fit, res hæc est parvi momenti, quæ juxta commune placitum difolvitur approbando partem affirmativam, quam confirmamus fequenti ratione.

Diftinctio, & unitas, font paffiones entis: fed res habet magis de entitate, quàm modus, ut probatum est num. 4. ergo diftinctio entitativa est magis diftinctio, quàm modalis. Rurſus: Modus non est ens in recto, fed in obliquo: ergo modus in recto non est unus, nec diftinctus, fed ratione obliqui. At res in recto est ens, & fic in recto est una, & diftincta: ergo diftinctio entitativa est in recto diftinctio; modalis verò est diftinctio in obliquo. Sed quòd in recto est tale, est magis tale, quàm obliquum: ergo diftinctio entitativa est major, quàm modalis. Major, & minor convenientia, arguunt majorem, vel minorem diftinctionem, quando utrumque extremum est ens in recto; fecus aliter ut probatum est; per

quòd patet ad rationem in contrarium.

Hinc colliges cum Doct. noſtro ubi fuprà, quòd diftinctio modalis propriè non attenditur inter rem, & modum; fed inter rem modificatam, & rem non modificatam. Quare propriè verfatur v.g. inter formam unitam, & formam non unitam; impropiè verò inter formam, & modum unionis. Ratio utriusque patet ex dictis. Difstinctio est paffio entis, quare propriè verfatur inter extrema, quæ font ens; impropiè autem inter extrema, quæ non font ens: fed res modificata, & res non modificata; item duæ res, diverfis modis affectæ, font ens pro recto; fecus fi duo modi fecundum fe comparentur; aut res & modus: ergo difstinctio modalis propriè &c.

7. Hic docent Philoſophi tria eſſe figna difstinctionis realis. Primum est feparabilitas unius ab alio. Secundum est ratio caufæ, & caufati, principij, & principjati. Tertium est relatio realis unius ad aliud. Primum fignum colligitur ex Aristot. lib. 4. Topic. cap. 1. dicente: *Amplius fe poffit aliterum sine altero eſſe, non eſt idem*. Ratio est clara, quia nihil realiter potest feparari à fe ipfo. Et inde probatur in Philoſophia lib. 4. quòd corpus non potest eſſe in duplici lo-

co; quia tunc posset distare à se ipso; & à se separari, quòd est implicatorium. Adverte quòd licet omnia, quæ separabilia sunt, distinguantur; non tamen omnia, quæ distinguuntur, sunt separabilia, ut num. 3. notatum est.

Ratio secundi signi est, quòd nihil potest esse causa sui ipsius. Quare inter conditiones quæ lib. 2. Physicæ assignantur in causa ad causandum, una est distinctio realis à suo effectu. Hinc colliges veram esse sententiam nostri Ægidij docētis quòd effectus formalis formæ distinguitur à forma communicata subjecto. De quo latè in Philosophia dicemus contra communem RR. sententiam. Ex eodem principio probatur in Divinis distinctio Patris à Filio, & utriusque à Spiritu Sancto. Quia licet in Divinis non sit causa, & causatum, quia voces istæ important limitationem, & imperfectionē; sicut nec Filius dicitur *principiatus* ob eandem rationem, sed *procedens*. At Pater est principium Filij, & uterque est principium unicum Spiritus Sancti, qui ab utroque procedit.

Tertium signum patet ex diffinitione relationis, nam relatio est *Ordo unius ad aliud*: sed nihil est aliud à se ipso: ergo inter extrema identificata nequit esse relatio realis: qua-

re ubi est; ibi est distinctio realis fundamenti à termino. Hæc doctrina traditur communiter, quam si enucleatius explicatam desideres, consule P. Suarium in Metaphysica disp. 7. laudata.

8. Nihilominus, ut videre poteris, signa ista universalialia non sunt, nec sufficientia. Nam anima distinguitur realiter à suis potentijs, & ipsæ potentiæ inter se, ut docent Thomistæ, & Deo dante dicemus in lib. de Anima cum P. August. & nostro Ægidio. At nulum ex datis signis indicat istam distinctionem, ut patet, quia nec intellectus est separabilis à voluntate; nec causa illius; nec refertur ad illam: ergo ultra signa data communiter, alia danda sunt.

Ea dedit P. August. tom. 3. lib. 6. de Trinitate cap. 6. ubi probat quòd anima nostra spiritualis est, sed non simplex. Et lib. 11. de Civit. Dei cap. 10. approbans signum datum ex separabilitate, addit duo alia, quæ sunt generalia etiam inter res inseparabiles; talia sunt participatio, quæ arguit distinctionem inter rem participantem, & perfectionem participatam: Rursus verificatio realis duplicis contradictorij.

Audi S. P. loco laudato dicentem: *Anima quoque ipsa, etiam si semper sit sapiens, si-*

sicut erit, cum à presenti miseria liberabitur (en inseparabilitas sapientiæ ab anima) licet tunc sapiens sit in æternum, participatione tamen incommunicabilis sapientiæ sapiens erit, quæ non est quod ipsa. Nec enim aer, si infusa luce nunquam deseratur, ideo non est aliud ipse, aliud lux, à qua illuminatur. Ergo cum anima participet à Divino intellectu lumen intellectuale, & à voluntate Divina vim appetitivam; ex participatione, veluti ex signo, colligitur distinctio animæ à suis potentijs, à quibus est inseparabilis. Et nota quòd hoc signum procedit de participatione *transitiva*, non autem de *intransitiva*, nam anima participat suam esse substantiale spirituale à Deo; ceterum quia illud participat *intransitive*, ideo non distinguitur ab esse participato. Quid autem necessarium sit ad participationem transitivam, quid ad intransitivam, dicemus lib. 2. Physicæ circa substantiam immediate operativam.

Ibidem pro altero signo arguit sic S. P. probans, quòd licet in corporibus gloriosis sit incorruptibilitas perpetua, & inseparabilis, distinguitur tamen à corpore glorioso. Arguit sic: *Ita cum sint inæquales manus, & digitus, equalis est tamen incorruptibilitas manus,*

& digiti. Ac per hoc, quamvis à corpore incorruptibili inseparabilis incorruptibilitas sit, aliud est tamen substantia, quæ corpus dicitur, aliud qualitas ejus, quæ incorruptibile nuncupatur. Ad formam arguendi nostram redacta ratio ista est hæc. Manus est major digito: sed incorruptibilitas manus non est major incorruptibilitate digiti: ergo incorruptibilitas distinguitur à substantia incorruptibili. Patet consequentia, quia si non differret, tunc de eadem entitate verificaretur esse majorem, & non esse majorem, quæ sunt contradictoria. De hoc iterum quæst. 8. sequenti. Omittimus explicare distinctionem quidditativam, de qua infra lib. 6. quæst. de distinctione relationis à fundamento. Veniamus ad distinctionem Scotticam.

§. II.

Explicatur distinctio formalis ex natura rei, & proponuntur fundamenta Scotticorum.

9. **M**AG. Gavardi Scholæ Ægidianæ illustrator, & vindex se ipso major prolixitate Hispanica dilucidat varias species distinctionum tom. 1. suæ Theolo-

logiæ quæst. 1. de attrib. in comm. & ibi art. 3. ad oculum probat, quod distinctio Scotica, quæ dicitur formalis ex natura rei, est eadem ac distinctio intentionis, tradita ab Henrico Gandavensi, & sub hoc nomine ab Alensi, & antiquioribus tradita, vel impugната. Addit sub utroque nomine explicatam, solis verbis differre à distinctione virtuali, quam reliqui DD. admittunt, tum in Divinis, tum in creatis. Hoc ostendit clarissimis testimonijs Scoti Henrici, & Alensis; quibus addit theses Florentiæ defensatas à PP. servatis, quarum una erat hæc, *Distinctionem actualem formalem ex natura rei, quam ante Scotum docuit Henricus, admittimus tantum in creaturis, non autem inter predicata Divina.* Aderat inter arguentes Scotista conventualis, qui indignè ferens assertum, ante argumentum suum exclamavit, & postea iterum reposuit hæc verba: *Si distinctionis ex natura rei inventio à Scoto adimat, vix quidquam sciri habet ejus doctrina ad Xenodochium tanquam infirma asportanda.* Vide etiã de hoc N. Fulgentium à Iudice in Logica 1. par. disp. 2. dub. 7. à num. 10.

Hæc distinctio Scotica vocatur varijs nominibus, dicitur *Media, formalis ex natura*

rei, & realis formalis. Versatur inter duas formalitates ejusdem entitatis, distinctas actualiter ante operationem intellectus. Quapropter ista predicata *animal rationale*, apud omnes sunt eadem entitas, & apud omnes sunt duæ formalitates. Sed ecce discrimen; nam Thomistæ docent quod ante considerationem intellectus tales formalitates distinguuntur virtualiter, non actualiter, nisi per considerationem intellectus. At Scotistæ dicunt, quod ante considerationem intellectus distinguuntur actualiter. Quo fit, ut hæc distinctio sit *realis*, quia datur ante opus intellectus; sit *ex natura rei*, quia nascitur ex rebus ante intellectum cogitantem; sit *formalis*, quia non versatur inter entitates sed inter formalitates; sit *media*, quia est minor distinctione entitativa, & major distinctione rationis; sit *Scotica*, quia ab ipso inventa, vel saltem propugnata. Eandem propugnant Scotistæ in Divinis inter essentiam, & relationes; inter attributa inter se, & ab essentia. Estque distinctio ista veluti character Scholæ Scotistarum, in quo explicando, & tuendo multa consumuntur folia.

10. Probatur primò hæc sententia Scotistarum sic. Quæ diffiniuntur diversis diffinitionibus, distinguuntur formaliter

liter ex natura rei: sed animal & rationale, diffiniuntur diversis diffinitionibus; & idem dicendum de alijs gradibus, & predicatis superioribus, & inferioribus: ergo distinguuntur formaliter ex natura rei. Min. est certa, quia animal diffinitur *principium sentiendi*; rationale verò diffinitur *principium discurrendi*. Major autem probatur. Quæ differunt essentialiter, differunt formaliter ex natura rei: sed quæ habent diversas diffinitiones, differunt essentialiter, cum diffinitio explicet essentiam rei: ergo.

Si respondeas argumentum hoc probare solum de eis, quæ differunt diffinitione adæquata; non verò de eis, quæ habent diversas diffinitiones inadæquatas; & talia sunt animal rationale. In contra arguunt Scotistæ, & instaurant suum fundamentum.

Primò. Quæ differunt diffinitione adhuc inadæquata, representantur diversis conceptibus: sed hoc ipso distinguuntur ex natura rei: ergo animal rationale &c. Probatur min. Distinctio conceptuum supponit distinctionem objectorum, cum conceptus specificetur ab objecto ut cognoscibili: ergo hoc ipso quod animal rationale represententur diversis conceptibus, distinguuntur objective

formaliter ex natura rei.

Secundò. Quæ differunt essentialiter, differunt à fortiori formaliter: sed quæ differunt diffinitione, differunt essentialiter ante operationem intellectus: ergo quæ differunt diffinitione adhuc inadæquata, differunt formaliter ante operationem intellectus, & sic ex natura rei.

Tertiò. Ideò quæ differunt diffinitione inadæquata, non differunt ex natura rei, quia non diffiniuntur ut sunt in se à parte rei, sed ut sunt in statu præcisionis metaphysico, & quidditativo: sed hoc est falsum: ergo ruit solutio communistrata. Min. probatur. Diffinitio explicat essentiam rei, ut est in se: sed quod alicui convenit, ut est in se, convenit ei, ut est à parte rei: ergo animal rationale diffiniuntur, ut sunt à parte rei, & sic realiter formaliter distinguuntur.

Quartò. Falsum est tales diffinitiones non esse adæquatas: ergo solutio data falsa est. Probatur antecedens. Diffinitio, quæ convertitur cum diffinito, est ei adæquata; alioquin non converteretur cum eo: sed tales diffinitiones datæ convertuntur cum suo diffinito; valet enim *Est animal: ergo est principium sentiendi.* Item à contrario *Est principium sentiendi: ergo est animal:* ergo est dif

diffinitio adequata animalis.

11. Secundum fundamentum Scotitarum pro distinctione ista in creaturis saltem efficaciter probanda, formatur sic. Inter animal, & rationale datur compositio metaphysica: sed hæc est realis: ergo inter animal & rationale datur compositio realis: sed *Compositio est distinctorum unio*: ergo animal & rationale distinguuntur realiter formaliter. Omnia patent, & sola minor prima probanda est, & probatur sic. Compositio quæ excluditur per simplicitatem realem, est realis; nam simplicitas realis non excludit compositionem rationis: sed in Deo, ubi est simplicitas realis, excluditur per eam metaphysica compositio; quare in Deo non est compositio ex genere & differentia: ergo.

Confirmatur 1. Quæ relativè opponuntur, distinguuntur formaliter ex natura rei: sed animal, & rationale, opponuntur relativè: ergo idem. Probatur min. Contrahibile & contrahens, opponuntur relativè: sed animal est contrahibile per rationale: ergo.

Secundò. Id quod accidentaliter advenit animali, distinguitur formaliter ab eo: sed rationale advenit accidentaliter animali: ergo &c. Probatur min. Nam animal potest esse,

& de facto est in equo, ubi est cum irrationalitate: ergo quia rationale accidentaliter &c. Explicatur. Rationale non est de essentia animalis in homine: ergo extra essentiam, & consequenter realiter formaliter ab eo distinctum. Probatur antecedens. Rationale non est de essentia animalis in equo, ut patet: ergo nec in homine. Patet consequentia: Nam animal hominis, & animal equi, habent eandem essentiam.

Tertiò. Quia differentientis sunt de essentia illius, ideò ens nequit ab illis objectivè præscindere: sed animal præsciendi potest à rationali: ergo quia rationale non est de essentia animalis. Sed quod non est de essentia alterius, differt ab eo formaliter: ergo animal differt formaliter ex natura rei à rationali.

Quartò. Potest perseverare animal, destructo rationali: ergo distinguuntur formaliter ex natura rei. Consequentia constat ex signis datis pro reali distinctione num. 7. Antecedens probatur. Si Deus, ut potest, destrueret naturam humanam, conservando leoninam, tunc in leone perseveraret animalitas, destructa rationalitate: ergo.

Quintò. Animal ex se, & secundum se, non est rationale: sed eo modo, quo unum non

non est aliud, distinguitur ab illo: ergo si animal secundum se non est rationale, animal formaliter ex natura rei distinguitur à rationali.

12. Tertium fundamentum Scoti idque præcipuum, & quo extendit distinctionem istam ad prædicata Divina, formatur sic. Animal, & rationale in homine fundant diversas relationes similitudinis, & dissimilitudinis, relatè ad eundem terminum, v.g. ad equum: sed diversæ relationes petunt diversa fundamenta formaliter, & actualiter: ergo animal, & rationale distinguuntur in homine formaliter actualiter. Probatur primò. Maj. quia ante omnem considerationem intellectus homo per animalitatem est similis equo, cui est dissimilis per rationalitè Min. etiam patet, nam relatio resultat ex positione fundamenti, esse termini: ergo diversæ relationes petunt &c.

Confirmatur 1. Ubi datur oppositio actualis, datur actualis distinctio: cum oppositio sit idem ac distinctio, nec distinctio sit sine aliqua oppositione. Sed inter animal, & rationale datur actualis oppositio ante operationem intellectus: ergo datur actualis distinctio ante operationem intellectus, & sic realis formalis. Probatur min. De animali, & rationali verificantur

prædicata contradictoria, scilicet esse rationem conveniendi hominem cum equo, & non esse rationem conveniendi, sed potius disconveniendi, ut dictum est: sed istæ contradictoriæ actualiter verificantur ante operationem intellectus: ergo &c.

Confirmatur secundò. Distinctio formalis datur inter prædicata, quorum unum negat aliud formaliter: sed animal negat formaliter rationale: ergo distinguitur formaliter ex natura rei ab illo. Probatur min. Ratio conveniendi negat formaliter rationem disconveniendi: sed animal est ratio conveniendi; & rationale est ratio disconveniendi: ergo animal negat formaliter rationale.

§. III.

Proponuntur fundamenta sententiae negantis distinctionem formalem ex natura rei.

13. **C**ONTRARIAM sententiam tenent omnes Thomistæ, quibus adhæret major, & melior pars DD. Societatis. Et omnis autoritatibus SS. PP. & Conciliorum, quibus suadet quòd distinctio ex natura rei non datur inter prædicata Divina: omnis etiam rationibus

Theologicis, quibus à Divinis relegatur, desumptis ex summa simplicitate Dei, quæ excludit omnem compositionem realem, quæ sequeretur in Deo, si in ipso essent prædicata realiter distincta, cum aliàs forent in ipso, & sic facerent realem compositionem: item ex summa actualitate Dei, vi cujus nequit esse in potentia ad suas perfectiones; foret tamen in potentia reali formali, si natura Divina ex natura rei distingueretur ab attributis Omnis, inquam, his probationibus, quoniam Theologicæ sunt, & extra institutum philosophicum; unice hic expendemus rationes philosophicas ad excludendam distinctionem istam à creaturis.

Prima ratio communis est hæc. Distinctio formalis ex natura rei est media inter distinctionem realem, & rationis: sed implicat tale medium: ergo implicat talis distinctio. Probatur min. Implicat ens mediū inter ens reale, & ens rationis: ergo implicat distinctio media inter realem, & rationis. Patet consequentia. Quia ideò tenet antecedens, quia ens reale, & rationis sunt immediate opposita, inter quæ nullum potest cadere medium: at eadem ratione distinctio realis, & rationis sunt immediate opposita: ergo sicut inter ens reale

&c. Rursus distinctio est passio entis: ergo ubi non cadit ens medium, nec distinctio media: sed inter reale, & rationis, non cadit ens medium: ergo nec distinctio media.

Si respondeas cum Scotistis, quòd inter distinctionem realem, & rationis non cadit medium, si *ly reale* comprehendit omnem distinctionem antecedentem considerationem intellectus; bene verò si *ly reale* dicat distinctionem entitativam; quia inter hanc, & distinctionem rationis mediat distinctio formalis ex natura rei, quæ minor est distinctione entitativa, & major distinctione rationis; & in hoc sensu vocatur media, nec bene impugnatur argumento factò.

Si hoc respondeas, instaurant Thomistæ suum fundamentum sic. Primò, quia quæcumque distinctio à parte rei, debet esse entitativa: ergo implicat distinctio realis media, quæ entitativa non sit. Probatur antecedens. Quæcumque distinctio sequitur ad entitatem ut passio ejus: sed implicat à parte rei realitas, vel formalitas, quæ non sit entitas: ergo quæcumque distinctio &c.

Secundò. Ideò quæcumque distinctio detur à parte rei est relatio, quia quæcumque formalitas detur à parte rei, est

rea-

realis: at quæcumque formalitas à parte rei non solum est realitas, sed etiam est entitas: ergo quæcumque distinctio à parte rei non solum est realis, sed est entitativa.

14. Magister Froylan in præsentì dicit hanc rationem esse veram, sed non urgere Scotistas, quare illam relinquit in sua probabilitate. Melius diceres hanc rationem esse probabilem extrinsecè, quia illa usi sunt gravissimi DD. sed intrinsecè non est probabilis, nisi aliunde firmetur. Nam manifestè instatur in distinctione modali, quæ minor est quàm entitativa, & major quàm rationis; unde est media inter entitativam, & rationis. Quapropter P. Suarius loco laudato supra integram sectionem habet, qua disertè probat quòd datur distinctio media inter entitativam, & rationis, & est hæc distinctio modalis. Quapropter principium hujus fundamenti debile est, si falsum non sit.

Nec urgent sequentes probationes, quarum prima est falsa, cum distinctio modalis apud omnes sit realis, & detur à parte rei, nec tamen sit entitativa. Sicut enim modus non est ens in recto, sed in obliquo, & ad illud sequitur distinctio modalis, quæ entitativa non est; ita apud Magistrum, & alios

Scotistas formalitas animal non est ens in recto, sed in obliquo & ad illud non sequitur distinctio entitativa, sed formalis. Quo detegitur etiam defectus secundæ probationis. Nam animal est in recto formalitas, sed non est in recto entitas juxta Scotistas: ergo licet sequatur inde distinctio realis formalis, non autem entitativa.

15. Secunda ratio contra distinctionem Scoticam est. Animal & rationale sunt formalitates formaliter in re identificatæ: ergo non sunt formalitates distinctæ formaliter ex natura rei. Patet consequentia, quia nequeunt simul esse identificatæ, & distinctæ. Probatur antecedens. Nam sunt formalitates realiter in re identificatæ: ergo sunt formaliter in re identificatæ. Antecedens patet, quia sunt eadem entitas, & sic realiter identificantur. Consequentia probatur. Formalitates esse in re formaliter identificatas, nihil est aliud, quàm unam esse rationem formalem alterius; sed implicat realiter identificari, & unam non esse alteram, & rationem formalem unius non esse rationem formalem alterius: ergo si realiter in re identificantur, etiam identificantur formaliter in re.

Hæc ratio non urget Scotistas, ut bene advertit Magister Froylan: nam apud ipsos for-

malitates illæ identificantur materialiter, & quoad entitatem, sed non formaliter. Immo & ipsi Thomistæ debent hoc fieri cum omnibus, qui tenent præcisiones objectivas. Nam animal excludit objectivè rationalitatem; & ideò præcinit objectivè: ergo non includit objectivè rationalitatem: ergo hæc non est de conceptu, & ratione formali animalis, quantumcumque identificentur materialiter. Quare licet identitas illa sit formalitatum, non est identitas formalis, sed materialis; sicut distinctio inter duas animas racionales, est distinctio formarum, sed non est formalis, cum non detur per principia formalia, & specifica.

16. Prælaudatus Froylan postquam duas præcedentes rationes, & alteram secundæ similem dimittit ut inefficaces; specialem, & efficacem promittit, quam proponit sic. Si animalitas esset formalitas ex natura rei distincta à rationalitate; sequeretur, quòd entitas animalitatis esset distincta ab entitate rationalitatis: sed hoc non admittit Scotus, nec cum eo Scotistæ, quia negant esse ibi distinctionem entitatum, cū negent ibi distinctionem entitativam: ergo tenentur negare distinctionem formalem, vel concedere entitativam. Proba-

tur maj. Animalitas non distinguitur formaliter ex natura rei ab entitate animalitatis; item rationalitas non distinguitur etiam à sua entitate: ergo quod convenit animalitati relatè ad rationalitatem, convenit entitati animalitatis relatè ad entitatem rationalitatis; quare si animalitas esset formalitas ex natura rei &c.

Hæc ratio, quæ sub prolixiori forma proponitur à prælaudato magistro, nec specialis, nec efficax est. Non specialis, quia quotquot impugnant distinctionem formalitatum, contendunt esse distinctionem entitatum, ut patet ex prima ratione suprâ inducta num. 13. Non est efficax, quia solvitur à Scotistis sicut prima, negando quòd animalitas sit entitas in recto, & idem de rationalitate: quare Mastrius in 1. Sent. disp. 2. quæst. 2. dicit tales formalitates non esse ens in recto, sed in obliquo; quare non sunt entitas, & entitas, ut vult Froylan, & non probat; sed sunt formalitas, & formalitas ejusdem entitatis. Unde sicut distinctio inter duas uniones non est entitativa, sed modalis, quia unio, & unio non sunt entitas, & entitas, sed modus, & modus entitatis, ut dictum est supra num. 4. & 5. ita de formalitatibus docent Scotistæ distinctionem formalem, quæ non

non est entitativa. Ut ergo Thomistæ urgeant Scotum debent probare contra Scotistas, tales formalitates esse ens in recto, & esse entitates in recto; sed hoc non probant.

17. Pater Arriaga Egregius aliorum impugnator, sed infœlicissimus ædificator suæ sententiæ, ut passim videbis, præcipuè in Theologia circa constitutum actus liberi Dei, ubi omnes sententias impugnans, suam postea facit unam ex impugnatibus, arguit sic contra distinctionem Scoticam 1. par. disp. 41. sect. 1. rogans, an à parte rei dentur duæ formalitates, inter quas versatur distinctio formalis, vel una. Si una? Ergo non datur à parte distinctio formalis; quia hæc petit dualitatem extremorum. Si duæ? Ergo à parte rei sunt duæ entitates, & sic distinctio erit entitativa. Patet consequentia, quia formalitas, ut formalitas est à parte rei, est entitas: ergo si sunt duæ formalitates, erunt duæ entitates. Tum quia illæ formalitates non sunt nihil: ergo sunt entitas; & sic si duæ sunt, erunt duæ entitates. Tum etiam, quia quæ sunt à parte rei, sunt ante intellectum; & tallia sunt realia; ergo realitates, & entitates. Omittimus alias formas arguendi, quas ibi ingeniosè adducit hic Doctor, quia eadem solutione solvuntur

à Mastrius, ac istæ quæ hic repositæ sunt.

Dicit Mastrius eas formalitates non esse ens pro recto, sed pro obliquo; quare nec sunt quid fictum, nec nihil, nec ens pro recto, sed pro obliquo, quoniam sunt reales formalitates ejusdem entitatis. Unde ex distinctione formalitatum non infertur distinctio entitativa, ut contrarij contendunt. Ut ergo sciamus quid sit formalitas, quid entitas, dat hanc regulam Mastrius ubi suprâ in solutione secundæ objectionis dicens: *Entitas in rigore metaphysico importat id quod habet propriam essentiam, & existentiam in recto, & per se primo, & est terminus physice causalitatis in creatis. Formalitas verò dicitur illa, quæ existit, & est extra nihil non ratione sui, & in recto, sed in obliquo tantum, ratione scilicet illius, cujus sunt aliquid non quomodocumque ad modum partis, quo pacto materia, & forma dicuntur aliquid compositi, sed est aliquid rei per identitatem, quatenus est aliquis gradus integra, & totalis essentia.* Id explicat exemplo Deitatis, ubi est unica entitas, sed plures formalitates reales, actu distinctæ.

At revera exemplum difficile est, quàm doctrina, nisi velit Mastrius nos captivare intel-

tellectum in obsequium distinctionis formalis, sicut cum Apostolo in obsequium fidei, & incomprehensibilis perfectionis Dei. Aptius possemus explicare hanc Matrij regulam exemplo distinctionis modalis, quia modus juxta dicta num. 4. non est ens pro recto, nec nihil, nec ens fictum, sed quid reale; ceterum est ens in obliquo. Hoc modo formalitas juxta Matrij regulam. Ceterum adhuc non tenet exemplum quoad omnia, nam modus, qui est ens in obliquo, non est partiale constitutivum metaphysicum essentiae rei, cujus est modus, sed plenè est extra essentiam rei, & est sigillatio ejus. At formalitas est pars essentiae entis, cujus est formalitas, ut vidimus ex Matrio. Sed ecce jam mysterium intelligibile. Nam illud ens, quod habet essentiam totalem, est ens simplicissimum in entitate, cum non sit duplex entitas formaliter distincta; est tamen essentia realiter composita ex duplici formalitate, realiter formaliter distincta. Oppositum videtur dicendum, quia entitas physica hominis est composita ex materia, & forma, realiter distinctis; sed essentia metaphysica est realiter simplex, & indivisibilis. Sed de hoc infra.

Omittimus alias rationes, quibus impetitur distina-

tio ista, quoniam vel non sunt illis efficaciores, vel tanguntur infra in probatione nostrae sententiae. Hic sane putamus applicari posse vulgare illud effatum, *Malum quod multa habet remedia, nullam habet remedium*, quoniam sententia Scoti, quae tot contra se habet impugnationes, nulla premitur. Quidquid sit de rationibus Theologicis, in quibus ratione materiae urgentur Scotistae, cum difficulter possint salvare summam simplicitatem Dei, & rationem actus purissimi excludentis omnem potentialitatem.

§. IV.

Nostra sententia proponitur, & probatur contra distinctionem formalem ex natura rei.

18. DICIMUS cum Thomistis, & DD. communis sententiae, non dari distinctionem formalem ex natura rei inter gradus metaphysicos & multo minus inter Divina praedicata, ubi est major simplicitas, & nulla potentialitas. P. Suarius nostrae, & communis sententiae defensor loco laudato dicit, S. Thomam, & alios Patres, non esse loquutos sub his terminis,

QUEST VII.

unde eorum auctoritates non non possunt adduci pro sententia nostra. Ceterum licet directè non possit probari ex PP. benè tamen indirectè, pro quo argues sic. Si daretur distinctio ista realis actualis, non esset necessarius recursus ad distinctionem rationis in Divinis pro salvandis contradictorijs locutionibus, & veritate Divinae perfectionis explicanda: sed SS. PP. recurrunt ad distinctionem rationis: ergo quia non admittunt, nec noscunt istam distinctionem realem formalem. Major patet, quia distinctio Scotica est major, quàm distinctio rationis, ut dictum est; rursus est prior, cum detur ante operationem intellectus; si ergo prius datur distinctio major, salvans omnem contradictionem, ad quid est recurrere ad minorem, & posteriorem distinctionem? Minor autem probatur ex Concilio Florentino sectione 18. & 19. ex P. August. de Trinit. ex Cirillo lib. 11. Theophrasti. Ex Damasc. p. de fide cap. 11. & alijs, quorum verba dabimus quaest. ultima hujus libri.

Probatur ergo directè ex P. August. serm. 11. de Temp. cap. 8. ubi ait: *Ergo fratres: quia hoc est in Domino virtus, quod justitia; quidquid de illo dixeris; hoc idem dicitis, cum tamen nihil dignè dicas; non*

§. IV.

potes dicere aequalem esse Patri Filium per justitiam, & non esse aequalem per virtutem; aut aequalem per virtutem, & non esse aequalem per scientiam. (preme rationem probativam Augustini) *quia ex una re aliqua aequalis est, ex omni re aequalis est, quia omnia quae ibi dicitis, idem sunt, & idem valent. Sufficit ergo, quia dicere non potes, quomodo sit inaequalis Filius Patri, nisi dederis diversitates quasdam in substantia Dei.* Hoc argumentum ratione materiae est Theologicum, & contra Maximinū, & alios haereticos Arrianos negantes Filium Dei aequalem Patri. Ceterum ratione formae, & à paritate suo modo ratione materiae, urget pro conclusionem nostram; & cum Scotistae etiam in Divinis ponant distinctionem suam à Theologicis urgeri possunt satis verbis istis P. N.

Ex eis sumamus primò illa verba *Quidquid de illo dixeris, idem dicitis*: ergo dicendo *Justitiam Dei, virtutem, scientiam*, quae habent definitiones distinctas, idem dicitur, non autem aliud, & aliud: ergo diversitas definitionum non arguit distinctionem realem formalitatem, & sic ruit unum ex fundamentis sententiae Scoticae. Patet consequentia, quia si scientia esset realiter distincta

à virtute Dei, non esset idem realiter, nec dicendo scientiā, dicerem idem, quod potentia, sed aliud; non aliud entitativè, ut præcludamus viam solutioni; sed aliud realiter formaliter, quod revera, & realiter est aliud. Ergo cum juxta P. August. scientia, & potentia non dicunt aliud, sed idem, non distinguuntur realiter formaliter.

Sumamus secundò rationem probativam Augustini, *Quia ex unare aliqua equalis est, ex omnire equalis est.* En Augustinus recurrit pro identitate justitiæ, & scientiæ Dei, ad identitatem entitativā, & in esse rei. Cujus argumentum valet, ac si diceret, in Deo est unica entitas, & unica res, quæ est justitia, scientia, potentia &c. Sed qui est equalis in ista re unica, est equalis in omni re: ergo qui est equalis in justitia, est equalis in potentia, & in scientia &c. Hoc argumentum vel nihil probat, vel probat identitatem contra Scotistas, quod suademus sic. Aequalitas in justitia non arguit aequalitatem in scientia, nisi scientia, & justitia sint realiter entitativè, & realiter formaliter idem: ergo, ut bene arguit Augustinus, probat utraq; identitatem. Probatur antecedens. Si solum entitativè sint idem, solum sequitur æqua-

litas in entitate ejusdem, non autem in perfectione formaliter realiter distincta: ergo aequalitas &c.

Explicatur. Si justitia, & scientia, non essent eadem res, & eadem entitas; ex aequalitate in entitate unius, non probaretur aequalitas in entitate alterius: ergo si non sint formaliter eadem perfectio, ex aequalitate in scientia, non probatur aequalitas in perfectione formalis justitiæ. Atqui eam ibi probat Augustinus, ex eo quod sunt unica res, & unicum ens: ergo ex identitate reali entitativa, probat identitatem realem formalem, quod argumentum æquè valet in Divinis, & in creatis.

Confirmatur, sumendo ultimam sequelam argumenti Augustiniani, *Sufficit ergo quia dicere non potes, quomodo sit inæqualis Filius Patri, nisi dederis diversitates quasdam in substantia Dei.* En Augustinus ex diversitate justitiæ à scientia, ut perfectiones sunt, infert dandam esse diversitatem in substantia Dei: sed hoc argumentum nil valet, nisi ex distinctione formali sequatur distinctio entitativa: ergo juxta P. Augustinum non stat distinctio realis formalis, quæ non sit entitativa. Probatur min. Si ex distinctione formali non sequeretur distinctio entitativa; pos-

posset hæreticus respondere Augustino, justitiam Dei esse perfectionem realiter formaliter distinctam à scientia, non autem entitativè; & sic utrumque cōponeret, scilicet quod Filius non esset æqualis Patri in scientia, etiam si esset in virtute realiter formaliter distincta, nā ad ista contradictoria sufficit distinctio realis formalis; & aliunde cum utraque perfectio sit eadem entitas, & eadem substantia, nulla inde sequeretur diversitas in substantia Dei: at hoc est contra Augustinum inde inferentem *Diversitates in substantia Dei*: ergo vel ejus argumentum nil valet; vel juxta Augustinum ex distinctione reali formali sequitur entitativa.

19. Probatur secundò ex D. Thoma quæst. 7. de potentia art. 1. ad quintum, ubi ait: *De illo quod est idem secundum rem, sed ratione differens, nihil prohibet prædicari contradictoria, ut dicit Arist. 3. Physic. sicut patet quod idem punctum re, differens solum ratione, est principium, & finis.* Idem docet N. Egidius in 1. Sent. dist. 11. quæst. 1. art. 3. ad tertium. Ubi explicans auctoritatem Philosophi in cap. de oppositis, ubi docet, quod oppositio contradictoria est omnium maxima, dicit N. Doct. id solum esse verum *Propter*

amplitudinem, quia omnes alias oppositiones continet, cum minima sit quantum ad rationem oppositionis, quia omnes alia oppositiones se habent per additionem ad illam. Vnde inter illa, quæ sola ratione differunt, quodam modo reservatur. Vide etiam Egidium in 1. distinct. 33. quæst. 1. art. 1. ad secundum, & alijs locis citatis à N. Gavardi ubi suprà.

En uterque B. Doct. recurrit ad distinctionem rationis pro verificandis contradictorijs de eadem entitate: sed si daretur distinctio realis formalis inter formalitates ejusdem entitatis; superfluous & vanus foret recursus ad distinctionem rationis: ergo si vanus non est, debemus dicere, utrumque B. Doctorem negare distinctionem realem formalem. Consequens tenet, maj. patet ex verbis allegatis, in quibus includitur etiam auctoritas Philosophi ad idem. Min. probatur. Stante majori & priori distinctione; superfluous est recursus ad minorem & posteriorem distinctionem: sed distinctio realis formalis est major, quam distinctio rationis; etiam est prior; cum detur ante omnem operationem intellectus: ergo &c.

20. A ratione probatur conclusio nostra sic. Anima rationalis est una realiter, & formaliter sine distinctione reali

formali: ergo gradus *Substantiæ, viventis, sensibilis, & rationalis* præstiti ab anima rationali sunt unum tam realiter, quam formaliter sine distinctione reali formali. Antecedens videtur certum. Primò, quia anima in se est ens plene indivisibile, & nullas habens partes: ergo nisi fingatur divisibilis in partes formaliter distinctas, dicenda est una tam realiter, quam formaliter sine distinctione reali formali. Secundò. Quia distinctio formalis à Scoto, & discipulis, solum ponitur inter formalitates, non autem inter entitates: sed anima in se non est *Animal rationale, vivens &c.* quia ista sunt effectus, quos præstat anima unita corpori: ergo anima in se est una tam realiter, quam formaliter sine distinctione formali.

Consequentia prima probatur. Gradus *Substantiæ, corporis, viventis, animalis, & rationalis*, sunt effectus formalis animæ communicatæ corpori, & illi unitæ: sed juxta communem aliorum sententiã, admissã etiam à Scotistis, effectus formalis formæ, nihil est aliud, quam ipsa forma communicata subjecto: ergo si anima in se est una tam realiter, quam formaliter sine distinctione formali, etiam gradus *Substantiæ, corporis, viventis &c.* præstiti ab anima, sunt u-

num, & idem tam realiter, quam formaliter, sine distinctione reali formali.

Hæc ratio sumitur ex D. Thoma ubi supra, & est de mente Philosophi, nam quoniam punctum in se est indivisibile tam realiter, quam formaliter; ideo dum communicatur, & unitur partibus lineæ, quas unit, & continuat, dat ei hos effectus sine distinctione reali entitativa, aut formali, quare *Idem punctum re, differens ratione, est principium, & finis, & secundum quod est principium, non est finis, & è contrario*, ut loco citato docet Præcept. Angelicus. Eadem ratione probatur, quòd gradus *Substantiæ, corporis &c.* non distinguuntur entitativè, aut modaliter. Nam anima illos præstans, non distinguitur in se entitativè, aut modaliter à se ipsa: ergo nec quando communicatur corpori fit multiplex entitativè, aut modaliter. Patet consequentia, quia per unionem corpori non deperdit anima suam unitatem. At animæ unitas ante unionem, excludit omnem distinctionem realem entitativam, modalem, & formalem, & solum habet distinctionem virtuales, quatenus æquivaleret multis animabus, scilicet vegetativæ, sensitivæ, & rationali: ergo communicata corpori dans illos gradus, servat eandem unitatem

tem, excludens omnem distinctionem realem actualem.

21. Secundò probatur conclusio nostra à ratione, qua confirmantur rationes communes positæ §. præcedenti. Non stat distinctio formalis inter animal, & rationale, sine distinctione entitativa utriusque: sed juxta Scotum, & veritatem, non datur distinctio entitativa inter animal, & rationale: ergo nec distinctio formalis. Probatur maj. Animal, & rationale, non solum sunt pro recto formalitas, sed entitas & realitas: hoc ipso non stat distinctio formalis, & formalitatum, sine distinctione entitativa, vel entitatum: ergo non stat distinctio formalis &c. Minor patet ex dictis num. 16. & 17. Tota difficultas est in probanda majori, quam negat Maftrius cum Scotistis, ut vidimus num. 17.

Probatur maj. sic: *Animal rationale*, quod est essentia hominis, est ens in recto: ergo tam animal, quam rationale, sunt ens in recto. Patet consequentia. Quia si tota essentia metaphysica pro recto est ens, partes ejus, quæ pro recto sunt partes, pro recto erunt id quod essentia, & sic erunt ens. Antecedens probatur. Primò, quia juxta regulam datam à Maftrio illud est ens pro recto, quod habet propriam essentiam, & existentiam, &

in creatis terminat physicam causalitatem: sed essentia hominis, quæ est *animal rationale*, habet propriam existentiam, & per se terminat physicam causalitatem; cum sit essentia creata: ergo est ens pro recto. Secundò. Nam si essentia hominis *animal rationale*, non esset ens pro recto, esset ens pro obliquo: ergo non esset ens, sed aliquid entis, & quasi pars ejus; quare entitas hominis non salvaretur in essentia hominis, sed hæc esset aliquid entitatis hominis, quod est ridiculum. Tertiò: quia si essentia hominis non esset ens pro recto; foret formalitas: sed juxta Maftrium formalitas est *Gradus integræ & totalis essentiæ*, ut supra vidimus num. 17. ergo essentia hominis non esset totalis essentia, sed gradus partialis essentiæ totalis, quod implicat.

Confirmatur. Si partes componentes essentiam hominis adæquatam, non sunt ens pro recto; etiam ipsa essentia adæquata non erit ens pro recto: sed essentia hominis *animal rationale*, est ens pro recto, ut probatum est: ergo formalitas *animalis*, & formalitas *rationalis* sunt ens pro recto. Min. cum consequentia teneat, & maj. probatur. Ex non entibus nequit resultare compositum, quod sit ens; alioquin

ex duplici nihilo fieret ens. Rursus ex partibus, quarum neutra est substantia, nequit resultare totum substantiale; ex partibus, quarum neutra est accidens, nequit resultare totum accidentale; & sic de alijs. Quod magis ad rem patet in duplici modo unito, v.g. in ubicatione, & situ; nam ex his modis, quorum neutrum est ens pro recto, sed in obliquo, nequit resultare totum, quod sit ens in recto: ergo si partes componentes essentiam hominis adæquatam, non sunt ens pro recto; ipsa essentia adæquata nō erit ens pro recto.

23. Confirmatur 2. Si animalitas realiter formaliter distinguitur à rationalitate, principium sentiendi distinguitur formaliter à principio discurrendi: sed hoc ipso datur distinctio formalis entitatum inter animal & rationale: ergo non stat distinctio formalitatum sine distinctione entitatum. Major patet, quia quod convenit diffinito, convenit diffinitioni objectivæ; animal autem diffinitur principium sentiendi, & rationale principium discurrendi. Probatur min. Principium sentiendi est ens pro recto, & idem de principio discurrendi: ergo si unum principium formaliter differt ab alio, datur formalis distinctio entitatum. Probatur antecedens. Principium sentien-

di est anima rationalis corpori communicata; sed anima sic communicata corpori, est ens pro recto ut patet, cum sit tota essentia physica hominis, & terminet realem causalitatem, habeatque existentiam, sine qua nequit operari, & esse principium sentiendi: ergo principium sentiendi est ens pro recto, & idem de principio discurrendi.

Confirmatur 3. Animal & rationale sunt pro recto formalitas: ergo sunt pro recto entitas; quare si distinguuntur formaliter, distinguuntur entitativè. Antecedens est doctrina Scotistarum. Consequentia probatur. Hoc ipso quod sint pro recto formalitas, constituunt pro recto formalitatem naturæ humanæ: sed hoc ipso pro recto sunt entitas: ergo si in recto sunt formalitas, in recto sunt entitas. Probatur min. Si constituunt pro recto formalitatem naturæ humanæ, constituunt pro recto entitatem naturæ humanæ: sed hoc ipso sunt entitas pro recto: ergo &c. Major patet, quia formalitas naturæ humanæ non distinguitur ab entitate naturæ humanæ; quare eadem natura humana sine distinctione est entitas, & formalitas. Min. probatur. Quod non est entitas pro recto, nequit constituere intrinsecè entitatem pro recto; cum

cum constitutum nihil aliud sit quam sua constitutiva: ergo si animal & rationale constituunt intrinsecè entitatem hominis pro recto; sunt ens pro recto.

Confirmatur 4. Entitas hominis, physicè accepta, est realiter divisibilis; nam est compositum ex materia & forma, in quas est divisibile: entitas autem hominis, metaphysicè accepta, est realiter indivisibilis, & etiam formaliter, cum juxta Scotistas essentia metaphysica hominis non sit composita ex entitatibus formaliter distinctis. Atqui entitas hominis, metaphysicè accepta, est *Animal rationale*; non enim est quid tertium, distinctum ab animali, & rationali: ergo animal & rationale sunt unica entitas formaliter: ergo non sunt formalitates realiter distinctæ. Probo hanc consequentiã. Quia physica entitas hominis componitur ex materia & forma, entitativè distinctis; ideò entitas physica hominis non est entitativè indivisibilis: ergo si entitas metaphysica hominis componderetur ex animali & rationali formaliter distinctis; entitas metaphysica hominis non esset formaliter indivisibilis.

24. Tertiò probatur conclusio nostra ratione communi. Natura humana non distinguitur formaliter à singula-

ritate Petri: ergo nec animalitas Petri à rationalitate ipsius. Consequentia patet etiam apud Scotistas, qui eandem distinctionem ponunt inter naturam, & singularitatem; ac inter gradus, & prædicata naturæ. Antecedens probatur primò. Natura formaliter prædicatur de Petro, hæc enim est prædicatio formalis, & non identica, & materialis, *Petrus est homo*: ergo formaliter identificatur cū singularitate Petri. Patet consequentia. Nam propositio affirmativa in materia necessaria importat identitatem: ergo identitatem formalem, si sit prædicatio formalis; & identicam, si sit prædicatio identica. At natura humana formaliter prædicatur de Petro: ergo cum formali identitate. Hæc min. patet primò ex Philosopho dicente 7. *Physicorum Quidditas est id quod dicitur unumquodque per se*. Secundò. Nam quidditas aut natura humana essentialiter prædicatur de Petro: ergo formaliter. Patet consequentia, quia nil formalius potest prædicari de Petro, quam ejus essentia.

Confirmatur. Si natura Petri distingueretur formaliter à singularitate Petri, humanitas illa esset singularis sine singularitate: sed hoc implicat; ergo implicat quòd sit distincta formaliter à singularitate Petri.

tri. Probatur maj. Humanitas distincta formaliter à singularitate, foret hæc humanitas, & non altera; sed humanitas, quæ est hæc, & non altera, est humanitas singularis: ergo si foret distincta à singularitate, esset singularis sine singularitate. Explicatur. Pone cum Scotistis humanitatem Petri, & singularitatem ejus esse duas formalitates distinctas. Certè quælibet est hæc numero formalitas, & non altera: ergo quælibet ratione sui est singularis: ergo natura ratione sui, & sine singularitate est singularis.

25. Hæc ratio communis solvitur à Scotistis, tenentibus duas esse singularitates, unam incompletam, & hæc est propria naturæ; alteram completam, qua ultimò, & complete constituitur in ratione individui. Argumentum nostrum probat naturam ex se esse singularem incompletè, ceterum non completè, quia ad hoc est necessaria formalitas distincta superaddita, qua natura singularis incompletè, & indifferens ad hoc, vel illud individuum, determinetur ad Petrum potius, quàm ad Paulum. Sic materia prima ex se est singularis incompletè, & indifferens ut recipiat hanc formam, & cum ea constituat individuum completum; vel alteram, & cum ea constituat alterum indivi-

duum completum. Unde materia ex se est singularis incompletè, non autem completè, nisi adveniente forma, & singularitate completa compositi.

Hæc solutio impugnatur satis urgeter sic. Natura Petri ex se, independenter à quocumque addito est completè singularis: ergo voluntariè astringitur illa duplex singularitas completa, & incompleta. Probatur antecedens. Natura Petri ex se non est indifferens ut sit in Petro, vel in Paulo, sed determinata est ad solum Petrum: ergo est completè singularis. Patet consequentia. Quia juxta doctrinam solutionis, singularitas completa est illa, qua redditur natura determinata ad hoc individuum. Antecedens probatur eis rationibus, quas invenies quæst. 3. hujus libri à num. 26. & seqq.

Rursus, si natura ex se posset esse in Paulo, & hoc modo indifferens esset ad Petrum, & Paulum; etiam ratio substantiæ, quæ est in Petro, posset esse ex se in Angelo; & ratio entis, quæ est in creatura, ex se esset indifferens formaliter ut esset in Deo, & in creatura. Patet sequela, quia inter istos gradus ponunt Scotiæ distinctionem formalem, sicut inter naturam, & singularitatem; & vi distinctionis formalls, manet præ-

prædicatum superius indifferens ad plura inferiora. Atqui sequelæ omnes sunt falsæ: ergo & antecedens unde sequuntur. Probatur min. Si ratio substantiæ quæ est in Petro, posset esse in Angelo; Angelus non esset completè spiritualis, siquidem posset habere substantiam, quæ est in Petro, & hæc est materialis. Rursus si ratio entis, quæ est in creatura posset esse in Deo; tunc vel in creatura ratio entis foret increata; vel si creata, aliquid creatum posset esse in Deum. At quæ falsum est, quod Angelus non sit completè spiritualis; & quod in creatura sit ens increatum, vel quod in Deo possit esse aliquid creatum: ergo falsæ sunt omnes sequelæ.

§. V.

Expenduntur fundamenta Scotistarum.

26. **R**ESTAT solvere fundamenta contraria, & ad primum quod positum est num. 10. respondetur primò instando principium illud. Per vos, quæ diffiniuntur diversis diffinitionibus distinguuntur formaliter ex natura rei: sed rationale ut est differentia hominis diffinitur principium discurrendi,

ut autem est ens diffinitur id quod potest realiter existere: ergo rationale ut ens, distinguitur formaliter à se ipso ut est differentia? Mala consequentia. Rursus: Voluntas habet conceptum naturæ, & conceptum potentiæ liberæ, & sub utroque conceptu diffinitur diversa diffinitione, quin liceat inferre quod voluntas ut natura differt formaliter à se ipsa ut libera; alioquin non esset formaliter una potentia, sed duplex, quod est falsum: ergo præcisè ex diversis diffinitionibus, præcipuè inadæquatis non probatur distinctio formalis.

Respondemus secundo arguendo probando solutionem datam num. 10. inter arguendum. Quando ergo diffinitiones sunt adæquatæ, probant distinctionem formalem; secus quando sunt inadæquatæ. Et ratio est: nam dum diffinitur animal principium sentiendi, non diffinitur omne quod habet animal à parte rei, sed solum id quod habet conceptum ab intellectu præscindente animal à rationali. Animal enim à parte rei non solum est principium sentiendi, sed vegetandi, & discurrendi, quia animal à parte rei est rationale; & sic est principium discurrendi. Præscinditur tamen objective à rationali, & sic præcisum diffinitur; quare diffinitio ista inadæ-

adæquata solum probat eam distinctionem, quæ ad præcisionem necessaria est. Sed ad præcisionem objectivam animalis à rationali, sufficit distinctio virtualis utriusque, ut vidimus quæst. 6. hujus libri: ergo ex diversis diffinitionibus inadæquatis solum probatur distinctio virtualis, non realis formalis.

Nec contra istam communem doctrinam urgent replicæ positæ eodem num. 10. Ad primam dicimus quod conceptus representantes animal, & rationale, sunt inadæquati; & tales non petant in objecto distinctionem actualem, sed virtuales, ut quæst. 6. dictum est.

Ad secundam dicimus differre formaliter ea, quæ à parte rei differant essentialiter, ut homo, & equus. Ceterum animal & rationale non differunt essentialiter à parte rei, sed solum inadæquatè concepta, ut sunt in statu præcisivo; sic enim differunt diffinitione inadæquata. Ceterum distinctio ista essentialis in statu præcisivo, solum arguit distinctionem illam, quæ necessaria est ad præcisionem; & hæc non est formalis, sed virtualis.

Ad tertiam dic, quod diffinitio inadæquata, est rei non ut est in se à parte rei, sed rei ut est in se in statu metaphysi-

co, & præcisivo. Vel aliter: est diffinitio rei ut est in se essentialiter præcisivè, non ut est in se essentialiter physicè. Animal in utroque statu est *principium sentiendi*: sed aliter in statu physico, aliter in statu metaphysico, & præcisivo. In statu physico est principium sentiendi, sed est simul principium intelligendi; quare sic non differt actu à rationale, nec est diffinibile diversa diffinitione. In statu metaphysico est tantum principium sentiendi, & differt à rationale; sed ea solè distinctione virtuali, quæ necessaria est ad præcisionem.

Ad quartam dic, quod diffinitio illa est adæquata solum animali inadæquatè sumpto; & sic ei adæquari; non arguit diffinitionem esse absolutè adæquatam, sed inadæquatam, quia adæquatio non est cum diffinito adæquato. Si enim animal adæquatè conciperetur, & diffineretur, deberet concipi ut rationale, & diffiniri *Principiū sentiendi, & discurrendi*.

27. Ad secundum fundamentum, positum num. 11. Respondemus nego min. Nam *animal & rationale* ratione secundarum intentionum generis, & differentiarum, faciunt compositionem rationis. Si verò substratum harum intentionum consideretur; hoc modo sunt formalitates reales. Ceterum à par-

parte rei non faciunt compositionem, nec sunt unitæ; sed identificatæ. In sensu præcisivo, sunt extrinsecè distinctæ, ut dicemus quæst. ultima, & sunt unitæ ratione secundarum intentionum, & unione rationis, quare faciunt compositionem rationis. Hæc excluditur à Deo ratione summæ simpliciter realis; quæ licet directè excludat solam compositionem realem, at indirectè, quando est summa, ut in Deo, excludit etiam compositionem rationis.

Ad primam confirmationem dic, quod animal realiter sumptum, non est contrahibile per rationale, nec ad illud dicit relationem, sed cum eo plenè identificatur. Solum ergo animal præcisivum, & abstractum ab intellectu est contrahibile: ceterum hoc nec in eo arguit relationem realem ad rationale, nec distinctionem realem ab eo; sed solam relationem logicam generis ad differentiam, & distinctionem virtuales utriusque, quæ sola requiritur ad præcisionem.

Ad secundam confirmationem dic, quod rationale non advenit accidentaliter animali realiter sumpto, quia sic cum eo identificatur. Advenit ei accidentaliter, dum animal præcisivè sumitur. Nec animal hominis realiter sumptum po-

test esse in equo; quia animal sic est realiter rationale; & animal quod est realiter rationale, nequit esse in equo. Animal autem præcisivè sumptum potest esse in equo; & ei sic sumpto advenit accidentaliter prædicabiliter rationale. Sed quid inde? Certè non major distinctio utriusque, quàm quæ sufficit ad præcisionem, & hæc est solum virtualis, ut dictum est.

Ad explicationem secundæ confirmationis, quæ ratione formæ apparet difficilis, respondemus in forma, disting. antecedens. Rationale non est essentia animalis in homine, de essentia animalis realiter sumpti, nego antecedens, animalis præcisivè sumpti, concedo antecedens, & disting. consequens, ergo est extra essentiam animalis realiter sumpti, nego consequentiam: præcisivè sumpti, concedo consequentiam. Ad probationem antecedentis concesso antecedenti, disting. consequens distinctione data. Ad probationem consequentiæ disting. antecedens. Animal hominis, & animal equi, habent eandem essentiam, utrumque animal præcisivè sumptum, concesso antecedens; sumptum realiter, nego antecedens. Quia animal hominis realiter sumptum, est rationale; & animal equi realiter sumptum, est hin-

nibile : sed hinnibile , & rationale , sunt diversæ essentiæ : ergo utrumque animal realiter sumptum habet diversam essentiam. Unicè sunt ejusdem essentiæ quando sumuntur præcisivè ; sed inde nil contra nos , ut dictum est.

28. Observa quòd argumentum Scoticum , vel nil probat , vel probat contra ipsos distinctionem realem entitativam animalis à rationali. Nam compositio realis ex terminis petit distinctionem realem entitativam extremorum. Relativa oppositio realis , solum datur inter relativa distincta entitativè. Contrahibile realiter per aliud , indicat distinctionem entitativam ; & sic de alijs. Ergo media , quæ à Scotistis assumuntur pro suadenda distinctione formali , suadent entitativam contra ipsos , sed revera suadent nullam.

Ad tertiam confirmationem disting. maj. Quia præcisè , nego maj. quia ens est de essentia inferiorum tam physicè , quam metaphysicè , concedo maj. & concessa min. disting. consequens : rationale non est de essentia animalis , physicè sumpti , nego cōsequentiam , animalis metaphysicè sumpti , cōcedo consequentiam , & disting. min. subsumptam , quod non est de essentia alterius physicè sumpti differt ab eo formaliter , cō-

cedo min. immò & entitativè ; quod non est de essentia alterius præcisivè sumpti , nego min. & consequentiam. Differentia inter ens relatè ad substantiam , & animal relatè ad rationale est hæc. Quòd substantia nequit esse sine entitate , & nequit concipi sine ente ; ratio est , quia quod est aliquid , & concipitur ut aliquid est , & concipitur , ut ens ; alioquin si præscinderet ab ente , conciperetur ut nihil. Hinc ens est de essentia physica , & metaphysica substantiæ , nec ab eo potest substantia præscindi. Ceterum rationale est de essentia physica animalis hominis , quia animal hominis nequit esse , nisi identificatum cum rationali. Ceterum non est de essentia metaphysica ejus , quia vi distinctionis virtualis potest concipi animal sine rationali.

Ad quartam nego antecedens , quia destructo homine nec animal hominis perseveraret. In equo , leone , & alijs maneret animal , sed non animal hominis , sed realiter diversum , scilicet animal hinnibile , & rugibile. Et quidem , si destructo rationali , maneret animal hominis in leone , tunc inter animal , & rationale sequeretur distinctio entitativa , quia realis separatio arguit distinctionem entitativam extremorum : ergo hæc probatio , sicut &

præ

præcedentes , suadet distinctionem entitativam inter gradus metaphysicos , quam negant Scotistæ utentes his rationibus.

Ad quintam dic , quòd animal secundum se , est animal præcisum , non est animal ut à parte rei , quia ly *secundum se* , dicit statum præcisivum. Ergo licet secundum se non sit rationale , non sequitur quòd animal à parte rei non sit rationale , sed quòd præcisum , & abstractum , rationale non sit , inde solum probatur distinctio virtualis , quæ necessaria est ad præcisionem ; non autem realis formalis , ut dictum est.

29. Ad tertium fundamentum Scotistarum positum num. 12. respondemus primò instando. Nam animal non distinguitur formaliter à se ipso ; & tamen fundat diversas relationes similitudinis , & dissimilitudinis relatè ad eundem terminum : ergo licet animal , & rationale fundent tales diversas relationes , non probatur differre formaliter ex natura rei. Probatur min. Nam animal , ut est principium sentiendi est dissimile lapidi ; ut autem est substantia corporea est simile lapidi : ergo animal relatè ad lapidem fundat diversas relationes similitudinis , & dissimilitudinis.

Respondemus secundò quòd si animal realiter sumi-

tur ; fundat non solum similitudinem hominis cum equo ; sed etiam dissimilitudinem ; etiam rationale non solum dissimilitudinem , sed similitudinem. Ratio est ; quia animal hominis realiter sumptum est rationale : ergo fundat , si sumitur realiter , similitudinem ; & dissimilitudinem. Similiter rationale realiter sumptum est animal : ergo realiter sumptum , est simile & dissimile. Quare si realiter sumantur animal & rationale ; nulla relatio fundatur ab animali , quæ eodem modo non fundetur à rationali : qua propter plenè cessat argumentum. Si verò animal sumatur præcisivè , tunc est pura ratio conveniendi , sicut rationale præcisum , est pura dissimilitudo : ceterum hoc non probat majorem distinctionem quam ea , quæ sufficit ad præcisionem ; & hæc est sola virtualis. Ex his in forma respondetur ad argumentum dist. maj. animal , & rationale fundat diversas relationes , animal & rationale realiter sumpta , nego maj. præcisivè sumpta , subdist. diversas relationes diversitate præcisiva , concedo maj. diversitate reali , nego maj. & disting. min. diversæ relationes petunt diversa fundamenta ; si relationes convenient fundamentò , realiter sumpto , concedo min. præcisivè sumpto , nego min.

& consequentiam.

Respondemus tertio cum DD. nostræ sententiæ, notando discrimen inter æqualitatē, & similitudinē. Æqualitas cōsistit in indivisibili, nec suscipit magis, & minus: quare nō datur una æqualitas major altera; sicut non datur una mors major altera, ob eadem rationem. Ceterum similitudo habet gradus, quibus suscipit magis, & minus; quare una similitudo potest esse altera major; sicut una infirmitas ob eandem rationem est major altera. Hinc fit, quod similitudo vel est summa, & tunc excludit omnem dissimilitudinē; vel est infra summam, & tunc non excludit, sed includit similitudinē aliquam. Ut ergo probetur distinctio formalis, debet probari similitudo summa, & dissimilitudo. Ratio est, quia juxta Scotistas solum datur distinctio formalis, quando unum prædicatum excludit alterum: sed sola similitudo summa excludit dissimilitudinē, ut ostensum est: ergo nisi probetur quod animal fundat similitudinē summam hominis, cum equo, & rationale dissimilitudinē summam, nil probatur pro distinctioe formali.

Atqui animal à parte rei non fundat similitudinē summam, sed infra summam; cū à parte rei animal sit rationa-

le; & sic fundat similitudinē mixtam cum dissimilitudinē, vel includentem realiter dissimilitudinē: ergo animal à parte rei non differt formaliter à rationali. In statu autem præcisionis animal fundat similitudinē summam, quia præscindit perfectè objectivè à rationali, & sic excludit omnem dissimilitudinē. Ceterum hoc tantum probat distinctionem virtuales, in qua fundatur præcisio objectiva, ut dictum est.

Ad primam confirmationem concessa maj. nego min. Ad probationem ejus disting. maj. De animali & rationali verificantur ista contradictoria esse rationem conveniendi, & non esse rationem conveniendi; de animali & rationali realiter sumptis, nego maj. præcisivè sumptis, concedo maj. & nego min. quia quod verificatur de extremis præcisivè sumptis, non verificatur ante operationem intellectus præscindentis. Suprà diximus, quod animal realiter sumptum, est simul ratio conveniendi, & disconveniendi; item rationale eodem modo est ratio disconveniendi, & conveniendi: ergo de eis simul, & de quolibet seorsum, si realiter sumantur, nō verificantur contradictoria. Verificantur quidem de eis præcisivè sumptis; at ista non præcedunt operationem intellectus, sed

sed ab illa dependent; quare non probant distinctionem realem actualem, sed virtuales, ut dictum est.

Observa, quod ista non sunt contradictoria, *Esseratio-nem conveniendi; & esse rationem disconveniendi.* Ratio est, quia contradictorium est *Affirmatio, & negatio ejusdem de eodem &c.* Atqui in prædictis solum datur duplex affirmatio, non autem datur negatio: ergo non sunt contradictoria, sed ad summum contraria. Immo ut sint contraria, debet convenientia esse summa. Ratio est, quia contraria sunt *Quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subjecto mutuo se expellant.* Atqui sola similitudo, & convenientia summa expellit dissimilitudinē, & disconvenientiam, ut ostensum est; secus similitudo, & convenientia infra summam, quæ secum trahunt disconvenientiam & dissimilitudinē: ergo sola similitudo summa, & dissimilitudo, sunt contraria, quæ illativè inferunt contradictoria, quatenus *Dissimile est non simile, & disconveniens est non conveniens.*

Hinc est, quod ista solum sunt contradictoria, *Ratio conveniendi non ratio disconveniendi*, vel grammaticaliter melius, *Ratio non conveniendi.* Atqui hæc secun-

da pars nunquam verificatur de animali & rationali, realiter sumptis: ergo de eis nunquam verificantur contradictoria à parte rei. Probarur min. In primis de animali est certum non verificari quod sit *Ratio non conveniendi*, cum potius sit ratio conveniendi. Aliunde nec verificatur de rationali realiter sumpto; quia rationale realiter sumptum, est animal: sed de rationali, quod est realiter animal, & est realiter ratio conveniendi, non est verum, quod sit ratio non conveniendi: ergo de eis realiter sumptis, secunda pars negativa est falsa, & sic non verificantur contradictoria.

31. Dices: quod est ratio disconveniendi, est ratio non conveniendi; nam disconvenire est non convenire: sed rationale, realiter sumptum, est ratio disconveniendi: ergo realiter sumptum, est ratio non conveniendi. Secundo. Convenientia, & disconvenientia, sunt opposita: quomodo ergo unica entitas, & formalitas, potest esse ratio oppositorum?

Respondemus ad primum quod disconvenientia summa excludit convenientiam: & sic disconvenire est idem, ac non convenire. Ceterum disconvenientia infra summam non excludit convenientiam, sed inclu-

cludit: quare sic disconveniendi non est idem, ac non conveniendi. Rationale realiter sumptū, non est ratio disconveniendi summè, ut ostensum est; sed disconveniendi infra summum; quare non est ratio non conveniendi, sed est simul ratio conveniendi, & disconveniendi. Nec ista sunt opposita, quādo non sunt in summo, ut num. præcedenti ostensum est. Cū ergo à parte rei non fundent convenientiam, aut disconvenientiam summam; ideò eadem entitas, immò eadem formalitas realiter sumpta, fundat utramque. Per quod patet ad secundum.

Ad secundam confirmationem tertij fundamenti concedimus maj. & negamus min. negamus quòd animal à parte rei excludat formaliter rationale. Ad probationem min. disting. maj. Ratio conveniendi excludit rationem disconveniendi, ratio conveniendi perfecta & summa, concedo maj. sed in hoc sensu falsa est minor, quia animal à parte rei non est ratio perfecta & summa conveniendi. Ratio imperfecta & infra summam, conveniendi, nego maj. Quia talis essentialiter, vel identicè trahit secum rationem disconveniendi, ut dictum est.

Solutum est, ut vidimus, præcipuum Scoti fundamentū

sine recurſu ad distinctionem realem formalem, & vi solius distinctionis virtualis. Duo restant discutienda. Primū est contra Scotistas, reclamantes, quòd oppositio contradictoria est actualis; distinctio autem virtualis non est actualis, sed potentialis. Quomodo ergo per distinctionem potentialem possumus salvare oppositionem actualem duplicis contradictorij? Secundum est controversia inter DD. nostræ sententiæ, an hæc distinctio virtualis, ad quam recurrimus; sit intrinseca, vel extrinseca? De hoc secundo erit sequens quæstio, breviter dilucidanda. De primo dicimus Scotistas breviter, quòd quidquid sit de Divinis, quod attinet ad solos Theologos, de quo vide nostrum Gavardi loco laudato; at de creaturis nullæ in sensu reali verificantur contradictoriæ, ut ostensum est. Ergo in sensu reali nulla est oppositio actualis, & consequenter nec actualis distinctio. In sensu præcisivo verificantur contradictoria, & datur oppositio actualis: sed in eo sensu datur etiam distinctio actualis, hanc Thomistæ vocant distinctionem rationis; nos vocamus realem extrinsecam, de qua quæst.

9. sequenti.

QUE.

Q U Æ S T I O VIIJ.

An inter gradus metaphysicos detur distinctio virtualis intrinseca?

§. I.

Explicatur ratio dubitandi, & probatur sententia negativa.

I. HÆC quæstio originem sumpsit à solutione tertij fundamenti Scotistarum, quo contendunt quòd de eadem entitate non possunt verificari prædicata contradictoria, nisi in ea sint formalitates realiter, ex natura rei formaliter distinctæ. Ex eodem principio Gilbertus Porretanus, videns quòd in Divinis essentia Patris communicatur Filio, Paternitas autem ei non communicatur; intulit quòd ista contradictoria *Communicari*, & *non communicari*, non possunt eidem entitati convenire; quare posuit distinctionem realem entitativam inter essentiam Divinam, & Paternitatem. Durandus videns sententiam Gilberti damnatam esse à Concilio Rhemensi sub Eugenio III. & à Lateranensi sub Innocentio III. posuit distinctionem realem modalem: Scotus vero distinctionem formalem ex natura rei. Istæ omnes sententiæ conveniunt in eo, quòd ante operationem intellectus po-

nent inter Divina prædicata distinctionem realem actualem. Ratio potissima, ut dictum est, erat; quia oppositio contradictoria, quæ in Divinis verificatur, est oppositio actualis ante operationem intellectus: sed oppositio actualis arguit distinctionem actualem: ergo ex contradictorij infertur ponenda in Divinis distinctio realis actualis. Atqui non distinctio entitativa, quia hoc damnatum est in Gilberto: ergo vel modalis cum Durando; vel formalis ex natura rei cum Scoto.

Per oppositum reliqui Theologi negant in Divinis omnem distinctionem realem actualem; & dicunt quòd contradictoria verificantur sufficienter vi solius distinctionis virtualis. Per illam solutum est à nobis cum communi sententia tertium fundamentum Scotistarum quæst. præcedenti. Ceterum ecce nova quæstio, an hæc distinctio virtualis debeat esse intrinseca objecto, an solum extrinseca? Ratio dubitan

tandi est hæc, an prædicata contradictoria convenienter, ut realiter existit in se, & plenè independentè ab intellectu: an verò dependentè à nostro intellectu, concipiente rem diversis conceptibus? Molina, Valentia, quos refert, & sequitur N. Lusitanus tom. 1. de Beatitud. lib. 5. quæst. 6. art. 7. & ex RR. Hurtado, Herice, Arriaga, & alij Societatis, docent, quòd independentè ab intellectu, inadæquatè concipiente rem verificantur de illa contradictoria, ratione intrinsecæ capacitatis illius rei; & idèò vocant eam distinctionem virtualem intrinsecam. Antiqui Theologi, & reliqui Moderni, negant hoc, & docent, talia contradictoria verificari non in sensu reali, sed in præcisivo, & dependentè ab intellectu, inadæquatè concipiente rem. Cùmque cognitio intellectus sit extrinseca objecto, idèò vocant distinctionem virtualem objecti extrinsecam, hoc est, quæ completur per cognitionem extrinsecam, ut suscipiat contradictoria.

Hinc ut præ oculis habeas discrimen utriusque sententiæ, accipe diffinitionem utriusque distinctionis virtualis. Intrinseca distinctio virtualis est *Intrinseca capacitas ejusdem entitatis ad suscipienda prædicata*

contradictoria in sensu reali, & prout existit à parte rei. Distinctio autem virtualis extrinseca; Est capacitas intrinseca entitatis, ut inadæquatè concipiatur diversis conceptibus, & de ipsa sic conceptis, verificentur contradictoria. Utraque distinctio virtualis est capacitas intrinseca rei, quia utraque est distinctio se tenens ex parte objecti. Sed differunt, quia intrinseca distinctio suscipit contradictoria sine dependentia ab intellectu præscindente; ceterùm distinctio, quæ vocatur extrinseca, dependet ab intellectu præscindente, & multiplicante conceptus ejusdem rei.

2. His notatis sit nostra conclusio: inter gradus metaphysicos non datur distinctio virtualis intrinseca. Ita DD. communis sententiæ. Probatur primò ex Concilio Florentino sect. 18. ubi Ioannes Theologus disputans nomine totius Ecclesiæ latinæ, unicè ex communi PP. sententia agnoscit in Divinis distinctionem virtualem extrinsecam, dependentem à cognitione nostra, & ait: *Substantia, & Persona, re quidem sunt idem, secundùm autem modum intellectiōnis nostræ differre videntur.* Et sect. 19. ait: *Haudquaquam putare deberis quòd re differunt, quandoquidem solè ratione, aut*

in-

intelligentia differre creduntur.

Hæc fuit etiam mens P. Augustini, qui 7. de Trinit. recurrit etiam ad diversas conceptiones nostras, & diversa vocabula, quibus perfectionem simplicem Dei concipimus, & nominamus per partes. Verba S. P. sunt hæc, *Magnitudinem, bonitatem, justitiam, pluribus in eadem sapientia intelligi.* Omittimus alias auctoritates P. Augustini, quæ concernunt materiam theologiam, ut ad nostrum philosophicū institutum pro incipientium capto revocemur.

3. Probatur secundò conclusio nostra ex P. August. sic. Contradictoria in sensu reali verificata, arguunt distinctionem realem entitativam juxta mentem P. Augustini: ergo juxta S. P. non est dabilis distinctio virtualis intrinseca, sumpta pro capacitate intrinseca ad contradictoria in sensu reali. Probatur antecedens ex P. August. lib. 11. de Civit. Dei cap. 10. ubi infert quòd incorruptibilitas corporis gloriosi realiter distinguitur à substantia corporea, quia suscipit ista contradictoria *Equalis, non equalis.* Arguit sic: *Ita cùm sint inæqualis manus, & digitus, equalis est tamen incorruptibilitas manus, & digiti. Ac per hoc, quàmvis à corpore in-*

corruptibili inseparabilis incorruptibilitas sit, aliud est tamè substantia, qua corpus dicitur, aliud qualitas ejus, qua incorruptibile nuncupatur. Ratio P. N. ad nostram formam proponitur sic: Si incorruptibilitas esset idem cum substantia corporis gloriosi, tunc de eadem entitate verificatur esse æqualem, & non esse æqualem; nam substantia manus non est æqualis digito; incorruptibilitas manus est æqualis incorruptibilitati digiti: sed esse æqualem, & non esse æqualem, sunt contradictoria, quæ in sensu reali non possunt verificari de eadem entitate: ergo incorruptibilitas est qualitas entitativè distincta à substantia corporis gloriosi. Consequentia est illatio P. Augustini: major est medium ab ipso assumptum; minor est conclusio nostra, & in ea sola stat vis argumenti Augustiniani: unde si neges minorem, teneris concedere P. Augustinum, nil conviacere argumento facto.

4. Probatur tertio ex D. Thoma 1. par. quæst. 39. art. 1. ad secundum, quod tale erat: *Affirmatio, & negatio simul, & semel non verificantur de eodem: sed affirmatio, & negatio verificantur de essentia, & Persona: nam Persona est distincta, essentia verò non est distincta: ergo Persona:*

Essentia, non sunt idem: intellige in Divinis. Et respondet sic: Ad secundum dicendum, quod in quantum essentia, & Persona in Divinis differunt secundum intelligentiam rationem, sequitur quod aliquid possit affirmari de uno, quod negatur de altero. En S. Doctor pro salvandis contradictorijs, non recurrit ad capacitatem intrinsecam entitatis Dei independentem ab intellectu nostro; sed ad diversos conceptus inadæquatos, quibus intelligentia nostra distinguit Divinas perfectiones: ergo quia non est distinctio virtualis intrinseca, sed extrinseca in sensu explicato.

Idem docet N. Fundam. Doct. 1. Sent. distinct. 11. q. 1. art. 3. ad tertium, ubi loquens de oppositione contradictoria, quæ alias includit, dicit: *Vnde inter illa, quæ sola ratione differunt, quodammodo reservatur.* Id ipsum docet in 1. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad secundum, & alijs pluribus locis, quæ videbis apud nostrum Gardinum. 1. Theologiæ quæst. 2. de attrib. in comm. Fatetur que N. Lusitanus ubi supra hæc sententiam esse communem omnium Antiquorum.

5. Quartò. Probatur conclusio nostra à ratione sic. Distinctio virtualis intrinseca datur, quando de eadem entitate verificatur: in sensu rea-

li prædicata contradictoria: sed implicat prædicata contradictoria sic verificari: ergo implicat distinctio virtualis intrinseca. Major patet ex dictis n. 1. Min. probatur. Tunc verificantur contradictoria in sensu reali, quando idem prædicatū affirmatur realiter; & negatur de eadem entitate: sed de eadem entitate nequit idem prædicatum realiter affirmari, & negari: ergo. Probatur min. Prædicatum, quod realiter affirmatur de entitate, realiter identificatur cum illa; prædicatum, quod realiter negatur de aliquo, realiter ab illo distinguitur: sed implicat, quod unum & idem prædicatum, realiter identificetur cum ea entitate, à qua realiter distinguitur: ergo implicat de eadem entitate, idem prædicatum realiter affirmari, & negari: min. cum consequentia tenet, & major constat ex prænotatis quæst. 7. ubi dictum est, quod distinctio est *Negabilitas unius de alio, & identitas est affirmabilitas unius de alio.*

Confirmatur. Si in creatis verificarentur aliqua contradictoria, maximè ista, *Animalitas hominis est ratio conveniendi hominem cum equo: rationalitas non est ratio conveniendi hominem cum equo.* Atqui hoc secundum in sensu reali non verificantur, sed est falsum

sam: ergo nulla contradictoria in sensu reali verificantur de ente creato. Probatur min. Rationalitas non distinguitur realiter à ratione conveniendi hominem cum equo: ergo de rationalitate est falsum, quod non sit ratio conveniendi hominem cum equo. Probatur antecedens. Ratio conveniendi hominem cum equo, est animalitas: sed rationalitas non distinguitur realiter ab animalitate: ergo non distinguitur realiter à ratione conveniendi hominem cum equo.

Rursus. Rationalitas est realiter ratio conveniendi hominem cum equo: ergo non verificatur hæc negativa, *Rationalitas non est ratio conveniendi hominem cum equo.* Patet consequentia, quia esse, & non esse, non possunt simul verificari. Antecedens probatur: Omnis animalitas hominis est ratio conveniendi hominem cum equo: sed omnis rationalitas est realiter animalitas hominis: ergo omnis rationalitas est realiter ratio conveniendi hominem cum equo. Distinctus est in Barbara, & concludit perfectè.

§. II.

Expenduntur fundamenta di-

Distinctio virtualis intrinseca.

6. ARGUUNT primò: De animali, & rationali, verificantur in sensu reali prædicata contradictoria: ergo distinguuntur virtualiter intrinsecè. Probatur antecedens. Antecedenter ad omnem cognitionem verificatur de animali distingui virtualiter à rationali, & non distingui virtualiter à se ipso: sed distingui, & non distingui virtualiter, sunt contradictoria: ergo de animali, & rationali in sensu reali verificantur contradictoria.

Respondemus primò neg. antecedens, ad probationem negatur min. Nam contradictoria sunt *Affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, secundum idem:* sed talia non sunt affirmatio, & negatio ejusdem: quia de animali affirmatur distinctio virtualis à rationali, & non negatur distinctio virtualis à rationali: sed distinctio virtualis à se ipso, quæ est diversa distinctio diversitate terminorum distinctionis. Nec obest, quod termini distinctionis non differant realiter, sed virtualiter. Non obest, quia sufficit distinctio virtualis terminorum, ne sit idem quod affirmatur, & negatur. Ratio est, quia non

affirmatur, & negatur distinctio actualis, sed virtualis: sed variatis terminis virtualiter, variatur distinctio virtualis: ergo non negatur virtualis distinctio, quæ affirmatur, sed altera: unde non est affirmatio, & negatio ejusdem.

Respondemus secundò; quòd illa prædicata, licet antecedant cognitionem exercitam, non tamen cognitionem signatam, quia illa utriusque virtualis distinctio, est conceptibilitas duplex inadæquata utriusque formalitatis: & sicut à parte rei est sola entitas, sed relatè ad intellectum est participabilis in formalitates; sic à parte rei est unica entitas, & virtualiter duplex relatè ad cognitionem possibilem. Quare non sunt contradictoria in sensu reali, sed in præcisivo signato.

7. Dices. A parte rei de animali verificatur fundamentum, ut concipiatur sine rationali; non autè, ut concipiatur sine se ipso: ergo aliquid verificatur realiter de animali, quod non est verum de rationali. Rursus. A parte rei verificatur de animali distingui virtualiter à rationali; & de rationali non est verum distingui virtualiter à rationali: ergo idem.

Respondemus juxta primam solutionem, quòd ista non sunt contradictoria, quia non sunt affirmatio, & negatio ejusdem,

sed diversi. Affirmatur enim de animali distingui virtualiter à rationali, & posse concipi sine rationali: nihil horum negatur; non enim hæc est vera, *Animal non potest concipi sine rationali*; nec ista, *Animal non distinguitur virtualiter à rationali*. Ergo non probatur quid contra nos.

Respondeo secundò, quòd illa contradictoria non sunt in sensu reali, sed in præcisivo; quia non verificantur de animali realiter sumpto, sed præcisivè accepto: non præcisione exercitâ, quia ante illam datur fundamentum, & distinctio virtualis; sed præcisione signata, quia illud fundamentum, & distinctio illa est solùm relatè ad intellectum potentem præscindere; quare prædicata illa solùm conveniunt, aut disconveniunt animali & rationali, in sensu præcisivo signato.

8. Argues secundò: Juxta probabiliorè sententiã entitas peccati identificatur cum malitia: sed de entitate verificatur realiter produci à Deo; & de malitia, quòd realiter non producitur à Deo: ergo cum realiter produci, & realiter nõ produci, sint contradictoria realia, jam de eadem entitate in sensu reali verificantur contradictoria; & consequenter datur distinctio virtualis intrinseca.

Secundò. In Deo realiter identificantur intellectus, & voluntas; justitia, & misericordia: & tamen Verbum realiter procedit per intellectum, & non per voluntatem; Spiritus sanctus procedit per voluntatem, & non per intellectum. Item Deus punit per justitiam, & non per misericordiam; præmiat ultra condignum per misericordiam, non per justitiam: ergo cum ista contradictoria sint in sensu reali, sequitur &c.

Tertiò. Essentia Divina realiter identificatur cum Paternitate: & tamen essentia Divina realiter communicatur Filio; Paternitas non communicatur Filio: ergo cum sint contradictoria communicari, & non communicari; & in sensu reali verificentur; datur distinctio virtualis intrinseca inter essentiam Divinam, & relationes.

7. Hoc argumentum importunè objicitur hic, cum difficultates graves in Theologia contineat. Solvitur tamen juxta nostra principia Augustiniana negando majorem. Nam juxta P. Augustinum infinitis locis, peccatum pro formali malitia est *nihil*, nam Ioannis 1. dicitur *Sine ipso factum est nihil*, idest *peccatum*, ut ibi, & ubique reponit P. N. Immo hoc assertum veluti dogma

Theologicam ubiquè propugnat contra Manichæos, tenentes peccatum esse quid positivum, & naturam malam, à Deo malo factam; unde ponebant duo prima principia, & duos Deos, unum bonum, authorem bonorum; alterum malum, authorem malorum. Contra hos hæreticos ubique invenitur P. N. docens quòd malum non est aliquid, nec natura aliqua; sed *nihil*, idest privatio boni; sicut tenebra non est aliquid, sed carentia lucis: Quare peccatum pro formali non habet causam, quia nihil non fit; *Nemo*, ait, *quærat causam efficiëntem malæ voluntatis; non habet enim causam efficiëntem, sed deficientem*. Si ergo peccatum pro formali est *nihil*, & pro materiali est *aliquid*: ergo materiale, & formale in peccato, non identificantur realiter, sed distinguuntur distinctione reali negativa, sicut ens, & non ens. Quare negamus majorem argumenti.

Godoy, & plures Thomistæ cum Cayetano, docent, quòd peccatum pro formali consistit in positivo; & sic est aliquid, & identificatur cum materiali peccati. Isti DD. præmuntur argumento factò, & multis alijs circa Divinam causalitatem, quomodo unum tagat, & non aliud. Ipsi viderint, quid

quid respondeant, ut sententiā contra Augustini, & aliorum PP. principia, tueantur. Nobis satis est cum Augustino, & alijs PP. negare maiorem.

8. Ad secundum, & tertium respondent Mag. Palanco, concessio antecedenti, negando consequentiam. Quia licet in Divinis sit distinctio virtualis intrinseca, secus in creatis. Disparitas est, quia in Divinis Pater, & Filius, realiter distincti, identificantur cum uno tertio, scilicet cum essentia Divina; quod repugnat in creatis: ergo licet ibi sit distinctio virtualis intrinseca, secus in creatis. Respondet secundo, se alibi rem Theologicam pro merito discursurum, & tunc etiam in Divinis negabit distinctionem virtuales intrinsecas.

Nos autem hanc difficultatem pro modulo logico discussimus supra quæst. 6. hujus libri num. 41. & 42. Videre ibi dicta, ubi ex D. Thoma, & B. Egidio ostendimus, quod in sensu reali in Deo non est nisi unica simplicissima entitas, unico nomine nominabilis; hæc dicitur à nobis, *Voluntas, intellectus, justitia, misericordia, essentia, Deitas, relatio* &c. quia non valemus unica cognitione totam illam entitatem attingere, sed multis, & ideo nomina multiplicamus. Si tamen unica cognitione, &

nomine attingeremus illam entitatem: tunc nullæ essent contradictoriæ, ut explicatum est in isto nomine *Alpha*. Videte ibi dicta.

Ergo cum tota contradictio, nobis objecta in eis propositionibus, funderur in varijs nominibus justitiæ, misericordiæ, intellectus, voluntatis &c. Si diversitas nominum nascitur ex præcisione nostra; contradictio propositionum non erit in sensu reali, sed præcisivo: & sic solum arguit distinctionem virtuales extrinsecas. Quod confirmo ex dictis loco citato. Ponamus entitatem Dei vocari *Alpha*. Tunc erit hæc vera, *Deus punit per alpha*. Et hæc erit falsa, *Deus non punit per alpha*. Item erit vera, *Verbum procedit per alpha*; ceterum erit falsa, *Deus Filius non procedit per alpha*. Item erit vera, *Alpha realiter communicatur Filio*; sed erit falsa, *Alpha non communicatur Filio*. Ergo cum in eo casu omnes negativæ sint falsæ, quæ nunc sunt veræ: tota ratio verificandi negativas est, inadæquata conceptio nostra, & præcisiva explicatio entitatis Dei: ergo non sunt contradictoria in sensu reali vera, sed in præcisivo.

9. Dices: *Mysterium Trinitatis consistit in eo quod verbum procedat per intellectum, & non per voluntatem:* sed

sed *mysterium hoc non consistit, nec dependet à cognitione nostra: ergo tales propositiones non pendent ab intellectu nostro; & sic sunt veræ in sensu reali; & non tantum in præcisivo. Et confirmatur. Etiam si nullus daretur intellectus creatus præscindens, adhuc tales locutiones essent veræ, & verè existeret mysterium Trinitatis: ergo quia contradictoria illæ verificantur in sensu reali, & independenter à sensu præcisivo.*

Respondeo primò, quod *mysterium Trinitatis non dependet ab intellectu nostro, nec à nostris præcisionibus, quia consistit in eo quod Verbum procedat per rem, quæ est intellectus; & Spiritus Sanctus per rem, quæ est voluntas. Sed independenter à nostro intellectu datur in Deo res, quæ est intellectus; & res, quæ est voluntas: ergo independenter ab intellectu nostro dantur principia utriusque processions; & sic datur mysterium Trinitatis. Hoc mysterium non consistit in eo quod res illa nominetur intellectus, & nominetur voluntas; sed in eo quod sit utrumque. Nomina illa pendent ab intellectu nostro, per partes concipiente rem Divinam, ut dictum est loco citato: sed res his nominibus explicata, independenter est plenè ab intelle-*

ctu nostro. Ergo *mysterium non consistit in eo quod verificentur istæ propositiones, Verbum procedit per intellectum, Verbum non procedit per voluntatem, ut falso nobis objicitur. Patet consequentia, quia negativa solum est vera, quatenus res, quæ est voluntas, concipitur præcisivè à re, quæ est intellectus: at conceptio ista præcisiva pendet à nostro intellectu: ergo in ea non consistit mysterium Trinitatis.*

In forma ad positam replicam dist. maj. *Mysterium Trinitatis consistit in eo, quod Verbum procedat per intellectum, & non per voluntatem; Ut his nominibus explicantur, nego maj. quia ista nomina sunt præcisiva, & inadæquata; & sine eis, & independenter ab eis stat mysterium, Ut uno nomine explicantur à Deo, se comprehendente unica cognitione; subdisting. Et tunc propositio negativa est falsa; concedo maj. & tunc negativa est vera, nego maj. Quia hæc propositio *Verbum non procedit per voluntatem, solum est vera respectu nominis nostri voluntas, quo explicamus vim solum volitivam Dei. Ceterum respectu nominis, à Deo prolati, est falsa; quia nomen prolatum à Deo, dicit totam rem Divinam, & hæc est falsa; Verbum non procedit per rem**

quæ

quæ est voluntas. Quia procedit per intellectum; & intellectus est eadem res, ac voluntas, unde est res, quæ est voluntas.

10. Respondeo secundò cum communi Thomistarum doctrina, quòd mysterium illud quoad explicari pendet à cognitione nostra; non à priori, sed à posteriori; nec pendet à cognitione exercita, sed à signata. Dicitur quòd omnipotentia connectitur cum creaturis; ita ut si repugnaret aliqua, deficeret omnipotentia. Hæc connexio arguit dependentiam omnipotentia à creaturis; ceterum non est dependentia à priori, sed à posteriori; quæ non repugnat enti à se, & independenti. Eodem modo dicitur, quòd distinctio intellectus à voluntate in Divinis, qua salvantur diversæ processiones, pendet ab intellectu nostro, non à priori, sed à posteriori. Nec pendet ab intellectu existente, & exercitè cogitante; sed ab intellectu possibili, ut dicitur de distinctio-
ne rationis, & respectibus idealibus, quibus ideæ multiplican-
tur ab æterno; cum tamen ab æterno non existat intellectus creatus illos faciens; satis enim est, quòd ab æterno sit signatè possibilis. Vide dicta lib. 2. Logicæ quæst. 7.

Dicimus tertio quòd sicut

intellectus Divinus juxta D. Thomam, & B. Ægidium format entia rationis cum fundamento necessitante, ut sunt respectus ideales multiplicantes ab æterno ideas Divinas creaturarum, ut propugnatum est à nobis lib. 2. Logicæ quæst. 7. §. 3. ita ab æterno complet distinctio-
nem virtuales essentiali, & relationum, intellectus, & voluntatis, quia ad hoc datur fundamentum necessitans, scilicet oppositio contradictoria, in argumento nobis objecto. Sic videtur locutus Capreolus in 1. Sent. dist. 8. quæst. 4. art. 3. ad 16. argumentum Aureolli. De quo vide Godoy 1. par. quæst. 2. disp. 4. §. 5. Ubi docet, quòd Deus ab æterno facit distinctio-
nem rationis inter attributa, & inter essentiali, & relationes. Quò dato, contradictoria nobis objecta, non sunt talia in sensu reali; sed in sensu præcisivo; non in sensu præcisivo creato, sed Divino, & dependenter ab intellectu æterno Dei.

11. Has solutiones damus, ut quid alij respondeant, sciatis; sed solam primam approbamus, quæ est fundatissima doctrina D. Thomæ, & B. Ægidij: reliquæ autem non sunt solidæ. Nam secunda deficit, quia licet omnipotentia connectatur cum creaturis, ut causa cum suo effectu; at my-
ste-

sterium Trinitatis nullam connexionem habet cum intellectu nostro; & sic nec à posteriori pendet à cognitione nostra. Tertia solutio est contra dicta à nobis tum lib. præcedenti quæst. 7. tum quæst. 6. hujus libri num. 41. & 42. ubi ex D. Thoma, & Ægidio ostensum est, quòd solus intellectus creatus impotens cognoscere perfectionem Dei unica cognitione, multiplicat cognitiones, præsciadit, distinguit, & cognoscit per partes, utens varijs nominibus. At Deus unica cognitione noscit se ipsum plenè: ergo nec se nominat multis nominibus, sed unico; nec præsciadit, nec distinguit inter prædicata Dei. Nec contradictoria sunt fundamenta necessitans Deum. Quia contradictoria non sunt respectu Dei, sed respectu intellectus, qui multis nominibus explicat perfectionem Dei; sed Deus non multis, sed unico nomine illam explicat: ergo relatè ad Deum, nulla est contradictio.

Restat ergo quòd nec in

Divinis datur distinctio virtualis intrinseca, sed extrinseca. Et observa, quòd hæc distinctio virtualis vocatur *potentialis*; quia supra ipsam fundatur altera distinctio actualis, quæ dicitur distinctio rationis, de qua erit sequens quæstio cum Thomistis. At licet distinctio virtualis non sit actualis, sed potentialis, at hæc actu datur ante omnem cognitionem nostram. Scotistæ, ut observat Gavardi, putant hanc distinctionem nec esse actualem, nec actu dari: ceterum falluntur in secundo; quia distinctio virtualis actu datur in re, licet actualis non sit. Sic materia prima non est ens actuale, sed potenziale; ceterum actu datur in re ut ens potenziale. Ergo cum distinctio virtualis sit æquivalentia unicæ entitatis pluribus distinctis; hæc non est distinctio actualis, sed potentialis; ceterum est distinctio, quæ actu datur in re; quia in re actu datur illa æquivalentia. Et hæc sufficient pro hoc dubio.



Q U Æ S T I O N O N A .

Vtram inter gradus metaphysicos detur distinctio rationis?

§. I.

Explicatur ratio dubitandi, & sententiæ referuntur cum suis fundamentis.

1. **H**AC quæstione librum absolvimus, & tractatum difficilem de distinctione inter gradus metaphysicos, quæ, ut vidistis, extenditur ad Divina; ob idque prolixius discutienda fuit. Habemus ex dictis gradus istos non distingui entitative, aut modaliter; item nec distinctione ex natura rei, nec virtuali intrinseca, sed sola distinctione virtuali extrinseca. Hæc vocatur distinctio rationis tum à D. Thoma, tum à B. Ægidio, tum à reliquis antiquis, & modernis: quare si tenemus distinctionem virtuales inter gradus metaphysicos, tenemur inter eos propugnare distinctionem rationis. Ceterum inde insurgunt duo dubia: primum est cum Nominalibus, an hæc distinctio sit tota ex parte intellectus, an sit etiam ex parte objecti? Nominales volunt totam distinctionem esse ex parte intellectus sine ullo fundamento in re ex parte objecti. Ceterum impugnantur ex di-

ctis tota quæst. 6. hujus libri ubi probata est præcisio objectiva; & etiam in Divinis ubi objectiva exclusio non est, datur tamen fundamentum ex parte objecti ad præcisionem formalem, ut quæst. citata n. 41. docetur à D. Thoma, & B. Ægidio; nec in hoc licet amplius immorari.

2. Secundum dubium, & præcipuum hujus quæstionis est, quid nomine distinctionis rationis intelligendum est? Hic duas invenio sententias. Prima est aliquorum DD. Societatis, ut sunt Hurtado, Arriaga, Tellez, Quiros, Bonaspes, quos sequitur Franciscus Alphonsus. Illi negant præcisiones objectivas, & propugnant formales, ut vidimus quæst. 6. Quare, ut procedant consequenter, docent quod natura abstracta, quæ dicitur universalis, & una per rationem, non est una unitate objectiva, & rationis, sed est una extrinsecè realiter unitate cognitionis, quatenus cognitio nostra unica cognoscit

Q U Æ S T I O N E IX.

§. I.

naturam expressè, & singularia in confuso. Quo fit, ut ex parte objecti natura non sit una, sed multiplex, & tot, quot singularia confusè cognita. Ceterum ex parte actus est una, quia cognoscitur unica cognitione, à qua sicut extrinsecè denominatur realiter cognita; ita denominatur extrinsecè realiter una. In hoc sensu explicant unitatem rationis: & eodem modo loquuntur de distinctione rationis; quia animal, & rationale distingui per rationem, non est, quod ex parte objecti unum excludat aliud, sed quod ex parte actus cognoscantur duplici cognitione, à qua extrinsecè denominantur cognita & distincta: unde distinctio ista rationis, non est rationis *objectivè*, sed *subjectivè*, & sic est realis extrinseca.

Per oppositum Thomistæ docent, quod unitas naturæ abstractæ est *objectiva*, est *rationis*, & est *ficta*. De hoc egimus quæst. 3. hujus libri à num. 42. Ea ibi vide, & hic reponere. Consequenter ad sua principia idem docent de distinctione rationis inter prædicata realiter identificata, nam est distinctio *objectiva*, *rationis*, & *ficta*; qua propter negant Deum, cui repugnat fingere, illam facere. Distinctio sic explicata, videtur sequela præcisionis objectivæ, quia si-

cut realis separatio est signum distinctionis realis; ita separatio objectiva per rationem, est signum distinctionis rationis objectivæ. Omittimus fundamenta primæ sententiæ, quoniam de eis satis actum est q. 3. & 6. nec videtur recedere à sententia Nominalium supra impugnata: præterquam quod non urgent contra sententiam nostram infra exponendam.

3. Fundamenta sententiæ Thomisticæ multa sunt, sed nullum ab autoritate, quia licet Concilium Florentinum, D. Thomas, & alii PP. sæpè insistent distinctionem rationis, nullibi docent talem distinctionem esse fictam, objectivam, & rationis in hoc sensu; nec hic est quæstio de nomine hujus distinctionis, sed de sensu, quo à PP. & antiquis DD. usurpatur, quod quidem rationibus, & conjecturis suadendum est saltem pro parte Thomistarum RR.

Probatur ergo primò à Magistro Palanco in Logica tractatu 3. quæst. 5. à num. 20. Præcisio objectiva est distinctio rationis: sed inter gradus metaphysicos datur objectiva præcisio: ergo datur objectiva distinctio rationis. Explicatur. Quæ separantur realiter, distinguuntur realiter: ergo quæ separantur objectivè per rationem, distinguuntur objectivè

distinctione rationis : sed quæ præscindunt objectivè , separantur objectivè per rationem : ergo quæ præscindunt objectivè , distinguuntur per rationem , distinctione rationis objectiva .

Confirmatur 1. Distinctio , quæ in objecto non est realiter , sed repræsentatur in eo per actum intellectus , est distinctio objectiva , ficta , & rationis : sed inter animal , & rationale , nulla reperitur realiter distinctio ; & repræsentatur in eis per actum intellectus : ergo illa distinctio rationis inter animal , & rationale est objectiva , & ficta . Min. quoad primam partem est certa ; quoad secundam probatur . Actus , qui repræsentativè distinguit animal à rationali , repræsentat distinctionem animalis à rationali : sed actus intellectus repræsentativè distinguit animal à rationali : ergo . Major patet , quia nihil aliud est esse repræsentativè Cæsarem , quàm Cæsarem repræsentare . Min. probatur . Actus intellectus præscindens , aliquomodo distinguit animal à rationali : at non entitative : ergo repræsentativè . Minor patet , quia si distingueret entitative , distingueret realiter : at non realiter , sed per rationem distinguit : ergo non entitative , sed repræsentativè .

Explicatur . Distinctio rationis inter animal , & rationa-

le , non est actus intellectus : ergo est objectiva , & repræsentata per actum intellectus . Probatum antecedens primò . Actus intellectus est realis : sed distinctio rationis non est realis : ergo distinctio rationis non est actus intellectus .

Secundò . Distinctio realis est simpliciter talis : sed distinctio rationis non est simpliciter talis , sed secundum quid : ergo distinctio rationis non est subjectiva , & ab actu intellectus . Tertio . Tot sunt genera distinctionum , quot entium ; nam distinctio est passio entis : sed datur ens rationis objectivum : ergo datur distinctio rationis objectiva .

Confirmatur 2. Eo modo repræsentatur animal , & rationale per istam cognitionem *animal & rationale* ; ac Petrus , & Paulus per istam *Petrus , & Paulus* : sed per hanc secundam repræsentatur Petrus & Paulus ut distincti , & plures ex parte objecti : ergo per primam repræsentantur animal , & rationale , ut objectivè distincta .

Confirmat hoc tertio . Ille actus *animal & rationale* , est difformis objecto , quia repræsentat , ut plura , quæ sunt idem : sed si non repræsentaret objectum , ut distinctum ex parte objecti , actus non esset difformis objecto , ut est à parte rei :

Ergo repræsentat objectum ut distinctum ex parte objecti . Maj. patet , quia non aliter actus est difformis objecto ut est à parte rei , nisi quia repræsentat ex parte objecti quod non habet à parte rei .

4. Progreditur prælaudatus Magister , inferens num. 25. malè quosdam defendere præcisiones objectivas , & ex alia parte dicere , quod tota distinctio animalis à rationali , est extrinseca , & desumpta à diversis cognitionibus , quibus cognoscuntur . Hos DD. impugnat sic .

Primò . Quia præcisio objectiva ex terminis est objectiva distinctio , quæ se tenet ex parte objecti : sed si distinctio consistit in actu intellectus , non se tenet ex parte objecti , sed ex parte actus : ergo tunc præcisio objectiva non erit objectiva , sed formalis .

Secundò . Quia distinctio rationis repræsentatur ex parte objecti per actum intellectus , & non est ipse actus intellectus formaliter : sed hoc ipso distinctio est intrinseca objecto , & non denominatio extrinseca : ergo distinctio rationis non est extrinseca denominatio ab actibus intellectus .

Tertio . Distinctio inter animal , & rationale est distinctio inter ea ut distincta à cognitione : sed hoc ipso est di-

stinctio objectiva , & intrinseca objecto : ergo idem . Maj. probatur , animal , & rationale reduplicativè , ut cognita (sub qua reduplicatione non differunt à cognitione) sunt realiter distincta : sed distinctio rationis non versatur inter extrema realiter distincta : ergo distinctio rationis inter animal , & rationale est distinctio inter illa , quatenus distinguuntur à cognitione .

Confirmat hoc . Distinctio , quæ versatur inter subjectum ut extrinsecè visum , & subjectum ut extrinsecè amatum , non est distinctio rationis , sed realis ; quia licet subjectum sit idem , formæ tamen à quibus extrinsecè denominatur visum , & amatum , sunt realiter distinctæ : sed licet animal , & rationale , sint idem realiter , formæ tamen , à quibus denominantur extrinsecè cognita , sunt cognitiones realiter distinctæ : ergo attenda denominatione extrinseca distinguuntur realiter , & non per rationem : ergo distinctio rationis inter animal , & rationale , non versatur inter ea , ut extrinsecè cognita .

Confirmatur 2. Extrema , quæ immediatè distinguuntur per rationem , sunt ipsamet , quæ identificantur : sed animal & rationale , solum identificantur prout à cognitione di-

distinguntur, non autem pron-
nt cognoscuntur formaliter di-
versis cognitionibus: ergo di-
stinctio rationis non versatur in-
ter ipsa, ut extrinsecè cognita,
sed ut objectivè distincta à co-
gnitione.

5. Confirmat tertio.
Repugnat distinctio extrinsecæ
extremis immediatè distin-
ctis: sed distinctio rationis, si
consisteret in cognitione, fo-
ret extrinsecæ extremis imme-
diatè distinctis: ergo repugnat
distinctio rationis, quæ sit ex-
trinsecæ. Major probatur pri-
mò. Quia distinctio est passio
entis, sicut unitas: sed passio
entis implicat quòd sit enti ex-
trinsecæ: ergo implicat quòd
distinctio sit extrinsecæ extre-
mis distinctis. Secundò unum
ab alio distingui, est formalissi-
mè unum esse id quod est, &
non aliud: sed implicat quòd
per aliquid extrinsecum sit res
id, quod est, & non aliud: er-
go implicat quòd distinctio sit
extrinsecæ, & per quid extrin-
secum. Tertio. Quia nec apud
D. Thomam, nec apud alios
antiquos reperitur hæc distin-
ctio extrinsecæ realis inten-
tionalis; Imò nec DD. hic
adhibentes illam; alibi utun-
tur ea, nisi dum Thomisticis
premuntur argumentis. Quar-
tò. Eo modo intellectus distin-
guit identificata, quo unit, &
identificat extrema distincta sed

implicat extrema identificari
identitate eis extrinsecæ: ergo
implicat distingui distinctione
extrinsecæ. Minor probatur. Ex
terminis unum alteri identifi-
cari, est esse intimum, & in-
ternum alteri per identitatem;
sed implicat unum esse alteri
intimum, & internum per idé-
tatem ratione identitatis ex-
trinsecæ extremis; quia sic
esset intrinsecum extrinsecè,
quod est implicatio in adjecto:
ergo implicat distinctio extrin-
secæ extremis distinctis.

Ex hucusque dictis patet,
sententiam Thomistarum R.R.
circa distinctionem rationis es-
se primò, quòd ultra distin-
ctionem virtuales, quæ in ob-
jecto datur à parte rei, vi cuius
intellectus præscindit objecti-
vè *animal à rationali*, datur
altera distinctio actualis, quæ
vocatur distinctio rationis. Hæc
distinctio actualis non est sub-
jectiva ex parte actus intelle-
ctus, & extrinsecæ objecto, sed
est objectiva, & objecto in-
trinsecæ. Tertio. Hæc distin-
ctio objectiva est ens rationis,
habens purum esse objectivū.
& fictum; quia fit ab intelle-
ctu per actum fingentem, &
difformem objecto, ut est in
se; quare fit per cognitionem
qua intellectus cognoscit, ut
actu distincta, quæ in se distin-
cta non sunt. Totum hoc cõ-
stat ex doctrina data à Magi-
stro

stro Palanco, & videre pote-
ris Complutenses; imò & P.
Suarium Thomistis assentien-
tem in Metaphysica disput. 7.
sect. 1. num. 7. ubi ait: *Ex
quo ulterius intelligitur distin-
ctionem rationis dupliciter dici
posse, primò intrinsecè, nimi-
rum, quia in se non est vera
distinctio, sed concepta solùm,
& à ratione conficta; & hæc
est propria distinctio rationis,
de qua loquimur &c.*

6. Hæc sententia po-
test iterum validè confirmari
rationibus. Sit prima: Ex anima-
li, & rationali, resultat com-
positio metaphysica rationis:
sed compositio est unio distin-
ctorum: ergo animal & ratio-
nale, distinguuntur per ratio-
nem, & objectivè. Patet con-
sequentia. Quia talis dicitur cõ-
positio, quales sunt ejus partes:
ergo si compositio metaphy-
sica est objectiva, & rationis;
animal & rationale, erunt ob-
jectivè distincta per rationem.

Confirmatur 1. Inter a-
nimal, & rationale objectivè
sumpta, datur relatio rationis:
sed hæc petit extrema distin-
cta actualiter, & sibi propor-
tionata: ergo animal & ratio-
nale, distinguuntur objectivè
distinctione rationis.

Secundò. Distinctio ratio-
nis est ens rationis: sed ens ra-
tionis resultat objectivè ex co-
gnitione præcisiva: ergo ex

præcisione objectiva animalis
à rationali resultat inter utrum-
que distinctio rationis purè ob-
jectiva.

Tertio juxta dicta quæst.
præcedente, prædicata contra-
dictoria non verificantur de a-
nimali & rationali, realiter
sumptis, sed sumptis præcisivè:
ergo quia ex vi præcisionis ha-
bent distinctionem, quam an-
tea non habebant: sed ante
præcisionem habebant distin-
ctionem virtuales: ergo post
præcisionem habent distinctio-
nem actualem rationis, & pu-
rè objectivam.

7. Secunda ratio sit
hæc: Inter animal & rationa-
le datur fundamentum distin-
ctionis rationis: ergo potest in-
tellectus cum fundamento illa
actu distinguere objectivè per
rationem. Patet consequentia,
quia aliàs daretur fundamen-
tum ad formam repugnantem.
Probatur antecedens, primò,
quia inter animal & rationa-
le, datur distinctio virtualis; hæc
est fundamentum distinctionis
rationis. Secundò, quia inter a-
nimal, & rationale datur fun-
damentum ad præcisionem ob-
jectivam: ergo & ad distin-
ctionem rationis. Tertio intel-
lectus habet fundamentum, ut
conciat animal, ut actualiter
distinctum à rationali: sed non
ut distinctum realiter actualiter:
ergo ut distinctum per rationem.

8. Tertia ratio fit hæc. Ut verificentur prædicata contradictoria, requiritur distinctio actualis: sed distinctio virtualis, quæ datur in animali, & rationali ante cognitionem, nõ est distinctio actualis: ergo ultra distinctionem virtuales obiecti, requiritur altera distinctio actualis. Non realis, ut probatum est quæst. 7. ergo rationis, & purè objectiva. Major multipliciter probatur: & primò sic. Ubi datur oppositio actualis, datur distinctio actualis: sed ubi verificantur actualiter contradictoria, datur oppositio actualis: ergo & distinctio actualis.

Secundò. Ubi unum non est actu aliud, datur actualis distinctio: sed ubi verificantur contradictoria, unum non est actualiter aliud: ergo ibi datur distinctio actualis. Terriò Animal ut præcisum à rationali, non est actualiter rationale: sed contradictoria verificantur de animali & rationali, ut præcisus: ergo de eis, ut actualiter distinctis. Sed nõ de eis ut actu distinctis realiter: ergo de eis, ut distinctis actualiter per rationem.

Hæc tertia ratio probat etiam in Divinis distinctionem rationis, quam non probat prima. Quia in Divinis non est compositio rationis, nec distinctio excludentis, & exclusi,

quæ datur in creatis. Ceterum quia in Divinis verificantur contradictoria, ut vidimus quæst. præcedenti; ista petant distinctionem actualem: non realè, sed rationis. Ob id D. Thomas, & B. Ægidius; nec non Ioannes Theologus in Concilio Florentino, & alij PP. recurrunt ad distinctionem rationis in Divinis. Nam de D. Thomas, & Ægidio, habes verba quæst. præcedente num. 4. De Ioanne Theologo ita habetur sess. 18. *Substantia, & Persona, re quidem sunt idem, secundum autem modum intellectus nostræ differre videntur.* Et sess. 19. ait: *Handquaquam putare debetis, quod re differant, quando quidem sola ratione, aut intelligentia differre credantur.* Damascenus p. de Fide capit. 11. loquens de Personalitate, & natura Divina, ait: *Quod autem in ea distinctum est, sola cogitatione distinguitur.* Sic loquitur P. August. 7. de Trinit. Cirillus lib. 11. Thesauri, & communiter alij PP.

§. II.

Quibusdam notatis, nostra sententia proponitur, & probatur:

9. **N**ON est nobis animus sententias antiquorum

rùm impugnare, sed explicare, & ad genuinum antiquorum DD. sensum restituere, cum eas aliquando inveniamus RR. machinationibus deturpatis. Talis est ista, de qua speciale institui quæstionem; nam cum apud PP. antiquos, & apud Theologiæ Principes, de quorum communi mente loquutus est Ioannes Theologus, pro Ecclesia Latina cum Græca disputando, & ibi statuerit in Divinis esse distinctionem rationis, qua salvatur mysterium Trinitatis, & aliæ locutiones, quæ concernunt mysteria gratiæ, Incarnationis, providentiæ &c. at RR. Theologi, & Philosophi, ita deformarunt distinctionem istam, ut meritò insurgant Scotistæ contra nos, dicentes non posse salvari in nostris principijs mysteria hæc sine recursum ad fictiones, ad monstra, & ad chimæras. Paret sequela, quia nos cum SS. PP. & Principibus Scholasticis, recurrimus ad distinctionem rationis: sed distinctio rationis, ut vidimus, est distinctio ficta à nostro intellectu, est ens rationis, & consequenter quid impossibile, & chimæricum: ergo sine recursum ad ad fictionem, chimæra, & ens rationis, non possumus salvare mysterium Trinitatis, Incarnationis, & alia.

Non sic certè, non est sic. Videant RR. qualem vim

habeat Scotistarum sequela; dum ponunt distinctionem rationis esse quid fictum; esse ens rationis; esse factam ab intellectu difformi objecto; ab intellectu cognoscente ut distincta, quæ distincta non sunt; ab intellectu fingente distinctionem ubi non est. His coloribus depingitur à RR. distinctio rationis; & quod mireris magis, his approbatur, & talibus probatur rationibus RR. ut supra vidimus. At non est talis distinctio rationis quam PP. antiqui, antiqui Theologiæ Principes, & Ecclesia Latina in Ioanne Theologo probavit pro Divinis mysterijs à nobis explicandis. Hanc quærimus, parati, si quis meliorem, & PP. conformiorem explicationem invenierit, nostram deponere.

10. Dicimus ergo, quòd ultra distinctionem virtuales, quæ in objecto est ante omnem considerationem intellectus, nulla altera est distinctio objectiva ante præcisionem, in præcisione, nec post præcisionem. Quare duo sunt tantum, quæ vocantur distinctio, unum est, distinctio virtualis objecti; alterum est præcisio nostra, & multiplicitas cognitionum, qua objectum per partes attingimus. Ultra hæc nil aliud est; & in his nulla est fictio, aut ens rationis. Distinctio virtualis est fundamentum præcisionis; præcisio est; & vocatur à PP. distinctio ra-

tionis; quare distinctio virtualis est fundamentum distinctionis rationis, quia fundamentum est præcisionis. Hæc præcisio si sit objectiva, ut in rebus corporeis, est distinctio rationis excludentis, & exclusi; si verò sit præcisio formalis, ut in Angelis, & præcipuè in Deo, est distinctio rationis penes implicitam, & explicitam. Nullibi autem est ens rationis, aut quid fictum; sed est distinctio actualis facta ab intellectu cum fundamento in re, quia præcisio siue formalis, siue objectiva, est actio intellectus, quæ habet fundamentum in re.

Hinc colliges distinctionem rationis in nostra sententia, non esse qualem posunt duæ sententiæ RR. supra laudatæ. Nã prima sententia nullam ex parte objecti agnoscit distinctionem adhuc virtualem; quare plenè negat adhuc in corporeis præcisionem objectivam. Nos autem adhuc in Deo, ubi est summa simplicitas, agnoscimus fundamentum distinctionis rationis, & præcisionis formalis. Et hoc est summa perfectio Dei, quæ non potest à nobis cognosci unica cognitione, sed multis, quare multiplicamus cognitiones, & nomina. Secunda autem sententia vult distinctionem rationis esse ens rationis, & quid fictum, etsi cum fundamento; quod resultat ex cognitione fingente distinctio-

nem, ubi non est; & se tenet ex parte objecti, ut contradictoria actu verificentur. Totum hoc negamus, & in sola præcisione sistimus sine alio superaddito, quod est planè superfluum, ut ostendemus.

Convenimus cum utraque sententia; quia cum prima fatemur, quòd per illas distinctas cognitiones præcisivas, sicut animal & rationale, denominantur extrinsecè cognita realiter; ita denominantur à cognitionibus extrinsecè realiter distincta. Nec impugnationes Magist. Palanco urgentes sunt, ut videbimus. Cum secunda sententia convenimus, quia agnoscimus distinctionem objectivam, & non purè subjectivam. At hæc distinctio objectiva, est sola distinctio virtualis, & non alia.

11. Sit ergo nostra conclusio *Distinctio rationis inter prædicata metaphysica creata, nil aliud est, quàm distinctio virtualis ex parte objecti, & præcisio objectiva, vel formalis ex parte intellectus.* Hanc putamus expressam sententiam PP. & antiquorum; & ne libera, nobis sit erroris occasio, Angelicum consulamus Doctorem, qui non obiter, & transeunter, sed ex professo, & diligenter, explicare intendit quid sit differre per rationem; quoniam ex hujus explicatione, pendet intelligentia omnium, quæ

quæ in Theologia tractantur de Deo. Audi S. Doctorem in 1. Sentent. distin. 2. quæst. 1. art. 3. ubi inquit, *Vtrum pluralitas rationum, quibus attributa differunt, sit tantum in intellectu, vel etiam in Deo?* Et cum teneat ibi attributa differre per rationem, ut hoc explicet, incipit sic corpus articuli. *Ad hujus rei evidentiam, ut diligenter explicetur, quia ex hoc pendet totus intellectus eorum, quæ in primolibro dicuntur, quatuor oportet videre. Primo quid sit ratio, secundam quam dicimus attributa ratione differre. Secundo, quomodo dicatur aliqua ratio in aliqua re esse vel non esse. Tertio utrum istæ rationes diversæ attributorum sint in Deo, vel non. Quarto, utrum pluralitas istarum rationum sit tantum ex parte intellectus nostri, vel aliquomodo ex parte rei.* Ecce quantum desiderare possumus promittit S. Doctor se operosè explicaturum. Nec melius sciri potest, quid sit differre ratione, quàm explicando quid sit ratio.

Audiamus à S. Doctore quid ratio sit. *Quantum ad primum (ait) sciendum est, quòd ratio prout hic sumitur, nihil aliud est, quàm id quod apprehendit intellectus de significatione alicujus nominis; & hoc in his quæ habent diffini-*

tionem, est ipsa rei diffinitio. Hinc patet, quòd ratio non est ipse actus intellectus, vel conceptus formalis, quia non est conceptio, sed res concepta, & per nomen significata; unde ibi subdit, *Nec tamen hoc nomen ratio significat ipsam conceptionem;* sed ut supra dixerat, significat, & *Est id, quod apprehendit intellectus;* sed intellectus non apprehendit suos actus, & conceptus formales, sed objectivos: ergo ratio non est actus intellectus, vel conceptus formalis.

Hinc habemus contra primam sententiam hæc conclusionem certam in D. Thoma. *Distinctio rationis non est purè extrinseca ab actibus intellectus* Probatum evidentem. Distingui per rationem, est distingui per id, quod est ratio, ut hic ratio sumitur: sed juxta D. Thomam ratio, ut hic sumitur, non est actus intellectus, nec conceptio ipsa formalis: ergo distingui per rationem non est distingui purè distinctione extrinseca, ab actibus intellectus desumpta formaliter. Hæc de quæstione cum prima sententia. Restat cum secunda litigare ante D. Thomam, & ab ejus ore suscipere decisionem, quia jam distinctio rationis se tenet ex parte objecti; nam ratio est id, quod apprehendit intellectus, & per nomen significatur, & tale est

objectum apprehensum, & significatum.

12. Dicimus quòd ratio est conceptus objectivus realis, quem intellectus format per suam conceptionem de re: quare ratio est in intellectu ut in subiecto; & est in re extra animam tanquam signum in suo significato. Ita D. Thomas ibi dicens: *Et ex hoc patet secundum, scilicet qualiter ratio dicitur esse in re, non enim hoc dicitur, quasi ipsa intentio, quæ significat nomen rationis, sit in re, aut etiam ipsa conceptio, cui convenit talis intentio, sit in re extra animam, cum sit in anima sicut in subiecto; sed dicitur esse in re, in quantum in re extra animam est aliquid quod respondet conceptioni anime, sicut significatum signo.*

Hinc habemus contra secundam sententiam hanc conclusionem certam in D. Thoma *Distinctio rationis non est ens rationis, quid fictum, aut purè objectivè existens in intellectu.* Probat clarissimè. Distingui per rationem, est distingui per id, quod est ratio, ut hic ratio sumitur: sed ratio ut hic sumitur à D. Thoma de mente PP. & DD. non est ens rationis, quid fictum, aut purè objectivè existens in intellectu: ergo distingui per rationem non est quid fictum, ens rationis, aut purè objecti-

vè existens in intellectu. Probat tur min. Ratio, ut hic sumitur, est subjectivè in intellectu; *Cum sit in anima ut in subiecto*, ut ait expressè D. Thomas: sed quod subjectivè est in intellectu, est quid reale. & non est ens rationis, quid fictum, aut purè objectivè in intellectu: ergo ratio, ut hic sumitur, non est ens rationis, quid fictum &c.

Rursus. Ratio ut hic sumitur, est signum, cui in re extra animam correspondet res significata, *Sicut significatum signo*: sed istud est conceptus objectivus formatus de re; non autem est ens rationis, quid fictum, aut purè objectivum: ergo distinctio rationis juxta D. Thomam non est ens rationis, quid fictum, aut purè objectivè existens. Major est D. Thomæ. Min. est certa, & infra ex D. Thoma probabitur, nunc à ratione sic. Res quæ est extra animam, non significatur per ens rationis, nec potest exprimi per nomina secundæ intentionis; benè verò per conceptus objectivos, & per nomina primæ intentionis, explicantia conceptus objectivos. *Homo* enim in re existens, solùm significatur per vocem *homo*, quæ est nomen primæ intentionis; non autem per nomen *genus*, *species*, aut alia nomina secundæ intentionis. Er-

go solùm significatur per conceptum objectivum *homo*, non autem per entia rationis, aut aliquam secundam intentionem.

Rursus. Ratio, ut hic sumitur, est id *Quod apprehendit intellectus de significatione alicujus nominis, & hoc in his quæ habent diffinitionem, est ipsa rei diffinitio*; v.g. *animal rationale* quod est diffinitio significata per nomen *homo*: atqui in nomine *homo* nullum ens rationis, aut quid fictum significatur, sed sola hominis essentia, quæ explicatur, & apprehenditur per conceptus objectivos *animal rationale*: ergo ratio ut hic sumitur, non est ens rationis, quid fictum, aut purè objectivum, sed sunt conceptus objectivi, de re concepta formati.

13. Rursus. Juxta D. Thomam ibi immediatè, *Hoc quod intellectus concipit, est similitudo rei existentis extra animam, sicut hoc quod concipitur de hoc nomine homo, & talis conceptio intellectus habet fundamentum in re immediatè.* Sed juxta D. Thomam ibidem, nullum ens rationis est similitudo rei extra animam, nec fundatur immediatè in re, sed mediatè: ergo hoc quod intellectus concipit de significato nominis *homo*, non est ens rationis, sed est conceptus ob-

jectivus immediatè fundatus in re, & objectiva similitudo hominis in re existentis. Sed juxta D. Thomam *Ratio ut hic sumitur, nihil aliud est, quàm id quod apprehendit intellectus de significatione alicujus nominis*: ergo ratio, ut hic sumitur, non est ens rationis, quid fictum, aut purè objectivum, sed est conceptus objectivus realis, subjectivè existens in intellectu, & in anima, ut in subiecto.

Hinc juxta D. Thomam distinguere attributa Dei per rationem, nihil aliud est, quàm multiplicare cognitiones, & cognoscere Deum per partes, formando unum conceptum objectivum de justitia, alterum de misericordia, alterum de intellectu, alterum de voluntate; & quia res eo modo nominamus quo concipimus, ideò multis nominibus justitiæ, misericordiæ, intellectus, voluntatis &c. nominamus esse Dei. Qua propter Deus, qui unica cognitione se plenè comprehendit, unico nomine se nominat, & inter attributa non distinguit. Quo vides, quàm alieni sunt à via D. Thomæ in hoc puncto, qui in reliquis plenè incedunt cum D. Thoma. Non enim S. Doctor dicit Deum non posse distinguere inter attributa, & nos posse, quia nos possumus fingere, *secus Deus*: sed quia nos non pos-

possimus unica cognitione cognoscere perfectionem Dei, bene verò Deus; ideò nos distinguimus, non autem Deus. Ergo distinctio rationis non consistit in esse ficto, nec est quid rationis, sed consistit in multiplicatione cognitionum, qua unicum objectum attingimus per partes cognitionibus præcisivis. Vide loco citato ad illa verba *Quantum ad quartum*, ubi invenies totam doctrinam istam; nec transcribimus hic verba D. Thomæ, quia oportebat totum articulum S. Doct. transcribere.

14. Ob id S. Doctor opusc. 56. dicit, *Est itaque universale unum unitate cognitionis*. Sensus hujus asserti est clarus, & conformis doctrinæ datæ. Nam universale est unum unitate rationis: sed eodem modo philosophandum est de unitate rationis, ac de distinctione rationis: ergo si distinctio rationis consistit in pluralitate cognitionum circa idem objectum; unitas rationis consistit in unitate cognitionis. Sed observa contra primam sententiam, verba ista debere intelligi *causaliter*, non *formaliter*. Ratio est ex D. Thoma ubi suprâ num. 11. Quia ratio, quæ formaliter dat unitatem, & distinctionem rationis, non est conceptio intellectus, sed res concepta: atqui actus intelle-

ctus non est res concepta, ut patet: ergo universale non est *formaliter* unum unitate cognitionis. Est tamen *causaliter*. Quia cognitio causat conceptum objectivum representantem naturam universalem, ut unam in multis: sed conceptus iste objectivus est ratio, quæ formaliter dat unitatem rationis, & distinctionem: ergo actus intellectus est *causaliter* unitas, vel distinctio rationis.

Hinc confirmantur ea, quæ cum D. Thoma diximus lib. 2. Logicæ quæst. 3. §. 2. ubi diximus, quod nullum datur ens rationis cum fundamento, nisi sola relatio rationis. Ibi dictum est, quod distinctio rationis, & unitas naturæ universalis, non est ens rationis. Hoc patet ex D. Thoma, quia unitas rationis est unitas conceptus objectivi realis; distinctio rationis est distinctio conceptus objectivi unius à conceptu objectivo alterius: at conceptus objectivi sunt quid reale: ergo distinctio rationis inter attributa, & inter prædicata metaphysica Dei, & creaturarum, non est ens rationis, nec unitas naturæ universalis; sed est unitas realis extrinseca, sumpta à conceptu objectivo reali.

15. Nec contrarium ulli insinuat D. Thomas; si enim aliquando videtur dicere oppositum, id maximè videtur

tur opusc. 48. cap. 4. ubi ait: *Et sic licet unitas generis sit unitas rationis, tamen aliquomodo habet fundari in uno secundum rem*. Non est hic D. Thomas sibi, & nobis contrarius, sed conformis. Nam hic non loquitur de unitate secundæ intentionis generis, quæ est passio entis rationis; sed loquitur de unitate naturæ genericæ, v.g. de unitate animalitatis. De hac dicit esse unitatem rationis, & *Fundari in uno secundum rem*; non quia unitas fundans sit realis, & unitas fundata sit ens rationis, ut intelligunt DD. secundæ sententiæ: sed sensus est, quod utraque est realis, sed unitas fundans est realis physicè in re extra animam; unitas fundata est realis intentionalis *In anima ut in subjecto*, quia est unitas conceptus objectivi realis, qui juxta D. Thomam est ratio, ut hic sumitur. Et quia non possumus formare conceptum unicum objectivum naturæ, nisi natura in re extrâ habeat unitatem aliquomodo, quæ est fundamentum unitatis objectivæ; sicut nec possumus distinguere conceptus objectivos, & præscindere formalitates, nisi detur distinctio virtualis, quæ est aliquomodo distinctio in re: ideò unitas rationis *Generis habet aliquomodo fundari in uno secundum rem*.

16. Hanc doctrinam ex D. Thoma datam, plenè invenies in nostro *Ægidio* in 1. Sent. distinct. 2. quæst. 1. art. ultimo, quam ibi confirmat ex S. Anselmo in Prologo, ut videas hanc esse mentem SS. & antiquorum. Omittimus transcribere verba, quoniam integer articulus foret transcribendus. Vide etiam ibidem totum articulum tertium, ubi probat Doctor noster intellectum distinguentem Divina attributa, non esse vanum, casum, aut falsum, sed plenè conformem objecto in re, licet deficiat à modo objecti, quia unica cognitione non potest objectum attingere, sed multiplicando cognitiones, & nomina. Hæc eadem doctrina traditur à P. Augustino 7. de Trinitate, & multis alijs locis, ubi omnem nominum veritatem, & distinctionem, quibus explicamus *Simplicem multiplicitem Dei, & multiplicem simplicitatem*, reducit S. Doctor in superexcellentem excellentiam Dei, quam nisi per volubiles, & multiplices cognitiones, non possumus attingere. Quapropter explicatio distinctionis rationis data à D. Thoma, est uniformis sanctorum Patrum intelligentia. Tali, ac tanto fundamento recedimus ab expositione communi Recentiorum.

Veniamus ad rationes: & ne verba multiplicemus, notamus quòd nomine distinctionis rationis intelligimus distinctionem fictam, quæ sit ens rationis, & purè objectiva, resultans ex præcisione objectiva, ut volunt Thomistæ, & DD. secundæ sententiæ. At nostram, & antiquorum distinctionem rationis, suprâ explicatam ex D. Thoma, appellabimus præcisionem, aut distinctionem realem extrinsecam. Hoc notato.

17. Prima ratio sit: Unitas, & distinctio, sunt passionis entis cum eo commensurata, & quæ ipsum comitantur: ergo animal & rationale, non distinguuntur per rationem, sed distinctione præcisiva, & reali extrinseca. Probatur consequentia. Hoc ipso, quòd unitas, & distinctio sint passionis entis, cum ipso commensurata, unitas, & distinctio realis, sunt passionis entis realis; unitas, & distinctio rationis solum convenientur enti rationis: sed animal & rationale, ut sunt gradus metaphysici, & primò intentionaliter sumuntur, non sunt entia rationis, sed reales formalitates identificatae realiter, & distinctæ virtualiter objectivè in se: ergo hoc ipso quòd unitas, & distinctio sint passionis entis, cum ipso commensurata, animal & rationa-

le non distinguuntur per rationem. Min. & consequentia tenet, & major est certa; quia enti reali non possunt commensurari passionis rationis, nec enti rationis passionis reales: quare ens reale debet habere passionis reales; ens rationis passionis rationis.

Confirmatur 1. Duo entia rationis non possunt esse unum unitate reali, nec distinguuntur distinctione reali; alioquin quod in se realiter non est, posset esse realiter unum, & realiter non esse aliud; quod est clara implicatio: ergo duæ formalitates reales non possunt esse unum per rationem, nec distinguuntur per rationem. Patet consequentia à paritate; & etiam à ratione; quia idè implicat primum, quoniam unitas, & distinctio est passio entis, cum eo commensurata; nec passionis reales commensurantur cum ente rationis: at qui unitas, & distinctio rationis non commensurantur cum formalitate reali, ut patet: ergo sicut implicat duo entia rationis distinguuntur realiter; ita implicat duas formalitates reales distinguuntur per rationem: sed animal & rationale sunt formalitates reales, ut patet, sicut in Deo iustitia, misericordia, & alia prædicata Divina: ergo nec gradus metaphysici in creatis; nec attributa, & prædicata

Dei

Dei, distinguuntur per rationem.

Confirmatur 2. ad hominem contra DD. secundæ sententiæ. Per vos repugnat distinctio, quæ sit extrinseca extremis immediatè distinctis, sed distinctio rationis non potest esse intrinseca, sed extrinseca attributis realibus Dei, & gradibus metaphysicis creaturarum: ergo si verum est principium veritatis, gradus metaphysici, & attributa Dei, non possunt distinguuntur per rationem. Major constat ex dictis num. 5. de mente secundæ sententiæ, & sibi multis probatur. Nunc autem minor probatur facile. Realibus, & veris formalitatibus nequit esse intrinsecum id quod est ens rationis, & fictum, ut patet: sed per vos distinctio rationis est ens rationis purè objectivum, & quid fictum: ergo distinctio rationis nequit esse intrinseca, sed extrinseca attributis realibus Dei &c.

Confirmatur 3. Si distinctio rationis inter gradus metaphysicos datur, illa vel est ens rationis cum fundamento, vel sine fundamento. Si secundum? Ergo vanè fingitur, & pro libito sine ulla necessitate. Si primum? Ergo non est distinctio ficta; immò nec est ens rationis. Prima sequela latè probata est libro 2. Logicæ quæst. 2. totis §§. 4. 5. & 6.

ubi ostensum est, quòd omne ens rationis cum fundamento consistit in esse vero, & sit sine fictione aliqua. Secunda sequela constat ex dictis tota quæstione 3. ejusdem libri, ubi probatum est, quòd sola relatio rationis est ens rationis cum fundamento; distinctio autem rationis non est relatio, quia relatio supponit distinctionem inter extrema, & solum inter Personas Divinas est distinctiva, quia solum inter eas est constitutiva. Quo jam vides sententiam ponentem distinctionem rationis cum fundamento in re esse fictam, sibi contradicere, si vera sunt quæ diximus libro 2.

18. Secunda ratio nostra sit titulo superfluitatis. Idè juxta DD. secundæ sententiæ ponitur distinctio rationis inter gradus metaphysicos (idem dic inter Divina attributa, & relationes) quia necessaria est ad salvanda contradictoria: sed ad hoc necessaria non est: ergo titulo superfluitatis rejicienda est distinctio rationis. Probatur min. Contradictoria, vel verificantur in sensu reali, vel in sensu præcisivo. Si primum? Ergo inutilis est distinctio rationis. Patet consequentia ex dictis quæst. 8. præcedenti, n. 3. ubi probatum est ex P. Augusti, quòd contradictoria in sensu reali petunt distinctionem

N n

rea

realem entitativam: sed ubi est necessaria distinctio realis, inutilis est distinctio rationis, ut patet: ergo pro contradictorijs in sensu reali, inutilis est. Si secundum? Est etiam inutilis.

Probatur hoc. Antecedenter ad distinctionem rationis verificantur contradictoria: ergo pro eis verificandis inutilis est. Patet consequentia Quid affert distinctio posterior pro contradictorijs, verificatis in signo antecedenti? Certè nihil. Nam pro signo oppositionis debet esse distinctio; & oppositio datur in signo duplicis contradictorij. Hæc sunt contradictoria in sensu præcisivo *Cognosci, & non cognosci*: sed ante omnem distinctionem rationis, in vi solius distinctionis virtualis inter animal & rationale, verificatur unum cognosci, & aliud non cognosci: ergo antecedenter ad omnem distinctionem rationis verificantur contradictoria præcisiva. Min. est certa, quia distinctio rationis non datur in signo præcisionis, & cognitionis directæ, sed in posteriori, quia fit, & cognoscitur juxta suos auctores per cognitionem reflexam, sicut alia entia rationis.

Explicatur. Distinctio vestra rationis facta, aut ficta ab intellectu, vel fit per cognitionem directam, vel per reflexam.

Non per directam; quia ens rationis est secunda intentio objectiva, & sic terminus secundæ intentionis formalis, quæ est cognitio reflexa. Rursum per vos ens rationis non fit, nisi dum practicè cognoscitur; quare distinctio rationis non fit, nisi dum practicè cognoscuntur extrema, ut distincta per rationem. Sed cognitio directæ non cognoscit extrema, ut distincta per rationem; immò licet sit præcisiva, non cognoscit extrema ut præcisiva; quia hoc est reflexio; & cognitio directæ, ut directæ, non reflectitur: ergo restat quòd distinctio rationis non fit per cognitionem directam, sed per reflexam, quæ datur in signo sequenti ad directam. Ergo in signo cognitionis directæ non datur distinctio rationis, sed in posteriori. Atqui in signo cognitionis directæ dantur contradictoria *Cognosci, & non cognosci*, cum pro eo detur præcisio objectiva, vel formalis: ergo pro signo antecedenti ad distinctionem rationis, & sic independentem ab ea, verificantur contradictoria.

Urgetur. Animal esse rationem conveniendi, & rationale non esse rationem conveniendi sunt contradictoria, quæ verificantur in sensu præcisivo, ut quæst. præcedente dictum est. At ista verificantur ante om-

omnem distinctionem rationis: ergo idem quod prius. Probatur min. Pro eo signo, quo animal concipitur præcisivè à rationali, animal est ratio conveniendi, rationale est ratio disconveniendi: sed signum præcisionis datur ante distinctionem rationis, ut supra probatum est: ergo talia contradictoria verificantur ante distinctionem rationis. Idem dic de omnibus alijs contradictorijs præcisivis.

Confirmatur, & simul datur ratio à priori hujus argumenti. Ea solùm distinctio sufficit ad verificanda contradictoria in sensu præcisivo, quæ sufficit ad præcisionem unius ab alio: sed ut præscindatur animal à rationale, non est necessaria distinctio rationis, sed sufficit virtualis, quæ datur in re; immò implicat quòd distinctio rationis posterior ad præcisionem, sit requisita ad præcisionem; cum prius non dependeat à posteriori: ergo ad contradictoria in sensu præcisivo non est necessaria distinctio rationis. Major videtur certa; nam per hoc præcisè quòd unum præscindatur ab alio, ponitur in statu præcisivo; status iste ponit extrema capacia contradictorij. Et patet exemplo. Per hoc præcisè quòd animal præscinditur à rationali, habet omni alio secluso,

so, quòd sit ratio perfecta conveniendi, & rationale perfecta ratio disconveniendi: ergo ea solùm distinctio &c.

19. Tertia ratio nostra sit. Stante distinctione virtuali in re, stat quidquid requiritur ad præcisionem formalem vel objectivam: ergo ea stante, ad nihil deservit distinctio rationis secundæ sententiæ. Probatur consequentia. Tota ratio distinguendi per rationem attributa, est attingere per partes; quod non possumus unica cognitione; item est explicare diversis nominibus, quod uno non valemus; ac tandem salvare contradictorias locutiones, de quibus in antecedentibus dictum est: at totum hoc salvatur sine distinctione rationis, per solam distinctionem virtualem: ergo si stante distinctione virtuali, stat quòd requiritur ad præcisionem, ad nihil deservit distinctio rationis. Prob. min. Per solam distinctionem virtualem habemus quòd requiritur ad præcisionem; sed præscindere est attingere per partes, ut patet: ergo per solam distinctionem virtualem habemus posse attingere per partes. Habemus etiã nomina multiplicare; quia sic nominamus, sicut cognoscimus: ergo distinctio virtualis, quæ sufficit ad cognitiones multiplicandas, sufficit ad multiplicandas nomina. Habemus tandem

dem verificationem contradictionis; quia hæc, ut vidimus consistit in multiplicitate nominum, ut dictum est quæst. præcedenti, num. 8. ergo in sola distinctione virtuali salvatur quidquid secunda sententia contendit in distinctione rationis.

Confirmatur. Distinctio virtualis plus potest, quam distinctio rationis: ergo stante virtuali, altera superfluit. Probatur antecedens. Distinctio rationis nec formaliter est distinctio realis, nec æquivalenter; cum nullum ens rationis æquivalet enti reali: sed distinctio virtualis æquivalet distinctioni reali quoad verificationem contradictionis: ergo distinctio virtualis plus potest, quam distinctio rationis. Patet consequentia. Quia plus potest distinguere, & concernere contradictionem, quod æquivalet distinctioni reali, quam quod ita imperfectum, & nihil est, ut non possit æquivalere.

Confirmatur 2. Vel distinctio virtualis non est distinctio virtualis, vel ea stante non requiritur distinctio rationis: at est per vos virtualis: ergo altera superfluit. Distinctio virtualis est talis, quia habet virtutem distinctionis realis quoad contradictionem; sicut calor piperis est virtualis, quia habet virtutem calefaciendi:

sed si virtualis habet virtutem distinctionis realis quoad verificanda contradictoria, superfluit altera distinctio pro contradictorijs, & alijs supra numeratis: ergo &c.

§. III.

Expenduntur fundamenta contraria.

20. **H**ABEMUS contra nos fundamenta secundæ sententiæ; nam de fundamentis primæ vel nullum contra nos est, vel id solvitur ex doctrina data quæst. 6. hujus libri pro præcisionibus objectivis. Id observa quod nos non negamus distinctionem rationis, qualem D. Thomas, B. Ægidius, & antiqui Patres docuerant; sed negamus qualem secunda sententia laudata, & explicata docet. Hinc sicut in rationibus probativis factum est, negavimus absolute distinctionem rationis; quod semper intelligas, velim, de distinctione ficta, quæ est ens rationis, & pure objectiva.

Hoc notato. Ad primum fundamentum secundæ sententiæ, positum num. 3. nego maj. nego quod præcisio objectiva sit distinctio rationis in hoc sensu. Est enim quid prius ad distinctionem rationis, ut pro-

probatum est num. 18. Ad applicationem fundamenti, concedo primum enthymema; & nego min. subsumptam; nam quæ præscindunt objective, nõ separantur per rationem in sensu secundæ sententiæ, sed in sensu nostræ, quare non distinguuntur per rationem distinctione ficta, sed distinctione nostra vera. Id ostendimus sic.

Quæ præscindunt objective v.g. *animal à rationali*, representantur diversis conceptibus objectivis: sed conceptus objectivi sunt ratio, ut hinc sumitur cum D. Thoma: ergo talia separantur per rationem, & sic distinguuntur distinctione illa nostra. At non sic de distinctione ficta. Quia dum sic præscinduntur, nulla datur fictio, aut ens rationis: ergo dum præcisione separantur, non separantur per fictionem, aut per ens rationis. At ratio, & distingui per rationem, ut sumitur à secunda sententia, est fictio, aut distingui per fictionem: ergo quæ præscindunt objective, non separantur sic per rationem. Ex quo vides, quod fundamentum secundæ sententiæ non probat suum assertum, sed nostrum.

Ad primam confirmationem omitto maj. & nego min. quoad secundam partem, nego quod actus intellectus præscindens animal à rationali, repræ-

sentet distinctionem unius ab alio. Nam vel repræsentat distinctionem realem; & tunc cognitio foret falsa, nec ad hoc repræsentandum datur ullum fundamentum. Vel repræsentaret distinctionem virtualem; & hoc non esset repræsentare fictionem, quia verè ibi est; licet non repræsentetur. Vel repræsentaret distinctionem rationis; & hoc non potest, quia solum datur pro posteriori ad cognitionem præcisivam, ut dictum est. Ergo nisi falso, & sine fundamento, non potest cognitio præscindens animal, repræsentare distinctionem ejus à rationali. Ad probationem min. disting. maj. Actus, qui repræsentative distinguit animal à rationali, repræsentat distinctionem animalis à rationali; repræsentative dicente repræsentationem unius, & non alterius, nego maj. quia cognitio animalis sic distinguit, repræsentans animal, & non repræsentans rationale; ac distinctio illa fit à cognitione, non repræsentatur à cognitione. Ly repræsentative dicente repræsentationem distinctionis, sicut Cæsar repræsentative, dicit repræsentationem Cæsaris, concedo maj. sed in hoc sensu nego min. quia actus attingens animal, non repræsentat distinctionem ejus à rationale: unde in hoc sensu non distinguit repræsentative. Ad

Ad probationem hujus ultimæ minoris, concedo maj. & mio. & nego consequentiam quæ non sequitur, sicut nec valet probatio minoris, de qua postea. Fatemur quòd intellectus præscindens animal, aliquomodo distinguit illud à rationali; admittimus non distinguere illud entitativè à rationali, quod de distinctione intrinseca verum est, de extrinseca falsum, ut dicemus: at inde non sequitur consequentia hæc: ergo *Distinguit representativè*, sumpto *ly representativè* pro actu representante distinctionem. Distinguit quidem in nostro sensu representativè, quatenus conceptus objectivus *animal*, representat animalitatem, & non rationalitatem; ecce separatio, & distinctio representativa: ceterùm distinctio ista *quod* non representatur per conceptum illum, sed causatur formaliter per illum, quia conceptus objectivi sunt ratio; & distingui per conceptus objectivos, est distingui per rationem; quare actus præscindens distinguit *effectivè*; & conceptus objectivus distinguit *formaliter*, & *objectivè*, ut dictum est. Ceterùm in hoc nulla fictio, ens rationis, aut quid fictum est, sed omnia sunt realissima; cùm conceptus objectivi sint reales, & objecta per eos representata realia sint.

21. Ad explicationem primæ confirmationis disting. antecedens. Distinctio rationis non est actus intellectus, non est *formaliter*, concedo antecedens, non est *causaliter*, & *effectivè*, nego antecedens, & disting. consequens; ergo est objectiva, & representata per actum intellectus, representata *effectivè*, concedo consequentiam, formaliter, nego consequentiam. Suprà num. 21. probatum est ex D. Thoma contra primam sententiam quòd distingui per rationem, non est distingui per actus intellectus; quia actus ille non est ratio, ut hic ratio sumitur. Est ergo distingui per conceptus objectivos; & cùm actus intellectus sint causa conceptuum objectivorum; ideo distingui per rationem, est distingui causaliter per actus intellectus, sed non formaliter. Habetur ergo distinctio rationis formaliter per conceptus objectivos; quare distinctio rationis est objectiva. Et dum contendis hanc representari per actus intellectus, dico quòd actus intellectus non representant illam distinctionem formaliter, sed causaliter; quia sicut causant conceptus objectivos, in quibus formaliter consistit distinctio, ita causaliter representant illos, & distinctionem rationis, in eis consistentem. Sed proprie lo-

loquendo, *nec causaliter* representant talem distinctionem, quia representare causaliter, est causare aliquid representativè formaliter: sed actus intellectus, qui causant conceptus objectivos, non causant aliquid representativum distinctionis rationis; cùm conceptus objectivi non representent distinctionem rationis, ut dictum est: ergo nec causaliter representatur distinctio rationis ab actibus intellectus. Quare neganda est in rigore consequentia quoad secundam partem.

Dices. Si distinctio rationis non representatur à conceptibus formalibus, nec ab objectivis; quomodo intellectus cognoscit distinctionem rationis animalis à rationali? Respondemus, quòd cognoscit illam in ipsis conceptibus objectivis reflexè attentis. *Representare ex terminis est Rem distinctam præsentem facere.* Nemo enim se ipsum representat; sed aliud distinctum, & absens. Sed conceptus objectivi sunt formaliter ipsa distinctio rationis: ergo non representant illam. Quare intellectus reflexè cognoscens conceptus objectivos animalis, & rationalis, videt in eis distinctionem rationis, sed videt distinctionem in se ipsa, non in medio distincto representante. Ut ergo argumentum probet quòd ia-

tendit, loquitur de distinctione ficta, distincta ab actibus intellectus, & conceptibus objectivis, & representata per illos. Hanc negamus, & negamus etiam, quòd distinctio per conceptus hoc sensu representetur. Non enim conceptus objectivi sunt representatio distinctionis, sed sunt ipsa distinctio; quæ in se ipsa cognoscitur ab intellectu, non in medio distincto representante illam.

22. In dicta explicatione primæ confirmationis sunt tres breves probationes antecedentis, quarum solutio continet doctrinam pro nostra sententia utilissimam, & ideo operosius explicandam. Ad primam concedo maj. & disting. mio. distinctio rationis non est realis, realis intrinseca, concedo mio. realis extrinseca, nego mio. & disting. consequens; ergo distinctio rationis non est actus intellectus præcisè, concedo consequentiam, non est actus intellectus, nec conceptus objectivus, nego consequentiam. Fatemur cum D. Thoma contra primam sententiam allegato num. 11. quòd distinctio rationis non est actus intellectus. Quare omnes probationes antecedentis, quatenus contendunt hoc, non sunt contra nos, sed contra DD. primæ sententiæ. Ceterùm, quia mutatis terminis impugnatur etiã di-

distinctio nostra rationis, consistens in conceptibus objectivis; ideo tenemur respondere, & doctrinam dare pro conclusione nostra.

Fatemur, quod conceptus objectivus est realis; unde distinctio formaliter sumpta à conceptibus objectivis est realis. **Quæritur**, quomodo distinctio rationis potest esse realis? **Respondetur** quod est realis extrinseca, non est realis intrinseca. **Distinctio rationis** juxta D. Thomam, & B. Aegidium, non dicitur rationis, quia sit ens rationis habens esse purè objectivum in intellectu, sed dicitur rationis, quia sit causaliter per actus intellectus, & formaliter per conceptus objectivos, qui sunt quid reale; quare est distinctio realis intentionalis. **Non tamè est distinctio realis intrinseca objecto**, sed extrinseca; quia sicut denominatio cogniti est extrinseca objecto cognito, quia provenit à cognitione, quæ non est in objecto cognito, sed in intellectu cognoscente: sic distinctio proveniens à conceptibus objectivis, est extrinseca objecto cognito, quia non est à forma, quæ sit in objecto, sed in intellectu cognoscente. **Quare licet objectum in se sit incapax distinctionis realis intrinsece, est capax distinctionis extrinsece**, quia ad hoc sufficit posse cognosci, & repræ-

sentari diversis cognitionibus.

Patet hoc exemplis. **Duo entia rationis non possunt distingui distinctione reali intrinseca**, ut probatum est num. 17. **Ceterum quia possunt cognosci distinctis cognitionibus realiter entitativè diversis, & per illas repræsentari**, ideo tunc distinguuntur realiter extrinsece distinctione cognitionum. **Petrus non distinguitur realiter intrinsece à se ipso**; tamen quia potest cognosci à te, & à me per diversas cognitiones, ideo ut cognitus à te, distinguitur realiter extrinsece à se ipso, ut cognito à me. **En quomodo distinctio realis extrinseca convenit objecto incapaci distinctionis realis intrinsece**. **Hoc modo dicimus quod animal, & rationale, quæ incapacia sunt distinctionis realis intrinsece**. **Distinguuntur per rationem; & distinctio ista est realis extrinseca; & contraponitur distinctioni reali dupliciter**. **Primo, quia distinctio quæ absolute vocatur realis est realis physica; distinctio verò rationis est distinctio intèntionalis**. **Secundo, quia hæc est realis extrinseca; illa verò intrinseca**.

23. **Ad 2. probationem antecedentis disting. maj.** **Distinctio realis est simpliciter talis, si sit intrinseca, concedo; si purè extrinseca, nego maj. & concessa min. nego consequ.**

quentiam in sensu causali. **Fatemur** (ut diximus) quod distinctio rationis non est formaliter ab actibus intellectus, sed causaliter: ceterum est formaliter à conceptibus objectivis, & sic est realis extrinseca. **Ceterum talis non est distinctio simpliciter, sed secundum quid; quia ut exemplis monstratum est, duo entia rationis, quæ solùm secundum quid habent esse, possunt tamen distingui realiter extrinsece: ergo quia distinctio realis extrinseca non est talis simpliciter, sed secundum quid**.

Ad 3. probationem antecedentis concessis præmissis disting. consequens: ergo datur distinctio rationis purè objectiva, inter formalitates reales, nego consequentiam: inter entia rationis, concedo consequentiam. **Tota probatio tertia antecedentis est pro nobis, & ex ea probavimus num. 17. conclusionem nostram**. **Dum animal præscinditur à rationali, ibi duo est considerare scilicet formalitates, animal & rationale; rursus secundæ intentiones generis, & differentie, quæ in illis fundantur**. **Distinctio rationis, quæ est purè objectiva, convenit entibus rationalibus, quia eorum passio est: atqui solæ secundæ intentiones generis & differentie, sunt entia rationis, non autem forma-**

litates animal, & rationale: ergo solæ intentiones generis, & differentie distinguuntur distinctione purè objectiva rationis, vel distinctione, quæ sit ens rationis; secus animal & rationale, quæ sunt formalitates reales; idem dic de Divinis attributis.

Dices. **Ergo jam concedimus duas species distinctionis rationis, unam, quæ coexistit in præcisione objectiva, & est realis extrinseca; alteram quæ est purè objectiva, & est ens rationis**. **Ergo perperam lib. 2. Logicæ quæst. 3. negavimus, quod distinctio rationis sit ens rationis cum fundamento**. **Respondemus, quod cum distinctio sit passio entis; si datur duplex ens, unum reale, aliud rationis, debet dari duplex distinctio, una realis, altera, quæ sit purè rationis, & purè objectiva: nec in hoc sensu unquam negata est à nobis**. **Negatum est semper attributa realia, & reales formalitates distingui per rationem ea distinctione purè objectiva, & quæ sit ens rationis**. **Ceterum ex eodem principio semper patet duo entia rationis, quæ solùm habent esse purè objectivum, distingui purè objectivè distinctione, quæ est ens rationis**. **Dum ergo quæst. 3. negatum est distinctionem rationis esse ens rationis cum fundamento, du-**

plici sensu negatum est. Primo loquendo de distinctione inter gradus metaphysicos, quæ dicitur distinctio rationis, de hac negatum est, & nunc negamus esse ens rationis, ut probatum est. Secundo loquendo de distinctione inter duo entia rationis, negatum est, non quod absolute sit ens rationis, sed quod sit ens rationis distinctum à relatione, quam ibi diximus esse ens rationis cum fundamento.

Hoc ostenditur. Relatio generis per se ipsam, & sine ente rationis distincto, distinguitur à relatione speciei: ergo distinctio rationis, quæ versatur inter duo entia rationis, non est ens rationis distinctum ab extremis distinctis. Probatur antecedens. Relatio generis per se ipsam est una in se sine additione entis rationis, quo fiat una: sed unum est *Indivisum*, & *indivisum in se*, & *distinctum à quolibet alio*: ergo relatio generis per se ipsam &c. Urgetur. Si relatio generis foret una, & distincta ab alijs, per unitatem, quæ foret ens rationis distinctum, daretur processus in infinitum: sed juxta Philosophum, dum proceditur in infinitum, standum est in primis: ergo relatio generis per se ipsam est una, & distincta ab alijs relationibus. Probatur maj. Nam si relatio ge-

neris foret una per unitatem distinctam; illa unitas distincta foret ens rationis, & unum: ergo esset unum per unitatem distinctam: & cum de hac tertia sit idem argumentum, datur processus in infinitum. Tandem. Unitas, & distinctio entis realis, non est ens reale distinctum ab ente cujus est passio, sed ut dicitur in *Metaphysica*, unitas addit supra eus solam negationem: ergo unitas, & distinctio entis rationis, non est ens rationis distinctum ab ente, cujus est passio.

24. Ad 2. confirmationem primi fundamenti concessis præmissis disting. consequens: ergo per hanc cognitionem *animal*, & *rationalis*, repræsentantur ut objective distincta, purè objective, nego consequentiam, objective distincta realiter extrinsecè, concedo consequentiam. Et quidè hæc cognitio *Petrus* & *Paulus*, non repræsentat eos distinctos per rationem, sed distinctos entitative: ergo nec cognitio ista *animal* & *rationalis*, repræsentat ea distincta per rationem, sed in se distincta virtualiter, & in conceptibus objectivis ut distincta realiter extrinsecè. Unde hinc non probatur distinctio rationis purè objectiva, & quæ sit ens rationis.

Ad 3. confirmationem, ne-

nego maj. Nego quod actus ille *animal* & *rationalis*, sit difformis objecto; sicut difformis non est iste *Iustitia Dei*, & *misericordia*; *intellectus*, & *voluntas*. Vide D. Thomam, & B. Egidium locis citatis, contententes intellectum nostram non esse fallum, vanum, aut difformem objecto, dū multiplicat nomina, & conceptus perfectionis Divinæ; cujus contrarium contendit secunda sententia in hac probatione sua. Dicimus quod actus iste *animal* & *rationalis*, non est difformis objecto, quia non repræsentat illa ut distincta realiter intrinsecè; sed ut in se virtualiter intrinsecè distincta; & distincta realiter extrinsecè distinctione sumpta à conceptibus objectivis. Atqui objectum sic se habet: ergo cognitio est plenè conformis objecto, & sic vera, & nihil fingens.

25. Ad illationem Magistri Palanco positam num. 4. contra eos qui defendendo præcisiones objectivas, dicunt quod distinctio animalis à rationali est extrinseca, desumpta ab actibus intellectus; dicimus tales Doctores procedere consequenter, & juxta sensum D. Thomæ, & nostri Egidij, hoc solo excepto, quod distinctio rationis, quæ est realis extrinseca, non sumitur formaliter ab actibus intellectus, sed à concepti-

bus objectivis, ut ex D. Thomæ probatum est num. 11. in reliquis optimè philosophantur. Nec urgent impugnationes ibi positæ à Magistro prælaudato.

Ad primam dicimus probare quod distinctio rationis non est formaliter ab actibus intellectus, quia cum præcisio objectiva, sit distinctio ex parte objecti, debet esse distinctio formaliter proveniens à conceptibus objectivis, ubi est objectum, & existit objective, & repræsentatione objectiva. Præcisio objectiva consistit in eo quod conceptus objectivus *animal* plenè excludat *rationalis*: atqui hæc distinctio objectiva utriusque formalitatis est distinctio formaliter proveniens à conceptibus objectivis diversis realiter: ergo præcisio objectiva est distinctio realis extrinseca, ut dicebat prima sententia; nec quoad hoc bene impugnatur, sed solum quatenus hanc distinctionem extrinsecam ponunt formaliter provenire ab actibus intellectus, qui sunt conceptus formales.

Ad 2. nego maj. quoad primam partem, nego quod actus intellectus repræsentent distinctionem rationis, non repræsentant, sed causant, ut dictum est num. 21. concedo secundam partem, scilicet quod distinctio rationis non est formaliter, sed causaliter actus

intellectus. nego min. Scilicet quod distinctio rationis sit intrinseca objecto. Quomodo distinctio ficta, & quæ in vestris principijs est ens rationis, potest esse intrinseca Deo, Divinis predicatis, & constitutivis reallibus creaturæ? Certè hoc est impossibile, ut probatum est num. 17. restat ergo quod sit extrinseca objecto, & realis intentionalis, sumpta à conceptibus objectivis.

Ad 1. admitto maj. nam distinctio inter animal & rationale provenit à conceptibus objectivis, & illi differunt à cognitione, tanquam effectus à causa, unde est distinctio inter ea, ut distincta à cognitione. Nego autem min. quia non sequitur quod sit distinctio intrinseca, sed extrinseca, ut probatum est. Ad probationem maj. concessa maj. de distinctione reali extrinseca, disting. min. Distinctio rationis non versatur inter extrema realiter distincta, distinctio ficta rationis, & quæ est ens rationis, concedo min. distinctio propria rationis subdisting. inter realiter distincta extrinsecè, nego min. inter realiter intrinsecè distincta, omitto min. & nego consequentiam. Distinctio rationis apud hos autores impugnatos à Magistro Palanco, est distinctio realis extrinseca: ergo sicut distinctio rationis

versatur inter extremã per rationem distincta, versatur inter extrema realiter extrinsecè distincta.

26. Ad primam confirmationem concedimus maj. sed negamus causalem majoris. Subjectum visum, à se ipso amato, distinguitur realiter extrinsecè, quia visio, & amor sunt formæ realiter distinctæ; sed non distinguuntur per rationem, quia juxta D. Thomam num. 11. laudatum, visio, & amor, non sunt ratio, ut hic sumitur, nam hæc est *Id quod apprehendit intellectus de significatione nominis*. Tales sunt conceptus objectivi, non visio, aut amor. Quare causalis data in confirmatione non est vera. Cum ergo conceptus objectivi sint ratio, ut hic sumitur; quæ differunt per conceptus objectivos, differunt per rationem; secus quæ differunt per visionem, amorem, & alias formas extrinsecas, quæ non sunt ratio.

Ad 2. confirmationem disting. maj. sunt identicè, & materialiter, concedo major. formaliter, & reduplicativè, nego maj. extrema quæ distinguuntur per rationem, sunt animal, & rationale, quæ à parte rei identificantur; at non ut identificantur, distinguuntur per rationem; quia formaliter est diversus status animalis, & ratio-

tionalis, ille ubi identificantur, ac ille ubi distinguuntur. Identificantur à parte rei extra animã; distinguuntur per rationem intra animam. Et cum status intra animam sit præcisivus, in eo nec est identitas realis, nec distinctio realis, sed ab utroque præciadit.

Ad 3. confirmationem nego maj. nego quod repugnet distinctio extrinseca extremis. Immo si Palanco velit nos cedere ipsi hoc repugnare, inde inferimus, quod formalitates reales, & Divina attributa inter se distinguantur per rationem, vide dicta num. 17. Ad primam probationem maj. dic quod distinctio intrinseca est passio entis; secus unitas, & distinctio extrinseca rationis, quæ est unitas cognitionis, aut cognitionum multiplicitas. Prætereà: Si unitas omnis, & distinctio omnis per vos est passio entis; quomodo dicitis naturam realem universalem, habere unitatem rationis? Numquid unitas rationis potest esse passio naturæ realis? Ergo uti mini principijs, quæ vestram impugnant distinctionem rationis.

Ad 2. probationem maj. disting. maj. distingui intrinsecè, concedo; extrinsecè nego maj. Quia distingui extrinsecè est denominari extrinsecè à forma realiter distincta ab alia

forma denominante: & hoc modo idem potest differre extrinsecè à se ipso, ut dictum est num. 22. in fine varijs exemplis.

Ad 3. probationem maj. nego antecedens, quia hanc distinctionem extrinsecam docuerunt D. Thomas. & B. Egidius; & ex professo illam explicant, ut vidimus §. præcedente. Quare potius retorquenda est probatio ista; cum distinctio rationis ficta, & quæ sit ens rationis, non invenitur in D. Thoma, & antiquis, sed sit inventa in RR.

Ad 4. concessa maj. nego min. nam num. 14. ex D. Thoma probatum est quod unitas rationis est extrinseca, & realis intentionalis: immò inde probatum est quod distinctio rationis est realis extrinseca. Ad probationem min. dic eam tenere de unitate intrinseca, non verò de extrinseca. Et hæc de probationibus Magistri Palanco.

27. Restat solvere quæ adjecimus in confirmationem ejusdem sententiæ. Ad primam rationem positam num. 6. observa ex dictis num. 23. quod *animal & rationale*, sunt formalitates reales, quæ habent in se intentiones generis, & differentię. Compositio metaphysica sit ex genere, & differentia; sicut Logica ex sub-

jecto, & prædicato. Dicimus quòd secundæ intentiones quæ sunt entia rationis, faciunt cõpositionem rationis, & ununtur unione rationis. At formalitates reales, quæ sunt substratum intentionum, ratione sui non faciunt compositionem, sed ratione intentionum; & ob id compositio illa dicitur rationis. Nec compositio rationis petit distinctionem rationis in substrato, sed in partibus formaliter componentibus. Patet hoc in ista propositione *Petrus est similis Paulo*, ubi datur unio rationis inter subjectum, & prædicatum, ut in ista etiam *Petrus est Paulus*: & tamen extrema sunt realia, & realiter distincta pro substrato; & solum dicuntur unita per rationem quatenus intentiones subjecti, & prædicati, in eis re-
 pte, ununtur unione logica, & rationis. In forma disting. maj. ex animali, & rationali, resultat compositio rationis per se ex eis, nego maj. indirectè, & ratione intentionum, quæ habent in se, concedo maj. & sub eadem distinctione, nego consequentiam, quam non suadet probatio, ut dictum est.

Obserua quòd non est idè unio, ac unitas, & identitas. Nam nemo sibi unitor, sed alteri; cum tamen sibi, aut secum identificetur. Pariter non est idem unio rationis, ac uni-

tas rationis. Nam unitas ratio-
 nis. si sit intrinseca, soli enti
 rationis convenit, ut diximus.
 Ceterum unio rationis potest
 convenire extremis realibus, ut
 in propositione visum est. Hu-
 jus discriminis ratio est. Quia
 unio non est passio entis, qua-
 re semper est extrinseca extre-
 mis unitis: unde non implicat
 extrema realia uniri unione ra-
 tionis extrinseca. Unitas verò
 rationis purè objectiva, est pas-
 sio solius entis rationis, quare
 semper debet esse intrinseca; &
 sic nequit convenire enti rea-
 li. Altera tamen est unitas ra-
 tionis supra explicata ex D.
 Thoma; & hæc est unitas cõ-
 ceptus objectivi. Ista semper
 est extrinseca objecto cognito,
 quare convenit enti reali, sicut
 unio rationis.

Ad primam confirmatio-
 nem concessa maj. & min. nego
 consequentiã, relatio rationis non
 est passio entis rationis, nec pe-
 tit extrema distincta per ratio-
 nem. Patet hoc, quia Deus di-
 cit relationem rationis ad crea-
 turam: & tamen non distin-
 guitur per rationem, sed rea-
 liter à creatura. Idem in men-
 sura reali respectu mensurati.
 Quare licet animal dicat rela-
 tionem ad rationale, & hæc
 sit rationis, non probatur inde
 distinctio rationis inter utrum-
 que.

Ad 2. nego maj. nego
 quod

QUEST. IX.

quòd distinctio rationis sit ens
 rationis juxta dicta num. 11.
 Nullam enim datur ens ratio-
 nis cum fundamento, nisi sola
 relatio, ut lib. 2. Logicæ pro-
 batum est. At quoniam cum
 arguente supponimus, quòd di-
 stinctio rationis est ens rationis,
 ut videamus an sit inter animal
 & rationale, quod negamus, idè
 admittà maj. & cõcessã min. dist.
 consequens, ergo ex præcisio-
 ne objectiva animalis à ratio-
 nali resultat distinctio rationis,
 quæ distinguit animal à ratio-
 nale, nego consequentiam: di-
 stinctio rationis, quæ distinguit
 intentiones generis, & differen-
 tiæ, concedo consequentiam.
 Adverte, ut supra diximus, quòd
 ex præcisione objectiva resul-
 tant relationes rationis in con-
 ceptibus objectivis: ergo cum
 relationes istæ distinguantur di-
 stinctione rationis purè obje-
 ctiva, hæc etiam resultat ex
 præcisione. Non negamus hoc,
 sed dicimus, quòd distinctio ista
 non distinguit formalitates rea-
 les animalis & rationalis, sed
 solas relationes in eis fundatas.
 Animal autem, & rationale di-
 stinguuntur distinctione reali
 extrinseca.

Ad 3. confirmationem
 concedo antecedens, & primã
 consequentiam. Concedo etiam
 minorem subsumptam, & nego
 consequentiam: verum est quòd
 animal, & rationale, post præ-

3. 117. 295
 cisionem habent uniorè distin-
 ctionem, quàm habebant ante.
 Ceterum hæc major distinctio
 est rationis purè objectiva, sed est
 præcisiva, & realis extrinseca, quæ
 non habebant ante præcisionem.
 Erat quidem in re fundamen-
 tum præcisionis, & hujus di-
 stinctionis, quare erat in re præ-
 cisio, & distinctio potentialis,
 quæ per actualem præcisionem
 redditur distinctio realis extrin-
 seca actualis.

28. Ad 2. rationem
 nostram positam num. 7. Re-
 spondemus negando antecedens
 in sensu adversariorum; quæ ut
 explicemus disting. antecedens.
 Datur fundamentum distinctio-
 nis rationis, distinctionis di-
 stinguentis formalitatem ani-
 mal à rationali, nego antece-
 dens; distinguentis intentionem
 generis ab intentione differen-
 tiæ, concedo antecedens, &
 nego consequentiam; cum in a-
 nimali, & rationali datur fun-
 damentum præcisionis, & ex
 præcisione resultent intentiones
 generis, & differentiæ, quæ
 sunt entia rationis; idè datur
 fundamentum mediatum distin-
 ctionis rationis, distinguentis
 relationem generis à relatione
 differentiæ. In hoc sensu est
 verum antecedens, & in hoc
 concedimus consequentiam. Ce-
 terum argumentum non inten-
 dit hoc, sed quòd distinctio
 virtualis objecti, quæ est funda-
 men

mentum præcisionis, sit fundamentum distinctionis rationis, quæ forma itas animal actualiter distinguitur à rationali. In hoc sensu negamus antecedens quam in hoc sensu non tuadent probationes ejus Unde.

Ad primam concedo major. & nego min. Datur quidem distinctio virtualis, quæ fundamentum est præcisionis, sed non distinctionis rationis; nisi remorum pro distinctione intentionum generis, & differentie, ut dictum est. Ad secundam probationem antecedentis, concedo antecedens, & nego consequentiam propter dicta. Ad tertiam, disting. maj. Intellectus habet fundamentum, ut concipiat animal actualiter distinctum à rationali, distinctum distinctione rationis ficta, nego maj. distinctum distinctione reali extrinseca intentionali, & præcisiva, concedo maj. & disting. min. sed non ut distinctum realiter, realiter intrinsecè, concedo min. extrinsecè, nego min. & consequentiam. Immo retorqueo argumentum. Per te intellectus non habet fundamentum, ut concipiat animal ut realiter distinctum à rationali: ergo dum ita concipit animal, qualiter distinctum non est, concipit sine fundamento: sed per te distinctio rationis fit, quando intellectus concipit ut distincta,

quæ distincta non sunt: ergo distinctio rationis tua fit ab intellectu sine fundamento.

29. Ad tertiam rationem nostram, positam num. 8. respondemus primò quòd pro contradictorijs sufficit distinctio virtualis, vel si ista non sufficit, nec sufficet distinctio rationis, quæ minus valet, quæ virtualis ut num. 10. probatum est. Nec obest quòd oppositio contradictoriarum est actualis, & distinctio virtualis actualis non est. Non obest, quia contradictoria actu verificata non petunt distinctionem actualem, sed petunt actu existerè, & dari distinctionem sufficientem. Atqui in re ante distinctionem rationis datur actualiter distinctio virtualis; & hæc dicitur virtualis, quoniam æquivaleret actuali pro verificandis contradictorijs: ergo licèt distinctio virtualis non sit actualis, cum tamen actu detur, & sit sufficiens, datur vi ejus quidquid requiritur ad oppositionem actualem contradictoriarum. At quoniam clariùs dissolvantur instantiæ Scottitarum assignando distinctionem actualem, idèd.

Respondemus secundo concedendo maj. & min. & consequentiam primi discursus. Concedimus quòd ultra distinctionem virtuale assignanda est distinctio actualis pro contradictorijs. Sed dist. min. subsupia:

at

at hæc distinctio actualis non est realis, realis extrinseca, nego min. realis intrinseca, concedo min. & nego consequentiam. Nos qui ponimus contradictoria solum verificari in sensu præcisivo, ibi solum tenemur ponere distinctionem actualem. En ponimus ibi majorem quàm Scotticæ, quia isti ponunt solum distinctionem formalitatum, quæ non est entitatum; sed non in statu præcisivo ponimus distinctionem entitatum; quia animal extrinsecè distinguitur à rationali, ea distinctione, qua conceptus objectivus animal distinguitur à conceptu objectivo rationale: atqui isti conceptus objectivi sunt entitates realiter distinctæ: ergo animal & rationale in statu præcisivo distinguuntur extrinsecè distinctione reali entitativa, quæ major est quàm Scottica.

Dices: distinctio Scotica est intrinseca, distinctio nostra est extrinseca; quare licèt sit major relatè ad extrema, quæ distinguit intrinsecè, non autem relatè ad extrema extrinseca. Respondemus id esse verum, sed non ad rem, quia distinctio inter extrema solum petitur in eo statu, & eo modo, quo contradictoria verificantur: sed juxta dicta quæst. 8. præcedenti, contradictoria solum verificantur in statu præcisivo, qui ex-

trinsecus est objectis præcisivis: ergo solum petunt distinctionem extrinsecam, qualis est itatus. Sed in genere distinctionis extrinsecæ, ponimus inter attributa Dei, & inter gradus metaphysicos, distinctionem entitativam, qua nulla major: ergo licèt sit extrinseca, & sufficiens, immò nec probari potest major ex lege contradictoriarum.

30. Hinc colliges, quòd animal præcisum à rationali, distinguitur realiter entitativè à rationali distinctione extrinseca; idem de justitia Dei dicendum, & de alijs perfectionibus, quæ varijs nominibus à nobis explicantur. Hæc nomina diversa arguant in nobis diversos conceptus objectivos, quia res eo modo nominamus, quò concipimus: ergo si nomina diversa sunt, diversi erunt realiter entitativè nostri conceptus objectivi. Ergo cum distinctio conceptuum sit distinctio rationum, *Ut hic ratio sumitur*, perinde est dicere justitiam Dei distingui per rationem à misericordia, ac dicere quòd extrinsecè distinguitur distinctione reali entitativa. In hoc nulla est fictio, nulla falsitas, sed sola præcisio, & debilitas nostri intellectus non potentis unica cognitione totum attingere. Nec distinctio ista extrinseca tollit identitatem intrin-

secam iustitiæ, & misericordiæ. Ratio est, quia sicut cognitio nihil ponit intrinsecum in objecto, nil tollit ex intrinsecis; & sic non immutat intrinsecè: ergo sicut objectum ante præcisionem erat idem realiter intrinsecè, & solum virtualiter multiplex, sic manet intrinsecè post præcisionem.

Probationes majoris tertiæ rationis nostræ nil suadent contra solutionem secundam, cum unice probent oppositionem extrinsecam, & præcisionem, item quod animal actualiter non est rationale extrinsecè, & nil aliud. Et si dicas. De animali verificatur *Esse principium sentiendi*; de rationali verificatur *Non esse principium sentiendi*: sed hæc contradictoria non sunt extrinseca, sed intrinseca, quia *Esse principium sentiendi* quid intrinsecum est: ergo arguunt distinctionem intrinsecam, nec sufficit extrinseca. Respondemus. Talia contradictoria esse intrinseca, sed non verificari, nisi dependenter ab aliquo extrinseco, scilicet à præcisione. Nam in sensu reali falsum est, quod rationale non sit *Principium sentiendi*, ut dictum est quæst. 8. ergo licet id quod affirmatur, & negatur, sit quid intrinsecum; at verificatio affirmationis, & negationis, est dependens ab aliquo extrinseco, scilicet à

præcisione: ergo est dependens solum à distinctione reali extrinseca; & talia contradictoria licet in se absolute sint intrinseca, ut verificantur sunt solum extrinseca.

31. Ad ultimum quod habetur num. 8. ubi distinctio rationis applicatur ad Divina, & suadetur locutionibus frequentibus SS. PP. & Concilij Florentini, jam constat ex dictis, ubi doctrinam tum probativam nostri asserti, tum solutionis argumentorum, contraximus ad Divina prædicata. Immo quoniam S. Thomas operose explicavit distinctionem rationis, videns pendere ex intelligentia ejus, quidquid in Theologia dicitur de Deo; ideò nos etiam pro tenuitate nostra optavimus mentem S. Doctoris percipere. Dicimus enim quod distinctio rationis inter Divina prædicata causatur objective, & fundamentaliter à Divina perfectione simplicissima, superexcedente omnem cognitionem nostram, & necessitante intellectum nostrum ad multiplicandas cognitiones. Ista cognitionum multiplicitas est causa effectiva distinctionis rationis, non formalis; etenim formaliter distinctio rationis consistit in conceptibus objectivis distinctis, quos formamus, & multiplicamus de Divinis perfectionibus, ut supra satis

satis probatum est.

Iuxta hæc intelligentiam D. Thomæ, & N. B. Agidij locis supra laudatis, exponuntur legitime locutiones Patrum, & Concilij Florentini. Dicit Damascenus, quod *Sola cognitio ne distinguuntur*; dicit Conciliū quod *Sola intelligentia*; quod *sola ratione*; quod *secundum intelligentie modum*. Hoc totum est refundere distinctionem, & multipliciter perfectiorum Dei in distinctionem, & multipliciter cognitionis nostræ. Quare sicut de universali D. Thomas opusc. 36. dicit esse *Unum unitate cognitionis*; ita de perfectionibus Dei dicendam esse plu-


res pluralitate cognitionum. Unde differre ratione est differre conceptu objectivo; & ea erunt per rationem distincta, quæ diversis conceptibus objectivis representantur; quia talia noscuntur diversis cognitionibus, & explicantur nominibus diversis. In hoc nulla fictio, nulla falsitas, nullum ens rationis intervenit, sed sola præcisio nostra, & multipliciter cognitio, ad quam necessitas superexcedens perfectio simplicissima Dei. Hæc de quæstione ista, & de

toto libro tertio

Logi-
ca.



LIBER QUARTUS DE PRAEDICABILIBUS.



HIC LIBER VERE LOGICUS, QUONIAM in eo agitur de secundis intentionibus, re-
pertis in natura universali; nihil aliud continet, quam explicationem harum quinque vocum *Genus, species, differentia, proprium, accidens*. Sine harum intelligentia difficulter percipitur quod Aristot. docuit in libro de Prædicamentis. Quapropter Porphyrius has voces explicavit opusculo, cui titulus introductio ad prædicamenta Aristotelis; adeoque utiliter, ut post ipsum reliqui interpretes, & DD. specialem tractatum instituunt de his vocibus, & dicitur de Prædicabilibus. Breviori calamo, quæsciri digna sunt, attingemus, quoniam in antecedentibus prolixius disputavimus, & majora restant in sequentibus, quæ nolumus retardare. Unde sit.

QUÆSTIO PRIMA.

An divisio universalis in quinque prædicabilia sit adequata; & generis in suas species?

§. I.

Probatur cum communi sententia divisionem esse adequatam.

PRÆDICABILE juxta nostrum Fundat. Doct. Aegidium Rom. quæst. 5. in univ. ad 6. diffinitur *Quod est aptum natum prædicari de pluribus*. Eandem diffinitionem dedit Aristoteles lib. 1. Perhiera. cap. 5. ut diffi-

QUÆST. I.

finiret universale; nam ibi dicit *Quasdam res esse universales, & quasdam particulares*. Supra quæ Doct. noster sic: *Afferit ergo quod rerum quædam sunt singulares, & quædam universales; & statim declarat membra per diffinitionem dicens, quod universale est, quod est aptum natum prædicari de pluribus, & singulare quod est aptum natum prædicari de uno*. Idem docet D. Thomas ibidem lect. 10. ex quo habetur quod juxta Aristot. & utrumque B. Doct. Prædicabile est idem ac universale; nec est passio ejus, ut volunt RR.

De hoc egimus lib. 3. præcedente quæst. 4. à num. 2. & ostensum est autoritate, & rationibus quod universale metaphysicum est universale in essendo, & diffinitur *Vnum potens esse in multis*. Universale autem logicum est universale in prædicando, & diffinitur *Vnum potens dici de multis*. Quo fit, ut prædicabile sit formalissimè universale logicum; quare cū libro præcedenti actum sit de universali in essendo, tractatū est de universali metaphysico; nunc autem agendum est de universali logico, & in prædicando, quod est, & dicitur prædicabile.

Viso quid est prædicabile, quæritur primò quotuplex sit?

§. I.

Noster Gavardi in Logica q. 3. de univers. art. 5. varias refert sententias. Prima docet unum esse tantum prædicabile ad quod cetera referuntur. Ita Borrull. & Gassendus. Secunda docet esse duo, scilicet genus, & speciem, ita plures Græci apud Averfam. Alij tenent esse quatuor, ut sunt genus, species, differentia, quæ essentialia sunt, & quartum extra essentialia. Ita Aversa, Hurtadus. Alij sex, nam supra quinque communia addunt sextum, ut Cajetanus addens *Individuum vaguum*. Alij septem, quia bipartiantur genus, & differentiam in infimum, & interjectum. Alij octo; alij triginta, scilicet decem essentialia, & viginti accidentalia. Caramuel assignat quadraginta sex, & fortè plura. Servera Valentinus dicit numerum posse ad placitum multiplicari. Id sanè nobis certissimum est, si numerus ad placitum designetur, nullus certus, nullus erit fixus: qua propter, ut quid certum, fixumque teneamus, ab antiquorum vestigijs, recedendum non est.

2. Porphyrius, in hac materia Peripateticorum antesignanus, divisit universale in quinque Prædicabilia, quæ sunt *Genus, species, differentia, proprium, accidens*. Horum diffinitiones dabimus infra sigillatim, & emergentes solvemus dif-

difficultates. Interim hanc divisionem, ut sufficientem, & adequatam defendimus cum communi sententia, à qua pauci allegati recesserunt, ut inter se litigantes de numero, abirent in infinitum. Hanc sententiam communem tenet, illustrat, & confirmat S. P. August. lib. de decem Categorijs cap. 7. ubi assignat tria prædicabilia essentialia, scilicet *Genus, differentiam, & speciem*. Postea cap. 8. agit de *proprio, & accidente*, quibus integratur quinquarius numerus prædicabilium. Eandem docet S. Thomas, & N. Egidius, & cum eis Thomistæ omnes, & Egidiani, nec non Scotistæ, & Nominales, omnesque Scholæ cū suis Principibus, ita ut supervacuum sit authores, & loca citare.

Sic nostra sententia cum omnibus: *Universale adequate dividitur in quinque prædicabilia*. Probatur primò: Tot sunt prædicabilia, quot sunt modi quibus universale prædicatur de inferioribus: sed universale quinque modis potest prædicari de inferioribus, nec plus, nec minus: ergo prædicabilia sunt tantum quinque, nec plura, nec pauciora. Consequentia tenet, major est certa, quia prædicabilia unice differunt inter se penes diversum modum prædicandi: ergo tot sunt, quot

modi prædicandi. Rursum quia prædicabilia non differunt per id, in quo conveniunt; conveniunt autem in prædicari per modum superioris de inferiori: ergo restat differant inter se penes diversum modum prædicandi.

Minor principalis probatur. Quidquid prædicatur de altero, vel prædicatur essentialiter, vel accidentaliter: sed tres sunt modi prædicandi essentialiter; duo verò prædicandi accidentaliter: ergo quinque solum modis potest universale prædicari de inferioribus. Minus quoad primam partem patet. Nam quod prædicatur essentialiter, vel dicit totam essentiam, & sic est *species*; vel dicit partem potentialem, & sic est *genus*; vel dicit partem essentialiter actualem, & sic est *differentia*. Ergo solum dantur tres modi prædicandi essentialiter. Quoad secundam partem probatur min. Quod prædicatur accidentaliter, vel prædicatur necessario, & sic est *proprium*; vel prædicatur separabiliter, & sic est *accidens commune*. Ergo duo tantum sunt modi prædicandi accidentaliter.

3. Hæc ratio communis confirmatur à Doctore N. sic quæst. 5. in univers. per hæc verba: *Omne illud quod prædicatur, aut prædicatur in Quid, aut in Quale. Si in Quid,*

hoc

*hoc fit duobus modis: aut dicit totam essentiam individui determinatè, aut indeterminatè. Si indeterminatè; sic est genus: si determinatè; sic est species. Sed si prædicatur in Quale, hoc fit duobus modis. Aut in quale essentialiter, aut accidentale. Si primo modo, sic est differentia: si secundo modo, aut dicitur convertibiliter, aut inconvertibiliter. Si convertibiliter; sic est proprium: si non convertibiliter; sic est accidens. Et sic sunt quinque Prædicabilia, & non plura. En conclusio nostra, & ratio probativa, quæ quoniam satis clara est, non eget explanatione; id solum nota quòd ly *quid* juxta Philosophum significat essentiam, vel essentialiter. Ly *quale* significat extra essentiam.*

Confirmatur, & explicatur exemplis. Hæc prædicatio *Petrus est homo*, continet prædicabile *speciei*, quia ly *homo* prædicatur essentialiter de Petro, & in *quid*, & dicit totam Petri essentiam. Si dicas *Petrus est animal*, ly *animal*, est *genus*, quia prædicatur essentialiter, vel in *quid*, sed non dicit totam Petri essentiam, sed partem potentialem, vel totum indeterminatè. Si dicas *Petrus est rationalis*, datur prædicabile *differentiæ*, quia ly *rationalis* dicit partem essentialiter a-

ctualem; vel quod idem est prædicatur in *quale essentialiter*. Si dicas *Petrus est risibilis*, adest prædicabile *proprium*, quia ly *risibile* prædicatur accidentaliter necessario, vel quod idem est, *In quale convertibiliter*, quia valet, *Omnis homo est risibilis, & omne risibile est homo*; ecce convertuntur verè, & necessario; cum tamen risibilitas non sit essentia hominis, sed extra essentiam. Si tandem dicas, *Petrus est albus*, datur *accidens* quoniam prædicabile; quia contingenter prædicatur de Petro albedo, nec convertitur cum homine; non enim valet *Omnis homo est albus, nec omne album est homo*.

Rationes istæ, & exempla posita, plene percipi non possunt ab incipientibus usque dum infra explicemus definitionem prædicabilium in particulari. Penetrantur tamen amplius solvendo quæ in contrarium obijciuntur tum ab ipsis DD. nostræ sententiæ, tum ab alijs supra citatis, cum quibus contra assertionem nostram.

4. Argues 1. Hæc prædicatio *Homo est existens*, ad nullum ex prædicabilibus assignatis pertinet: ergo sunt plura quam quinque. Probatur antecedens. Nam non pertinet ad tria prima; cum existentia non prædicetur essentialiter de

ho-

homine. Nec pertinet ad quartum; quia existere non convenit homini necessariò, cum possit non existere. Nec pertinet ad quintum, quia accidens commune diffinitur. *Quod potest adesse, & abesse sine subiecti corruptione*: sed existentia nequit abesse sine corruptione hominis: ergo non est quintum prædicabile. Idem argumentum fit in hac *Homo est mortuus*; nam mors nequit adesse sine corruptione hominis.

Confirmatur 1. Hæc prædicatio *Deus est homo* non pertinet ad aliquod prædicabile ex assignatis: ergo idem. Probat antecedens. In primis *homo* non prædicatur essentialiter de Deo; & sic non pertinet ad tria prima. Nec prædicatur necessariò; & sic non est quartum prædicabile. Nec est quintum; cum *homo* non prædicetur accidentaliter de Deo; alioquin Deus solùm accidentaliter esset homo; non autem univocè cum hominibus.

Confirmatur 2. Hæc prædicatio *Homo in quantum substantia est substantia*, ad nulum ex dictis pertinet: ergo idem. Probat antecedens, quia non pertinet ad duo ultima, cum prædicatum sit essentialiter, & in quid; nec est differentia, quia *substantia* non prædicatur in quale. Nec est genus, quia

non dicit partem potentialem; sed totum quod reduplicatur ex parte subiecti: nec species; cum non dicat totam hominis essentiam, quæ constat ex alijs prædicatis.

Confirmatur 3. Hæc prædicatio *Petrus est aliquis homo*, quæ dicitur de individuo vago, dicit totam Petri essentiam: & tamen non est species; cum individuum sit contrapositum speciei, & correlativum ejus. Unde non pertinet ad aliquod ex dictis. Rursus hæc *Petrus est suppositum, Petrus est persona*; & aliæ similes, ad nulum ex dictis pertinent: ergo ultra quinque prædicabilia, alia designanda sunt; & sic divisio non est adæquata.

5. Ad argumentum respondent communiter DD. quòd illa prædicatio *Homo est existens*; est quinti prædicabilis; nam existentia prædicatur de homine, ut accidens commune. Ad probationem in contrarium dicunt quòd duplex est corruptio una physica, alia metaphysica. Physica datur quando separatur materia à forma; Metaphysica quando deficit aliquod prædicatum essentialiter. Deficiente existentia corrumpitur homo physice, sed non metaphysice, nam prædicata essentialia illius *animal rationale*, semper manent. Ut ergo existentia sit accidens

com

commune, sufficit quòd existentia possit abesse sine corruptione metaphysica hominis, etsi non absit sine corruptione physica illius.

Idem docent de morte: quia mors corrumpit hominem physice, sed non metaphysice, quia adhuc mortuus est *animal rationale*. Quòd si instes: ergo etiam risibile erit quintum prædicabile, quia etiam si deficiat, non deficit essentia metaphysica hominis, quæ est *animal rationale*. Respondent, quòd risibilitas necessariò infertur ex rationalitate: quare deficiente risibilitate, deficeret rationalitas, & sic homo deficeret metaphysice; quare non est quintum prædicabile.

Hæc solutio videtur contra D. Thomam, & si applicetur Christo Domino in triduo mortis est simpliciter erronea, ut docet D. Thomas 3. par. quest. 50. art. 4. ubi querit *Verum Christus in triduo mortis fuerit homo?* Respondet negativè, & in corpore dicit sic: *Pertinet autem ad veritatem mortis hominis, vel animalis, quòd per mortem desinat esse homo, vel animal. Mors enim hominis, vel animalis provenit ex separatione anime, quæ complet rationem animalis vel hominis; & ideo dicere Christum in triduo mortis hominem fuisse, simpliciter & absolu-*

è loquendo, erroneum est. Potest tamen dici quòd Christus in triduo mortis fuit homo mortuus. En Christus in triduo mortis non fuit homo: ergo nec animal rationale; quare mors adfuit destruendo humanitatem non solùm physice, sed metaphysice.

Rursus Christus in triduo mortis non fuit vivens: ergo nec animal rationale. Patet consequentia, quia à superiori ad inferius negativè valet consequentia. Antecedens est certum, quia vita, & mors immediate opponuntur privativè: sed in triduo fuit mortuus: ergo non fuit vivens. Præterea; Non fuit animal: ergo non fuit animal rationale. Antecedens probatur. Animal dicit substantiam animatam sensibilem. Sed Christus Dominus in triduo illo non fuit substantia animata sensibilis: ergo non fuit animal. Probat min. Deitas non fuit animata, ut patet; corpus item in triduo illo non fuit animatum, sed exanime; anima non fuit animata, cum anima non sit susceptiva alterius formæ vitalis; unde nec in corpore est animata, sed animativa. Vide nostrum Argentinatem in 3. Sent. dist. 22. art. 3.

6. De hoc egimus in 1. par. nostræ Dialect. quest. 5. & 6. ubi ostensum est quòd de rebus creatis nullæ dantur pro-

positiones quæ simpliciter sint æternæ veritatis. Inter res creatas distinximus duas propositiones, alteram de objecto universalis in materia essentiali, v.g. *Homo est animal rationale*; alteram de subjecto singulari v.g. *Petrus est homo*. Et de prima diximus, quod secundum quid est æternæ veritatis, & ejus veritas non pendet ab existentia defectibili. Ceterum secunda, licet in materia essentiali, nec secundum quid est æternæ veritatis, sed pendet ab existentia veritas illius, ut de Christo Domino dictum est.

Juxta hanc doctrinam, de qua prolixè loco citato, dicendum est quod essentia hominis metaphysica, sumpto homine universaliter, nec generatur per se, dum advenit existentia; nec corrumpitur per se, dum existentia abest. Per accidens tamen ratione singularium generatur, & corrumpitur. Et satis est, ut existentia sit accidens prædicabile, quod possit adesse, vel abesse absque corruptione metaphysica essentialis per se. In hoc sensu vera est communis solutio data, & loco citato confirmata est ex D. Thoma. At essentia metaphysica Petri, & cujuslibet singularis corruptibilis, ita pendet ab existentia, ut vidimus tum hic, tum loco citato. Unde in his principiis restat videre ad quod prædica-

bile spectat ista *Petrus est existens*. Nam doctrina solutionis data, hic non valet.

Respondemus, quod sicut de singularibus juxta Arist. non datur scientia; ita nec prædicatio, aut prædicabile, de quo in præsentis. Hic agimus de prædicabilibus deservientibus scientiis; & cum scientiæ sint solùm de universalibus, de eis solùm sunt propriè prædicabilia. Reductivè autem prædicationes de subjecto singulari pertinent ad prædicabile ipsum, ad quod spectant propositiones de subjecto universalis: atqui hæc de subjecto universalis *Homo est existens*, pertinet ad quintum prædicabile, ut dictum est: ergo & hæc reducitur ad idem, *Petrus est existens*. Unde colliges quod sicut hæc pertinet ad quintum; ita ista ad quartum *Petrus est risibilis*; quia sicut de homine in universalis prædicatur necessariò risibilitas; sic de Petro ob rationem datam.

7. Ad primam confirmationem dic, quod illa prædicatio *Deus est homo*, pertinet ad quintum prædicabile, quia Deus factus est homo, quia voluit, & sic ei accidentaliter convenit humanitas, non essentialiter. Hinc fit, quod *ly homo* prædicatum de Deo, est substantia prædicamentalis, sed est accidens prædicabile. Ratio primi est, quia in prædicamentis attenditur entitas; & entitas huma-

nitatis est substantia. Ratio secundi est, quia in prædicabilibus attenditur modus prædicandi; & humanitas accidentaliter separabiliter conveniens Deo, de ipso prædicatur modo accidentali, & sic ut accidens logicum, & prædicabile. Si tamen dicas *Deus in quantum homo est homo*, tunc homo prædicatur ut species, quia vi reduplicationis ex parte subjecti redditur propositio essentialis; sicut hæc *Homo albus est albus*. Et licet Deus voluntariè assumpserit naturam nostram; quia tamen assumpsit prædicata essentialia naturæ humanæ, assumpsit convenientiam univocam cum nobis. Sed cum discrimine dato, quod nobis convenit essentialiter natura humana, Deo autem accidentaliter. Observa, quod licet hæc sit accidentalis *Deus est homo*; non tamen ista *Christus est homo*. Quia Christus dicit essentialiter utramque naturam Divinam, & humanam in unitate suppositi, & personæ; ut docet fides, & Theologi observant tractatu de Incarnatione Verbi Divini.

Ad secundam confirmationem dic, quod hæc prædicatio *Homo est substantia*, est prædicatio generis, quia *ly substantia* non dicit totam essentiam subjecti, sed partem potentialem. Attamen ista *Homo in-*

quantum substantia est substantia, est prædicatio speciei, quia *ly in quantum* restringit subjectum scilicet hominem; & de homine sic restricto tota essentia explicatur per prædicatum *substantia*: unde prædicatur, ut species.

8. Ad tertiam confirmationem dic, quod illa prædicatio *Petrus est aliquis homo*, dupliciter sumi potest; nã vel prædicat solam naturam humanam; vel solam individuationem, aut naturam individuum. Si primum? Tunc est prædicabile speciei dicens totam essentiam subjecti. Nec sub ista consideratione *ly aliquis homo*, est individuum, sed species; quia individuum (ut videbimus) dicit singularitatem, & hæc ceitatem, quam non dicit *ly aliquis homo*, si solùm prædicat naturam. Si autem dicas secundum? Ergo vel non est prædicabile scientificum, vel si utrumque est, pertinet ad quintum prædicabile. Ratio est, quia si prædicat solam individuationem, hæc accidentaliter convenit naturæ, sicut dictum est de existentia; immò individualis, & singularitas numerica, cum sumatur à materia, signata quantitate, nil est aliud, quam existentia in hac determinata portione materiæ: sed existentia prædicatur accidentaliter prædicabiliter, ut dictum

est: ergo si ly *aliquis homo* prædicat individuationem, est accidens quintum prædicabile. Si autem dicat utrumque, scilicet naturam individuatam; tunc non est prædicabile scientificum, quia hoc debet esse incomplexum, & natura individuatæ est quid complexum ex natura & modo individuationis.

Hinc colliges contra Cajetanum, quod individuum vagum v.g. *Quidam homo, aliquis homo*, licet apparenter prædicetur de pluribus, ut *Petrus est quidem homo, Paulus est quidem homo*. At revera vel non est individuum; vel solo nomine prædicatur de multis. Ratio est. Quia vel significat unam naturam communem Petro, & Paulo; vel duas distinctas utriusque, & utrique appropriatas per individuationem. Si primum? Erit species, & non individuum, quia natura multis communis non est individua, & singularis, ut patet. Si secundum? Tunc solum nomen prædicatur de multis, sicut si plures homines vocentur *Petrus*, tum valet *Hic homo est Petrus, & hic homo est Petrus* &c. Ceterum modo quo *Petrus* non dicit naturam unam multis communem in casu dato; sed naturas diversas plurium individuum, quæ convenient in solo nomi-

ne-Petrus; ita ly *quidam homo* dicit naturas singulares distinctas, quæ in solo nomine conveniunt, quare non est prædicabile, nec universale, cum nõ dicat *Vnum in multis*, sed plura.

Propter hæc rejicitur sententia Cajetani, quæ expressè militat contra aristot. in ante prædicamentis cap. 2. ubi ait: *Quæ sunt individua, & unum numero, de subjecto nullo dicuntur*, hoc est non prædicantur per modum superioris de inferiori. Et Porphyrius capit. de specie diffiniens individuum dicit esse *Quod de uno tantum prædicatur*. Quod suadet auctoritate, & præcepto Platonis dicens: *Plato jubebat descendente à genere quiescere in specie specialissima, quia alia, quæ sequuntur sunt infinita*. En descensus à genere omnium supremo per prædicata, quæ vocantur prædicabilia, ultimò sinit in specie ergo quia infra speciem nullum est prædicabile; & consequenter individuum vagum non est prædicabile.

Ex dictis colliges quid dicendum sit de illis prædicationibus *Petrus est suppositum, Petrus est persona*; nam suppositum dicit naturam incommunicabilem multis & sic singularem. Persona dicit naturam rationalem subsistentem, & in-

com-

communicabilem. At singularitas, subtilentia, & existentia sunt accidens logicum, ut dictum est: ergo dato quod ille sint prædicationes scientificæ, ubi prædicatur superius de inferiori, erunt quinti prædicabilis. Sed revera non sunt, quia non prædicatur quid universale, sed singulare, ut dictum est de individuatione. Si tamen dicas: *Hæc persona est persona, vel signato Petro, Hoc suppositum est suppositum*, tunc est prædicabile speciei, quia ex parte prædicati persona dicit quid commune logicè omnibus personis, & idem de ly suppositum.

9. Argues 2. Iuxta Philosophum 4. Metaphysicæ cap. 2. Tot sunt partes universalis, quot entis: sed partes entis sunt decem prædicamenta: ergo partes universalis erunt decem prædicabilia, & consequenter non tantum quinque.

Confirmatur. Diversitas prædicandi sumitur ex diversitate essendi; nam modus prædicandi sequitur modum essendi: sed modus essendi est denarius juxta decem prædicamenta: ergo modus prædicandi non erit quinarius, sed denarius, & sic decem erunt prædicabilia.

Confirmatur 2. Genus differt à specie, quia genus prædicatur de differentibus specie

& species prædicatur de differentibus numero: sed datur duplex differentia, una subalterna, quæ prædicatur de differentibus specie; altera infima, quæ prædicatur de differentibus numero: ergo utraque differentia constituet diversum prædicabile; & sic erunt sex.

10. Ad argumentum respondetur, quod partes universalis materialiter sumpti sunt decem; sed partes ejus formaliter accepti, sunt solum quinque. Ratio primi est, quia universale pro materiali dicit entitatem naturæ universalis, & hæc dividitur in decem prædicamenta. Ratio secundi est, quia universale formaliter dicit secundam intentionem prædicabilis, quæ multiplicatur juxta diversos modos prædicandi: at modi diversi prædicandi, sunt solum quinque, ut probatum est: ergo partes universalis formaliter sumpti, sunt solum quinque.

Ad 1. confirmationem sic, quod diversitas prædicandi non sumitur ex diversitate essendi utcumque; sed ex diversitate essendi per modum superioris in inferioribus. Hæc non dividitur in decem prædicamenta, quia omnia prædicamenta conveniunt in eo quod prædicentur, & sint in inferioribus essentialiter, vel accidentaliter. Quæ propter diversitas præ-

præ

prædicamentorum inter se, de materiali se habet ad universalitatem, & prædicabilitatem.

Dices. Si omnia prædicamenta conveniunt in prædicari *essentialiter*, vel *accidentaliter*: ergo solum erunt duo prædicabilia, scilicet unum essentialiale, alterum accidentale. Patet consequentia. Nam solum sunt duo modi essendi in inferioribus, scilicet essentialiter, vel accidentaliter.

Respondemus distinguendo consequens: ergo duo sunt prædicabilia subalterna, & divisibilia in alias species infimas, concedo consequentiam, duo sunt prædicabilia infima, nego consequentiam. Nam, ut probatum est, prædicabile essentialiale est divisibile in genus, speciem, & differentiam. Accidentale autem in proprium, & accidens; unde sunt quinque prædicabilia.

Ad 2. confirmationem nego causalem majoris. Non enim genus differt à specie, quia hæc prædicatur de differentibus numero; illud verò de differentibus specie: sed quia genus dicit partem essentialiam, species totam essentialiam; vel ut in secunda ratione dicit N. Ægidius species dicit totum actuale, genus totum potentiale & determinabile. Atqui differentia subalterna, & infima conveniunt in dicendo solam

partem actualem essentialiam, & prædicantur in *quale quid*, hoc est in *quale essentialiale*: ergo utraque differentia non constituit diversum prædicabile.

11. Argues 3. Diffinitio est prædicatum, ut patet in Topicis, & constat in hac prædicatione *Homo est animal rationale*: sed diffinitio non pertinet ad ullum ex prædicabilibus assignatis: ergo divisio in quinque adæquata non est. Patet consequentia, quia si est prædicatum, est prædicabile; sicut quod est visum, est visibile: ergo si ad nullum ex assignatis pertinet, divisio non erit adæquata. Rursus. Materia prædicatur de hac, vel illa materia: ergo est universale, & prædicabile. Atqui ad nullum ex assignatis pertinet: ergo idem. Tertio Individuum prædicatur de pluribus, valet enim, *Plato est individuum*, *Sortes est individuum*: sed individuum ad nullum ex assignatis prædicabilibus pertinet: ergo idem. Quarto. Ens est universale, & prædicabile de pluribus; & tamen licet prædicetur in quid, non pertinet ad ullum ex datis: ergo &c. Quinto *Non ens* est prædicabile de materia prima, & de privationibus: sed *non ens* ad nullum ex assignatis pertinet: ergo &c.

Hoc argumentum cum suis probationibus adducitur à N.

N. Fundat. Doct. quæst. laudata in universalia, ex cujus doctrina solvitur. Ad 1. dic quod diffinitio est prædicabile speciei, cum prædicetur dicendo totam essentialiam, sicut species. Ad 2. dic, quod materia licet sit pars compositi, & relatè ad compositum; est tamen totum relatè ad hanc, vel illam materiam, quare dum sic prædicatur, est prædicabile speciei, & dicit totam essentialiam subjecti. Ad 3. dic, quod individuum sumptum pro natura individua, & singulari, non est prædicabile de pluribus, sed de uno. Ceterum sumpto pro secunda intentione individui, quæ una est in omnibus individuis, à quibus abstrahitur, sic est prædicabile; ceterum pertinet ad quintum, quia talis intentio accidentaliter advenit, & convenit Sorti, Platoni, & alijs. Ad 4. dic, quod ens est analogum, & prædicatur analogicè; quare licet sit prædicatum, non est prædicabile, quia hic agitur de universali, & prædicabili de pluribus, quod est univocè unum in eis: & tale non est ens. Ad 5. dic, quod *non ens* est prædicatum improprie, quia nil affirmat, sed potius negat: quare non est prædicabile, de cujus conceptu est affirmare aliquid positivum.

12. Argues 4. Species non est totum actuale: ergo in

divisione prædicabilium perperam hoc asseritur de specie. Probatur antecedens. Species non continet differentiam individualem, quæ est pars substantialis individui: ergo dum dicitur *Petrus est homo*, *ly homo* non dicit totam essentialiam Petri, sed partem; & sic vel non est species; vel species non dicit totam essentialiam actualem. Rursus. Differentia specifica est determinabilis per differentias individuales; sicut genus per suas species: ergo sicut genus est totum potentiale; sic differentia specifica erit totum potentiale, & non pars actualis, ut supra à nobis dicebatur.

Confirmatur 1. Hæc prædicatio *Homo est animal risibile* ad nullum ex prædicabilibus pertinet: ergo divisio data diminuta est. Probatur antecedens, quia non pertinet ad tria prima, cum *risibile* non sit de essentialia hominis. Nec pertinet ad duo ultima; cum *animal* non prædicetur accidentaliter de homine: ergo ad nullum ex assignatis spectat.

Confirmatur 2. Accidens proprium, quod necessariò convenit subjecto, & accidens commune, quod convenit continenter, constituunt duo prædicabilia diversa: ergo accidens separabile, & accidens inseparabile constituent alia duo. Tertio. Calor de aqua calida, &

igne dicitur virtualiter : sed non spectat ad tria prima prædicabilia ; cum non sit de essentia aquæ , aut ignis. Nec ad quartum , cum non conveniat necessario aquæ ; nec ad quintum , cum sit juxta exigentiam ignis habere calorem : ergo calor dicitur de aqua , & igne , spectat ad distinctum prædicabile à quinque assignatis.

13. Respondemus ad argumentum nego antecedens. Ad probationem dic , quod differentia individualis , licet sit actus substantialis , est tamen prædicatum logicè accidentale , & extra essentiam naturæ creatæ. Solum enim in Deo singularitas est de essentia Dei , sicut & existentia : in creaturis non sic. Quo fit , ut licet species non dicat differentias individuales , dicit totam essentiam , quia extra essentiam totam est individuatio. Hinc ad 2. nego antecedens. Quia genus per species est determinabile , tanquam per actus essentialis. Quare est totum potentiale essentialis. Differentia specifica non est contrahibilis essentialiter , sed accidentaliter logicè per differentias individuales ; quare non est totum essentialis potentiale , sed accidentale. Quia propter computando differentiam , ut debet inter essentialia prædicabilia , solum est actus , non autem totum potentiale.

Ad 1. confirmationem dic , quod illud aggregatum animal risibile , non est prædicabile , nec universale , & sic ad nullum pertinet. Ratio est , quia universale est *Unum in multis* , & de multis , quare est unum unitate univoca per se tali. At illud aggregatum non est unum per se , sed per accidens : ergo modo quo cum Agidio exclusimus analogia ; excludenda sunt à ratione prædicabilis complexa , quæ sunt unum per accidens.

Ad 2. negatur consequentia. Ratio ejus est , quia hic agimus de prædicabilibus omnium supremis , non de infimis , & subalternatis , quia hæc forent penè innumera. Ratio accidentis suprema dividitur in proprium , & commune. Sitamen per separabilitatem , aut inseparabilitatem dividatur , erit divisio infima , non suprema : unde ex ea non sumitur diversum prædicabile.

Ad 3. dic , quod calor non est unum prædicabile relatè ad ignem , & aquam , quia ignis , & aqua non conveniunt univocè in calore , & sic nec prædicabiliter. Est ergo calor univocus ad omnes ignes , & sic quartum prædicabile relatè ad eos , sicut risibile relatè ad homines. At relatè ad subjecta extrinseca , ut sunt omnes aquæ , & alia ab extrinseco calida ;

ca-

calor est quintum prædicabile. Quo cessat argumentum. ✓

§. I I.

Probatum quod universale est genus ad quinque prædicabilia.

14. QUÆRI solet , an universale sit genus ad quinque prædicabilia ? Est querere , an ratio communis prædicabilis sit univoca , & æqualiter conveniens omnibus prædicabilibus assignatis ? Nota ex sæpe dictis in antecedentibus , quod aliud est *universale* , aliud *universalitas*. Universale dicit naturam , quæ est universalis , & secundam intentionem ; sicut *album* dicit albedinem , & subjectum habens illam. Universalitas dicit secundam intentionem prædicabilitatis , & universalitatis. Non querimus de universali ratione naturæ , quia cum natura pro materiali importata sit aliquando substantia , aliquando accidens ; & ad substantiam , & accidens nihil sit univocè commune , ut dicemus libro sequenti ; ideo universale sumptum pro natura , nequit esse univocum , nec genus ad quinque prædicabilia. Est questio de universali sumpto pro secunda intentione ; an scilicet præ-

dicabilitas sit ratio communis univoca ad omnia prædicabilia ? Communis sententia affirmat , & pro contraria univocè citantur Albertus Magn. tractatu 2. in Porphyrium cap. 9. Canterus in antepredicam. cap. 4. & ex antiquioribus Boëtius , & Ammonius supra caput generis.

15. Dicendum est nobis cum communi sententia quod universale est genus ad quinque prædicabilia. Ita noster Agidius à Gavardi allegatus super artem veterem pag. 10. sed expressius id docet quest. 6. super universalis. Idem docent Thomistæ omnes cum D. Thoma , nec dissentit P. Augustinus ubi supra capit. 7. libri de decem Categorijs , ubi æqualiter sine ullo discrimine observat genus , speciem , &c. prædicari ut superius de pluribus inferioribus.

Probatum conclusio. Genus , ut dicemus est *quod prædicatur de pluribus differentiibus specie in eo quod quid* : sed universale prædicatur de omnibus prædicabilibus , quæ specificè differunt , & prædicatur in quid : ergo universale est genus ad quinque prædicabilia. Min. quoad primam partem patet , quia prædicabilia inter se specificè differunt. Quoad secundam partem probatur , nam inquirenti quid sit species ? Respondemus bene : est uni-

R r

ves

versale; & idem de alijs: ergo prædicatur in quid.

Confirmatur. Ideò non esset genus, quia non foret ratio univoca ad prædicabilia, quorum alia prædicantur essentialiter, alia accidentaliter: at qui ratio universalis, & prædicabilis, univoca est ad omnia prædicabilia: ergo est genus. Major est præcipuum fundamentum contrariorum. Probatur min. Tunc datur univocatio, quando inferiora conveniunt in ratione communi æqualiter: sed omnia prædicabilia conveniunt æqualiter in ratione communi prædicabilis: ergo est eis univoca. Probatur min. Æqualitas, vel inæqualitas orta ex differentijs, non tollit univocationem, & æqualitatem in ratione communi: sed prædicari essentialiter, vel accidentaliter, quod facit prædicabilia inæqualia, est inæqualitas orta ex differentijs prædicabilium, ut patet: ergo in ratione communi non tollitur æqualitas, & univocatio. Min. cum consequentia tenet, & maj. est certa, quia univocatio, & æqualitas hominis cum brutis in ratione animalis, non tollitur per inæqualitatem, qua rationale excedit irrationale; quoniam inæqualitas hæc oritur ex differentijs.

Confirmatur. Licet detur una propositio essentialis, alte-

ra accidentalis, at conveniunt univocè in ratione generica propositionis: ergo licet unum prædicabile sit essentialiter, aliud accidentale, conveniunt univocè in ratione generica prædicabilis. Probatur consequentia. Ideò antecedens est verum, quia tam propositio essentialis, quam accidentalis conveniunt æqualiter in eo quod unum de altero affirmetur. Sed omnia prædicabilia conveniunt æqualiter in eo, quod sint superius affirmabile de multis: ergo sicut propositio est genus ad omnes propositiones; ita universale ad omnia prædicabilia.

16. Argues 1. Modus prædicandi essentialiter, & modus prædicandi accidentaliter, nequeunt univocè convenire: ergo universale non est ratio univoca ad prædicabilia; & consequenter nec genus. Probatur antecedens. Modus essendi essentialiter, & modus essendi accidentaliter, nequeunt univocè convenire: ergo nec modus prædicandi essentialiter, & accidentaliter. Confirmatur 1. Ad substantiam, & accidens, nil est univocum: sed prædicabilia quædam sunt substantia, quædam sunt accidens: ergo idem. Secundò genus, & omnis ratio univoca non transcendit differentias, ut lib. sequen. dicemus, quia transcendentia causat analogiam: sed universale

fale transcendit differentias prædicabilium: ergo non est ratio univoca, sed analogia.

Hoc est præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ. Respondetur neg. antecedens, ad probationem dic, quod modus essendi essentialiter, & accidentaliter, sumptus absolute, non conveniunt univocè; sed modus essendi essentialiter, & accidentaliter, ut superius in inferioribus convenit univocè. Ratio hujus est, quia tam superius est album ad hominem, & equum, in quibus est accidentaliter; quam homo ad Petrum, & Paulam, in quibus est essentialiter. Cum ergo modus prædicandi non sumatur à modo essendi absolute, sed à modo essendi per modum superioris in inferioribus; ideò si ille est univocus; ita & modus prædicandi.

Ad primam confirmationem dic, quod prædicabilia pro materiali sunt substantia, & accidens, sed non pro formali, quia sic neutrum sunt: unde ad illa pro formali datur ratio generica, & univoca. Ad secundam dic, quod universale non transcendit differentias prædicabilium; quia nulla est universalis formaliter ratione sui, sed ratione secundæ intentionis superadditæ. Ut ergo vi transcendentia redderetur analogia ratio universalis, debebat hæc

prædicari formaliter de differentijs prædicabilium ratione sui. Sic respondent DD. nostri, quod amplius explicatur notando prædicabilia differre per differentias primò intentionaliter sumptas, ut suat convenire essentialiter, accidentaliter, in quid, in quale. De istis differentijs sic non prædicatur formaliter intentio universalitatis, sed adjectivè, ratione entis rationis superadditi.

17. Argues 2. Si universale esset genus ad quinque prædicabilia, universale esset inferius, & superius ad genus primum prædicabile: sed idem respectu ejusdem nequit esse inferius, & superius: ergo universale nequit esse genus ad quinque prædicabilia. Major: quoad primam partem patet, nam quodlibet genus est superius ad suas species, v.g. animal est superius ad hominem, equum &c. Ergo si universale esset genus ad quinque prædicabilia, universale esset superius ad primum prædicabile quod est genus. Quoad secundam partem etiam. Nam animal & quodcumque genus particulare, continetur ut inferius sub genere si universale esset genus ad quinque prædicabilia, esset inferius ad genus. Confirmatur. Si universale esset genus ad quinque prædicabilia; omnia hæc forent

species contentæ sub genere universalis : ergo non daretur nisi unum prædicabile , quod esset species.

Ut respondeas, nota quòd idem substratum potest suscipere multas & diversas secundas intentiones, v.g. si abstrahis hominem à singularibus , resultat in eo secunda intentio speciei; si iterum cognitione complexa ponas in propositione hominem cognitum , resultat in eo secunda intentio subiecti, prædicati, & sic de alijs. Hoc notato, dic , quòd idem respectu ejusdem nequit esse superius, & inferius per eandem secundam intentionem ; bene verò per diversas : unde universale est superius ad genus per secundam intentionem universalem; sed est inferius per alteram secundam intentionem generis, quæ resultat ex actu intellectus abstrahente; & cognoscitur in actu intellectus comparante naturam ad inferiora, ut diximus lib. 3. quæst. 4. §. 3. Vel dic, quòd idem nequit esse essentialiter superius, & inferius; bene tamen superius essentialiter, & inferius accidentaliter, & denominativè.

Sic contingit in universali, nam est essentialiter superius ad prædicabilia, & est accidentaliter inferius ratione secundæ intentionis generis supervenientis. Sic integra propositio potest esse terminus, & pars, aut primum principium propositionis, v.g. *Homo est animal est propositio*, ly *homo est animal*, quod ex se est propositio, rediditur terminus denominativè ratione secundæ intentionis, quam subiundit de novo. Sic in nostro casu.

Ad confirmationem patet ex dictis. Nam omnia prædicabilia sunt species accidentaliter, & denominativè ratione intentionis speciei superadditæ ex comparatione ad universale : non autem sunt species essentialiter. Vel dic, quòd prædicabilia sunt species comparativè ad universale, quod est genus; non tamen comparativè ad inferiora, de quibus prædicatur : & cum prout sic distinguantur; idè non sequitur quòd non sit tantum unum prædicabile, sed manent quinque, ut dictum est.

Quid sit genus? Quidve diffinitum in diffinitione generis?

§. I.

Traditur diffinitio generis, & quædam contraria dissolvuntur.

I. GENUS tripliciter sumitur: nam primò significat collectionem plurium sub uno Parente, ut genus Romanorum, qui descendunt à Romulo Romano Rege; genus Jacob descendentes ab illo per generationem. Secundò sumitur translativè à Philosophis, pro formis convenientibus in una materia; quare dicuntur formæ ejusdem generis, quæ in eadem materia recipiuntur. Tertio sumitur à logicis pro illo prædicato communi pluribus habentibus diversam naturam, ut *animal*, quod est commune homini & leoni, habentibus naturam diversam, genus logicum est. De illo sic agimus in præfati, & diffinitur à Porphyrio sic. Genus est *Quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid*. Eandem diffinitionem tradit P. August. lib. de decem Categorijs cap. 7. per hæc verba: *Genus est, quod secundum multa & differentia quid sit spe-*

cie, ostenditur, atque significatur, ut est usia, idest substantia.

Explicatur communis diffinitio sic. Illa verba *Quod prædicatur* habent rationem generis, per quod genus convenit cum reliquis prædicabilibus, quia omnia prædicantur. Illa *De pluribus differentibus specie*, ponuntur loco differentiæ, quia species prædicatur de differentibus numero; genus autem de differentibus specie. *Ly in quid*, distinguit genus à differentia, & duobus ultimis prædicabilibus; nam hæc prædicatur *in quale*; genus *in quid*. Ut enim bene cum Doct. nostro observat Villanova, interroganti quid sit homo? Respondemus est animal. Quærenti vero qualis sit? Respondemus est rationalis, risibilis, albus: ergo quia genus prædicatur *in quid*, differentia verò & alia duo ultima *in quale*.

2. Observa pro intelligentia horum, quòd illud prædicatur *in quid*, quod prædicatur

catur *substantivè*, & est de essentia subjecti de quo prædicatur, v.g. *Petrus est homo: Petrus est animal*. Id prædicatur *in quale*, quod prædicatur *adjectivè*, & est extra essentiam subjecti, v.g. *Petrus est albus. Petrus est currens*, sit enim prædicatio per nomina adjectiva *albus, currens*, foret autem falsa per substantiva sic, *Petrus est albedo, Petrus est cursus*.

Observa quòd differentia etiam prædicatur *adjectivè*, & *in quale*, v.g. *Petrus est rationalis*. Ceterùm non prædicatur *in quale* ex parte rei significatæ, sed ex modo significandi. Ratio primi est; quia differentia identificatur realiter cum subjecto de quo prædicatur, & est pars essentiæ illius, ut patet exemplo dato: sed si res significata est de essentia subjecti, non prædicatur *in quale* ex parte rei significatæ: ergo differentia non prædicatur *in quale*, sed *in quid* ex parte rei significatæ. Ratio secundi est, quia differentia significatur modo adjectivo, & est extra conceptum generis, ut dictum est lib. præcedente quæst. 6. ergo ex modo significandi significatur, & prædicatur *in quale*. Hinc dicitur, quòd differentia prædicatur *in quale quid*, quia est *quid* ex parte rei significatæ, & est *quale* ex modo significandi. Genus autem, &

species prædicantur *in quid*, utroque modo; sed differunt, ut dictum est, quia species prædicatur de numero diversis, ut *homo* de Petro, & Paulo: genus de differentibus specie, ut *animal* de homine, & equo.

3. Argues 1. contra hanc diffinitionem. Genus etiã prædicatur de pluribus differentibus numero: ergo malè diffinitur per hoc. Probatur antecedens. Itæ sunt bonæ prædicationes *Petrus est animal: Paulus est animal*: sed animal est genus; & Petrus, & Paulus solo numero differunt: ergo genus &c. Confirmatur. *Vivens*, quod est genus, prædicatur de homine, & planta: sed homo, & planta differunt pliusquam specie: ergo perperam dicitur, quod prædicatur de pluribus differentibus specie.

Respondetur communiter, quòd genus immediatè non prædicatur de individuis, sed mediatè; scilicet mediante specie; nam quia homo est animal, ideò Petrus, Paulus, & alij homines, sunt animal. Nec prædicationes illæ in argumæto sunt immediatæ sed mediatæ; diffinitio generis intelligitur de prædicatione immediata. Et si dicas: hæc est prædicatio immediata, *Hoc animal est animal: Hoc animal est animal*. At hic prædicatur animal

mal, quod est genus, de animalibus numero diversis: ergo genus prædicatur immediatè de numero differentibus. Respondetur quòd in his ly *animal* prædicatur ut species, quia dicit totam essentiam subjecti; & sic nil mirum, quòd de numero diversis prædicetur. Ad confirmationem dic, quòd homo, & planta, licet inter se differant genere; non autem nisi specie differunt relatè ad *Vivens*: quare de solis specie diversis prædicatur.

4. Argues 2. Genus non differt satis à specie per prædicari de pluribus differentibus specificè: ergo malè diffinitur. Probatur antecedens. Licet differentia subalterna prædicetur de differentibus specificè, non satis differt à differentia infima, quæ prædicatur de differentibus numero: ergo nec genus à specie. Confirmatur 1. Si genus, ut genus, posset diffiniri, omne genus posset diffiniri: sed genus omnium supremum non potest diffiniri: ergo nec genus ut genus. Probatur min. Genus omnium supremum non habet genus supra se: sed quod non habet supra se genus, nequit diffiniri per diffinitionem constantem genere, & differentia: ergo. Confirmatur 2. Quod diffinitur est species: sed genus non est species: ergo nequit diffiniri.

Probatur maj. Quod diffinitur, constat ex genere, & differentia: sed quod ita constat, est species: ergo &c.

Ad argumentum respondetur communiter, quòd genus differt à specie per hoc quòd species dicit totam essentiam, genus verò partem potentialem ejus. Differentiæ verò tam subalterna, quàm infima dicunt partem actualem, unde conveniunt in hoc, & sic non differunt satis, ut constituant duò prædicabilia. Hæc solutio salvat numerum prædicabilium, sed non diffinitionem generis: quia si verum discrimen generis à specie non stat in eo, quòd prædicetur de differentibus specie, sed in eo quòd prædicetur dicens partem potentialem essentiæ, diffinitio debebat dicere genus est *Quod prædicatur de pluribus dicens partem potentialem*, & non ut dicitur à Porphyrio. Patet hoc, nam si cur diffinitio debet constare genere, & differentia, debet exprimere quod est vera differentia. Sed juxta solutionem vera differentia generis à specie non est prædicari de differentibus specificè, sed prædicari *in quid* dicendo partem potentialem: ergo hoc, & non aliud, debebat exprimi in diffinitione ut ratio differentialis.

5. Dicimus tamen in gratiam diffinitionis Porphyrij, &

& communis solutionis datæ, quod in diffinitione Porphyrij satis exprimitur. quod genus dicit partem potentialem essentialitæ. Nam dicitur quod genus *Prædicatur de differentibus specificè in quid*, hoc est essentialiter tam ex parte rei significatæ, quàm ex modo significandi, ut dictum est. At solum id quod prædicat partem potentialem, potest prædicari *in quid* de differentibus specie: ergo dicendo prædicari *in quid* de differentibus specificè, exprimitur prædicari, ut dicens partem potentialem. Probatum. Quod dicit totam essentialitæ, nequit prædicari *in quid* de differentibus specie, alioquin diceret non unam naturam, sed multas specie diversas. Item quod dicit partem actualem essentialitæ, non prædicatur *in quid*, sed *in quale* ut patebit ex diffinitione differentitæ: ergo restat id solum prædicari *in quid* de differentibus specie, quod dicit partem potentialem essentialitæ subjecti, de quo prædicatur.

Ad 1. confirmationem dicimus, quod genus omnium supremum sumptum primò intentionaliter, nequit diffiniri, ut patet in substantia, quæ est primum prædicamentum, quæ non potest diffiniri, cum non habeat genus supra se; unde dum dicitur substantia est *Ens per se*,

loco generis ponitur *ens*, quod non est genus, sed ratio analogica superior ad substantiam. At genus supremum sumptum secundò intentionaliter, potest diffiniri, & habet genus supra se, & de eo sic datur nunc diffinitio. Ad secundam confirmationem dic, quod genus non est essentialiter species, ceterum subinduit intentionem speciei, ut diximus quæst. præcedente, & hoc est satis, ut possit diffiniri.

6. Argues 3. Si genus diffiniretur per genus & differentiam, idem diffiniretur per idem, & diffinitum ingrediatur diffinitionem: sed hoc est contra regulas Dialecticæ: ergo genus nequit diffiniri. Respondetur, quod genus signatum diffinitur per genus exercitum & differentiam: unde non diffinitur idem per idem, sed unum per aliud. Sic dum diffinitio dicitur *Oratio explicans essentialitæ rei*, diffinitio diffinitur per diffinitionem, sed non sequitur quod diffiniatur per se ipsam. Ratio est, nam diffinitio diffinita, est diffinitio signata; diffinitio diffiniens, est diffinitio exercita, unde signata diffinitur per exercitam; & sic unum per aliud, non idem per idem. Pariter in casu nostro genus signatum diffinitur per genus exercitum.

Sen-

§. II.

Sententia referantur, & suis fundamentis comprobantur.

7. MARTINIUS, citatus à Meriæro in præfati, nuperos, ut ipse vocat, impugnavit Dialecticos, quærentes operosè quid sit diffinitum in diffinitione generis? Nam per inde est ac quærere, quomodo vocatur Pater filiorum Cebedæ? At potius Martinus ipse dimittendus, qui nec quæsitum penetravit, nec antiquos Scholæ Principes disputantes hoc notavit. Non est quæstio de nomine, quo vocatur diffinitum in diffinitione generis; nam certè vocatur *genus*; sicut Pater filiorum Cebedæ, vocabatur Cebedæus, & Martinus Martinus. Ceterum cum *genus*, sit concretum accidentale ex natura quæ prædicatur de pluribus, & secunda intentione generis, pulsat dubium, an diffinitum sit utraque pars complexi; an sola natura, an sola intentio, an unum connotando aliud? De hoc expressè disputarunt antiqui ut N. Egidius, Scotus, Cajetanus, & alij; nec immeritò, quoniam eadem est quæstio de quolibet concreto

accidentali v. g. dum *album* diffinitur est *Disgregativum visus*.

Hic duo sunt certa. Nam primò non diffinitur sola natura secundum se, & independenter à secunda intentione generis. Ratio est clara. Quia natura secundum se non est una; cum jam sit substantia, ut *animal*; jam accidens, ut *color*, relatè ad omnes colores; jam ens reale, ut in datis exemplis; jam ens rationis ut *modus sciendi* qui est genus ad suas species. Atqui ens ut comprehendit substantiam, accidens, ens reale, ens rationis, non est unum unitate sufficienti, ut possit diffiniri unica diffinitione; item supra ens ut sic nulla datur ratio superior generica per quam possit diffiniri: ergo diffinitum hujus diffinitionis non est sola natura secundum se. Hoc ferè argumento probavit S. P. Augustinus, quod substantia primum prædicamentum non potest rigorosè diffiniri, quia non habet genus supra se. Ita lib. de Categ. cap. 9. nomine usitæ substantiam intelligens, dicit: *Sed usitæ, quoniam secundum artem diffiniri non poterat, quæ præcipit, ut diffinitio, quo possit tendi latius, à genere sumat exordium; ipsa autem usitæ genus non habet &c.*

Secundò est certum non

Sf

dif-

diffiniri solam secundam intentionem. Ratio est, quia secunda intentio generis non est id quod prædicatur de pluribus differentiis specie: sed diffinitum in diffinitione generis est id quod prædicatur de pluribus &c. ergo diffinitum in diffinitione generis non est secunda intentio sola. Rursus aliud est *genus*, aliud *generitas*, hæc dicit intentionem in abstracto, & sic solam; illud dicit intentionem in concreto, & sic simul cum natura: at non diffinitur generitas, sed genus: ergo diffinitum non est sola intentio generis. Hoc argumento usus est P. Augustinus lib. de Categ. cap. 12. observans quod ab Aristot. non diffinitur qualitas in abstracto, sed in concreto, dum dicit: *Qualitas est secundum quam quales dicuntur*. Supra quæ P. Augustinus, notato discrimine, ait: *Licet Aristoteles indifferenter pro qualitate quale posuerit, & qualitatem pro quali &c.*

8. His certis, apud DD. tot sunt sententiæ, quot possunt esse, nam prima docet diffinitum in diffinitione generis esse utrumque in recto, scilicet naturam, quæ prædicatur, & secundam intentionem, vi cujus prædicatur. Ita Rubio, & Cabero, & aliqui RR. citantes Fabrum. Probatur 1. Diffinitum est cui convenit diffinitio

generis: sed hæc convenit aggregato ex natura & secunda intentione in recto ingredientibus: ergo diffinitum est aggregatum ex natura & secunda intentione in recto ingredientibus. Probatur min. Naturæ convenit prædicari *ut quod*; intentioni verò prædicari *ut quo*: ergo de aggregato verificatur diffinitio, scilicet esse id, quod prædicatur de pluribus &c.

Confirmatur 1. Sicut diffinitio adæquatur cum essentia diffiniti, quam explicat; ita species impressa, vel expressa adæquatur cum objecto, quod representat: sed unica specie impressa Angeli superioris representantur plura, essentialiter diversa: ergo quantumcumque aggregatum ex natura & intentione, contineat extrema summè diversa, poterit aggregatum illud diffiniri unica diffinitione; quare perperam ex hoc principio negatur, quod in diffinitione generis diffiniatur aggregatum.

Confirmatur 2. Licet compositum physicum constans ex materia & forma, dicat ex æquo & in recto utramque, dicit tamen quidditatem simpliciter unam, & unica diffinitione diffinibilem: ergo licet aggregatum ex natura & secunda intentione dicat ex æquo & in recto utramque, ac quiddi-

ditas inde resultans erit una simpliciter, & unica diffinitione diffinibilis, qualis est generis diffinitio. Probatur consequentia. Ideò antecedens est verum, quia materia & forma sunt in esse physico quidditates incompletæ, ex quibus resultat unica quidditas completa: at etiam in esse intentionali & logico, natura & secunda intentio sunt quidditates incompletæ, ex quibus resultat una quidditas completa, quæ vocatur genus: ergo sicut in diffinitione compositi diffiniuntur materia & forma in recto; sic in diffinitione generis &c.

Confirmatur 3. Unio civilis plurium partium sufficit, ut ex eis componatur totum civile, nempe *civitas*, unica diffinitione diffinibilis. Rursus ex unione logica partium syllogismi resultat syllogismus, unica diffinitione diffinibilis: ergo ex unione logica naturæ & intentionis resultat genus, unica diffinitione diffinibile. Quare diffinitum erit aggregatum ex unione talium resultans.

9. Secunda sententia docet diffinitum esse secundam intentionem generis connotantem naturam. Ita Cajet. cap. de gener. & major pars Thomistarum; quibus accedunt Scotistæ cum Merinero, & ex nostris Barlaeus. Probatur. Quia

id est diffinitum in diffinitione generis, quod præcipue intenditur à logica: sed logica præcipue intendit secundas intentiones, cum ejus objectum sit ens rationis & secunda intentio: ergo secunda intentio in recto, & ut connotans naturam, est diffinitum in diffinitione generis.

Confirmatur 1. Actus diffiniens genus est actus logicæ: sed omnis actus logicæ habet pro objecto formali secundam intentionem rationis: ergo diffinitum &c. est secunda intentio. Patet consequentia, quia illud est diffinitum, quod est objectum actus diffinientis.

Confirmatur 2. Essentia, quæ explicatur per diffinitionem generis, est una & eadem in omnibus generibus: sed sola essentia secundæ intentionis est una in omnibus generibus: ergo sola essentia secundæ intentionis diffinitur in diffinitione generis. Major patet, quia omnia genera conveniunt in prædicari de pluribus differentiis specie; quare essentia consistens in hoc, est una in omnibus generibus. Minor est certa. Quia natura, quæ prædicatur, non est una in specie, sed per omnia prædicamenta divagatur: sed quod non est unum specificè, non est unum in essentia: ergo &c.

Confirmatur 3. Sicut album

bum diffinitur *Disgregativum visus*, ita genus dicitur *Quod predicatur de pluribus &c.* sed in diffinitione albi non diffinitur natura formaliter, sed forma albedinis, ratione cujus corpus disgregat visum: ergo in diffinitione generis diffinitur forma ratione cujus natura prædicatur de pluribus. Sed forma hæc est secunda intentio: ergo &c.

Quartò. Id quod diffinitur debet esse unum unitate univoca: sed natura dicens intentionem, non est univoca; bene tamen à contrario intentio connotans naturam, univoca est: ergo diffinitum non est natura, sed intentio in recto, connotando naturam in obliquo. Probatur min. Natura potest esse substantia, vel accidens; ens reale, aut rationis; sed ad hæc nulla datur ratio univoca: ergo &c.

10. Tertia sententia docet diffinitum esse naturam in recto, & intentionem in obliquo. Ita ex DD. Societatis Toletus, Hurtado, Alphonsus. Ex Thomistis Iavellus, Soto, Lerma. Ex nostris Venetus, Veracrucius, & ferè omnes cum Ægidio quæst. 6. super universalis. Fundamentum præcipuū est. Id est diffinitum, cui convenit diffinitio: sed diffinitio non convenit secundæ intentioni, sed soli naturæ conno-

tanti intentionem: ergo hæc est diffinitum in diffinitione generis. Major patet, alioquin non esset bona diffinitio si non diffinito, sed alteri à diffinito conveniret. Minor est certa, quia secunda intentio non prædicatur de pluribus differentiibus specie; bene autem natura.

Confirmatur. Animal est natura, quæ denominatur genus: sed animali convenit essentialiter diffinitio generis: ergo natura, ut connotans intentionem est diffinitum in diffinitione generis. Patet consequentia, quia diffinitio omni & soli diffinito convenit essentialiter: ergo si animali convenit essentialiter diffinitio generis &c. Diffinitio generis est prædicari de pluribus specie distinctis: sed animal essentialiter est prædicabile de homine, equo, aliisque specie distinctis: ergo &c.

§. III.

Nostri sententia proponitur, & probatur, & aliarum fundamenta expenduntur.

II. **N**OSTRA sententia expressè adversatur primæ, & adhæret tertiæ, nec in re contradicit secundæ. Contra primam di-

dicimus, quod diffinitum in diffinitione generis non est aggregatum ex natura & secunda intentione. Ita expressè Noiler Ægidius quæst. 6. super universalis, ubi in terminis disputat de hoc, & in corpore dicit: *Ideo res præcisè non diffinitur, nec secunda intentio sola, cum ipsa de speciebus non dicatur in quid. Nec minus aggregatum illud ex re, & intentione. ne secunda; cum diffinitio sit una, & diffinitum debeat esse unum per se, quod nequit dici de aggregato illo.*

Eandem doctrinam tenent Thomistæ cum D. Thoma cap. 7. de ente, & essentia, & 7. Metaphysicæ lect. 3. ubi docet, quod ens per accidens unum non potest diffiniri: atqui aggregatum ex natura & secunda intentione, est ens per accidens, & non per se unum: ergo tale aggregatum nequit esse diffinitum in diffinitione generis. Major præter quam quod est D. Thomæ, & B. Ægidij, patet à ratione. Quia quod est unum solum per accidens, per se est plura: ergo plures habet quidditates, quæ non possunt unice diffinitione diffiniri. Minor etiam est certa, quia ex ente reali, & rationis nequit fieri unum per se; immò nec ex duobus entibus realibus si sint diversi prædicamenti; nec ex entibus realibus ejusdem

prædicamenti, nisi unum sit potentia, aliud actus. Ergo cum natura & intentio sint ens reale & rationis, ex eis nequit resultare unum per se. Quare aggregatum illud nequit diffiniri.

Præterea: Illud cui non convenit diffinitio generis, non est diffinitum in diffinitione generis: sed aggregato illi dicenti in recto utrumque, non convenit diffinitio generis: ergo non est diffinitum. Probatur min. Aggregatum illud dicens utrumque in recto, non prædicatur de pluribus differentiibus specie; alioquin sicut de homine dicitur animal, & est verum *Homo est animal*, ita de eodem prædicaretur intentio generis, & esset verum *Homo est genus*, vel *homo est genericitas*: ergo aggregato illi non convenit diffinitio generis. Habemus ergo contra primam sententiam Beatos Doctores Thomistam, & Ægidium, & ex ipsis rationem probativam: nec non quod diffinitum non est sola natura, nec sola secunda intentio, ut supra diximus num. 7. & ex P. Augustino comprobavimus.

12. Dicimus secundò. In favorem tertiæ sententiæ naturam ut connotantem secundam intentionem esse diffinitum *ut quo*: ipsa verò intentio est diffinitum *ut quo*. Ita in

in terminis Doctor N. loco laudato, ubi post allegata dicit sic: *Vnde dicendum probujus declaratione & intelligentia, quod generis diffinitio tam rei, quam intentioni convenit, sed aliter, & aliter: intentioni quidem ut quo; rei verò ut quod. Illi formaliter, & causaliter (ut ita dicam) huic verò denominativè, fundamentaliter, & radicaliter. Res igitur est, quæ prædicatur de pluribus speciebus, ut animal de homine, & leone. Sed ratio quare prædicatur, est secunda intentio. Sicut esse album: albedo enim propriè non est alba; sed est ratio, & causa quare corpus sit album. Sic se habet intentio ad rem. En conclusio nostra, exemplum, & ratio probativa.*

Sicut enim albedo non est alba *ut quod*, sed *ut quo*; ita intentio non est genus *ut quod*, sed *ut quo*. Rursus sicut corpus se solo non est album, sed ut habet albedinem; ita natura se sola non est genus, sed ut habet secundam intentionem: ergo sicut corpus ratione albedinis est album *ut quod*; ita natura ratione secundæ intentionis est genus *ut quod*. Nunc sic. Sed diffinitum in diffinitione generis est genus; sicut diffinitum in diffinitione albi est album: ergo quod est genus *ut quod*, est diffinitum *ut quod*.

DE PRÆDIC.

& quod est genus *ut quo*, diffinitur *ut quo*. Sed intentio nō est genus *ut quod*, sed *ut quo*; natura verò connotans secundam intentionem, est genus *ut quod*: ergo diffinitum quod est natura connotans secundam intentionem; intentio verò est diffinitum *ut quo*.

13. Dicimus tertio. Secundam sententiam esse veram, si alijs terminis proponatur dubium, videlicet sub his: *Quid dicat primò diffinitum in diffinitione generis?* Nam diffinitum est genus; & si quæras quid primò dicat genus? Respondeamus cum secunda sententia dicere primò & per se intentionem, & in obliquo naturam. Ita N. Doct. loco laudato in solutione ad tertium, ubi concludit: *Et idèo logicus primò, & per se habet considerare ipsas intentiones, & ex consequenti res.* Merinero vult hos terminos esse eosdem, ac illi quibus dubium propositum est. Noster Villanova negat. Res est parvi momenti, in qua semel viso utroque sensu, non licet immorari.

14. Ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 8. respondemus, & ad primum; nego min. nego quod aggregato illi conveniat diffinitio generis *ut quod*, vel *ut quo*. Tum quia contrarium probavimus num. 11. in fine. Tum, quia

ut

QUÆST. II.

ut illi aggregato conveniret diffinitio *ut quod*, deberet partibus ejus, divisivè acceptis, sic convenire. Divide partes, non omnes prædicantur *ut quod*, quia hoc non convenit intentioni. Iterum divide, non omnibus convenit *ut quo*, quia naturæ non convenit *ut quo* prædicari. Ergo sumpto aggregato ex partibus ex æquo, & in recto ingredientibus, illud nec *ut quod*, nec *ut quo* habet prædicari de pluribus.

Ad primam confirmationem, quæ cum reliquis militat contra rationem probativam nostram, respondemus negando majorem. Potest enim Angelus unica cognitione, & unica specie, cognoscere hominem; & risibilitatem, quæ est passio ejus: at hoc non potest diffinire unica diffinitione, sed duabus. Desparitas est, quia ad unitatem speciei, & cognitionis, non requiritur unitas quidditativa, sed unitas objectiva, & rationis formalis, quæ datur inter objecta partialia scientiarum, quæ ab uno habitu attinguntur, quia cadunt sub eadem ratione formali. At diffinitio petit unitatem quidditatis, quare aggregatum ex quidditatibus diversis non potest diffiniri.

Ad 2. confirmationem concessio antecedenti, nego consequentiam, ad probationem

§. III.

ejus, nego causalem præcisè. Sed ulterius ratio est, quia materia est pura potentia, forma est actus, *Ex actu autem, & potentia fit unum per se.* Hæc ratio militare nequit in natura, & secunda intentione, cum natura sit ens completum, nec comparetur ad intentionem, nisi ut substantia ad accidentia: sed ex substantia, & accidenti non fit unum per se, sed fit concretum accidentale, quod si utramque partem dicat in recto, non est diffinibile: ergo licet concretum ex materia & forma, sit diffinibile; secus aggregatum ex natura & secunda intentione.

Ad 3. confirmationem dic, primum exemplum potius probare contrarium. Dum enim diffinitur civitas, non importantur cives in recto, sed in obliquo, ut si dicas civitas est *Unio civilis plurium hominum conviventium.* En quod diffinitur *ut quod*, & in recto est unio; cives verò importantur in obliquo. Ergo inde non suadetur quod in diffinitione generis intrent in recto natura, & intentio, sed unio utriusque. Nec secundum exemplum favet, nam partes syllogismi sunt propositiones, quæ veluti materia logica ordinantur ad formam totius syllogistici; quare ex partibus eis, & forma, fit logicè unum per se; & sic diffi-

fi

finibile. At natura non ordinatur per se ad secundam intentionem, sed per accidens; quare ex utraque, maxime in re, eto ingredientibus, fit unum per accidens, & sic non est diffinibile.

15. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 9. respondemus eis probari, quod intentio fit diffinitum *ut quod*, & quod natura ratione sui non fit diffinitum *quod*, sed ratione intentionis, ut docet Ægidij sententia. Unde ad primum respondemus in forma, disting. maj. Id est diffinitum, quod præcipue intendit logica; id est diffinitum *ut quod*, nego maj. *ut quod*, concedo maj. & concessa min. disting. consequens: ergo secunda intentio est diffinitum *quod*, nego consequentiam, *quod*, concedo consequentiam.

Ad primam confirmationem, concedo maj. & permitto min. nam lib. 1. Logicæ quæst. 8. 5. 6. & 7. probatum est, quod objectum logicæ formale non est secunda intentio, sed conformitas intellectus cum secundis intentionibus; id tamen admissio pro nunc, disting. consequens, ergo diffinitum est secunda intentio, diffinitum *quod*, concedo consequentiam, *quod*, nego consequentiam. Et quidem actus quo nomen, & verbum diffiniuntur, sunt actus Logicæ,

& pertinent ad libum 1. rethoriam. & tamen dum dicitur *vox significativa ad placitum* &c. non diffinitur *ut quod* secunda intentio, sed *ut quod*; quia diffiniuntur à logico quatenus sunt partes enuntiationis, & ratione secundæ intentionis partis, quam subindunt. Ita in præsentia.

Ad 2. confirmationem; concedo maj. & nego min. Ad probationem ejus disting. maj. natura, quæ prædicatur, non est una in specie, natura ex se & absolute, concedo maj. natura ut connotat intentionem generis, quam subinduit, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Natura in se una non est, sed ad varia predicamenta spectat. At omnia predicamenta conveniunt in eo quod sint substratum secundæ intentionis, & sub hac unitate, sunt unum in essentia logica diffinibili *ut quod*.

Ad 3. confirmationem dic, illa probari conclusionem nostram, nam in definitione albi non diffinitur albedo *ut quod*, sed *ut quod*, quia albedo non est alba *ut quod*, nec disgregat visum *ut quod*, sed *ut quod*. Ergo in diffinitione generis non diffinitur intentio *ut quod*, sed *ut quod*.

Ad 4. concedo maj. & nego min. ad probationem disting. maj. Natura secundum se,

se, concedo; natura ut substratum intentionis, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Natura non diffinitur secundum se ullo modo, ut dictum est num. 7. Sed natura quatenus ratione intentionis est prædicabilis de pluribus differentibus specie. Sub hac acceptione non est formaliter substantia, accidens, ens reale, aut rationis, sed præsupponit hoc, ut quid materiale, & de formali solum dicit posse prædicari de pluribus. Atqui in posse prædicari de pluribus conveniunt univocè omnia relata: ergo natura sub ista acceptione, habet unitatem univocam: & hoc modo diffinitur *ut quod*.

De fundamentis tertiæ sententiæ nil restat dicere, sed eis nostram sententiam confirmare, notando quod solum probant naturam connotantem intentionem esse diffinitum *quod*, non *quod*. Ex quibus omnibus colliges, quod dum diffiniuntur concreta accidentalia, ut *Album, dulce,*

sapiens &c. Diffinitum *quod* est substratum non solum, sed ut informatum forma accidentali; diffinitum autem *quod* est forma accidentalis concreti diffiniti.

Colliges 2. cum N. Ægidio ubi supra in solutione ad primum, quod licet natura sit genus, & natura animalis prædicatur de Petro, at Petrus non est genus. Item licet naturæ conveniat prædicari de pluribus, & natura sit in Petro; at naturæ Petri non convenit prædicari de pluribus. His dabitur cum Ægidio solutionem, ut talia sophisma solvas, dum opponantur nostræ sententiæ, solutio est, quia natura non est genus, nec prædicatur de pluribus secundum se, & ut est res; sed ut abstracta, & ut recipit intentionem generis: at in Petro non est natura abstracta, sed contracta; nec in eo substernitur intentioni generis, & prædicabilis; ergo non licet inferre quod natura Petri sit genus, aut quod in Petro sit prædicabilis de pluribus.

QUÆSTIO III.

Quomodo, & de quibus inferioribus prædicetur genus?

§. I.

Assignantur ea inferiora, de quibus genus, ut genus prædicatur.

1. **N**ON est dubium, quòd genus prædicetur de specie; nam id constat ex diffinitione generis supra explicata; etsi dubium sit quomodo de specie prædicetur, an ut totum, an ut pars, de quo §. seq. Est ergo dubium primò de individuis; secundò de differentia divisiva generis: quæ dubia non licet ex professo exagitare, ne nimis protendamur in re facili, parum agitata, quæ levi calamo dissolvitur.

Dubitatur 1. An genus, animal v.g. prædicetur de individuis? Pro dubio observa, quòd alia dicuntur individua completa, alia incompleta. Completa sunt, quæ dicunt naturam specificam, & simul differentiam individualem, ut *Petrus, hic homo*. Incompleta sunt, quæ dicunt solam naturam genericam cum differentia individuali, v.g. *Hoc animal, hoc videns*. Hoc notato dicimus. Genus ut genus prædicatur de individuis completis. Probat.

Hæc prædicatio *Petrus est animal*, est prædicatio generis ut talis: sed hæc prædicatur de individuo completo: ergo genus, ut genus prædicatur de individuis completis. Probat *magis*. Genus ut tale, prædicatur dicens partem potentialem subjecti, de quo prædicatur: sed hæc de Petro prædicatur, & non dicit totam ejus essentiam, sed partem potentialem: ergo prædicatur ut genus. Observa, quòd non prædicatur genus immediatè de individuis, sed mediatè; quia immediatè prædicatur de specie, & media illa de individuis. Solet hæc dubitari, an genus possit immediatè individuari, sed de hoc infra.

Dicimus 2. Genus ut genus non prædicatur de individuis incompletis, sed ut species. Probat in hac propositione *Hoc animal est animal, ly animal* prædicatur ut dicens totam essentiam subjecti: sed quod prædicatur dicendo totam essentiam subjecti, prædicatur,

ut

QUÆST. III.

§. I.

ut species, & non ut genus; quòd constat ex dictis: ergo genus ut genus, non prædicatur de individuis incompletis.

2. Dubitatur 3. An genus formaliter prædicetur de differentia? Nota duplicem esse prædicationem, alteram identicam, alteram formalem. Prædicantur identicè verè, quæcumque identificantur; cumque in homine identificentur animal, & rationale, non est dubium quin mutuo possint identicè prædicari, quare apud omnes est vera hæc *Rationale est animal*. Sicut in eodem sensu ista *Animal est rationale*. De quo plura diximus lib. 1. Logicæ quæst. 2. §. 2. & 3. & fusius quæst. 8. §. 6. & seqq. Dubium est ergo de prædicatione formali, quæ ad sui veritatem petit, quòd unum sit de essentia alterius. Hoc notato.

Dicimus quòd genus non prædicatur formaliter de differentia. Assertio est communis. Probat. Genus non est de essentia metaphysica differentie: ergo nequit prædicari formaliter de illa. Consequentia patet ex notatis. Antecedens probatur 1. ex Aristot. 3. Metaphysicæ textu. 13. dicente: *Genus est extra essentiam differentie*. Ibi D. Thomas, & N. Egidius idem docent. Secundò probatur à ratione. Nam idèo ens non est genus, quia est

de conceptu essentiali differentiarum, valet enim *Rationale est ens*, immò & in abstracto *Rationale est entitas*; non autem valet *Rationale est animalitas*, nec *Rationale est animal*; alioquin animal non esset genus, sicut nec ens. Tertio. Genus ut tale, petit univocationem: sed si esset de conceptu essentiali differentiarum, non diceret univocationem: ergo non esset genus. Probat. min. nam tunc non posset præscindi objectivè à differentiis, ut dicemus de ente; & patet ex dictis lib. 3. quæst. 6. quare includeret diversitatem differentiarum oppositam univocationi. Observa ex dictis quæst. 6. citata quòd in Angelis ubi ratio generica non præscindit objectivè à differentiis, genus prædicatur de differentiis formaliter, v.g. *Michaelitas est spiritualitas*. Ceterum ob eandem rationem non datur in Angelis proprium genus.

Objicies contra hoc. Iste syllogismus est bonus, & in Darapti. *Omnis homo est formaliter animal: sed omnis homo est formaliter rationalis: ergo omne rationale est formaliter animal*. Sed hic infertur præconsequenti ratio generica prædicata formaliter de differentiali: ergo potest prædicari formaliter. Respondeo syllogismum esse fallacem, & contra

regulas; unde nil concluderetur. Nam ad inferendam identitatem formalem duarum formalitatum, debet sumi medium quod sit unum, & formaliter simplex, & indivisibile: at homo, qui ibi ponitur ut medium concludendi, non est formaliter simplex, sed compositus ex duplici formalitate, scilicet ex animalitate, & rationalitate: ergo fallaciter concluditur, & sic nihil evincitur.

3. Dubitatur 3. An genus possit immediatè prædicari de individuo? Alijs terminis inquiritur hoc à R.R. An scilicet genus possit immediatè individuari? Suprà num. 1. dictum est, quòd genus v. g. animal nō prædicatur immediatè de Petro, Paulo &c. hoc idè dictum, quia inter genus, & individuum, mediat species, scilicet homo. Dum ita mediat, non potest genus immediatè prædicari. Restat, ut immediatè prædicetur, inquirere, an genus possit existere in individuo sine mediatione speciei, v. g. an possit existere aliquod animal singulare, quod non sit homo, nec brutum? Si hoc sit possibile, jam genus immediatè individuatur; & tunc immediatè prædicatur de individuo; etiam si non prædicaretur ut genus, sed ut species, ut num. 1. dictum est.

Aliqui R.R. respondent

affirmativè. Et suadetur. Quia unumquodque potest existere sine eo, quod non est de ejus essentia: sed genus non est de essentia differentiarum, nec differentiarum sunt de essentia generis, ut dictum est num. 2. ergo poterit genus existere in singulari sine aliqua differentia specifica; & consequenter poterit dari animal singulare, quod nec sit rationale, nec irrationale, sed immediatè unitum cum singularitate, & immediatè individuatum.

4. Contraria sententia est communis, cui subscribimus. Et probatur. Nam tale animal nec esset ejusdem rationis cum homine, nec diversæ. Non ejusdem, quia non haberet rationalitatem. Non diversæ; quia non haberet differentiam, per quam ab homine differret: ergo cum hoc sit implicatorium; implicat quòd genus immediatè individuatur. Et confirmatur. Nam animal adæquatè dividitur in rationale, & irrationale: sed hæc divisio nō esset adæquata, si possibile esset animal quod nec esset rationale, nec irrationale: ergo tale animal non est possibile.

Ad fundamentum in contrarium respondetur 1. quòd licet differentiarum non sint de essentia metaphysica generis; sunt tamen de ejus essentia physica. Est dicere, quòd licet non sint de

de essentia generis præcisivè sumpti; sunt tamen de essentia illius physicè sumpti. Cum ergo genus existat physicè sumptum, & non præcisivè; idè nequit existere sine differentijs. Adde quòd non minus, sed magis est de essentia generis differentia specifica, quàm differentia individualis: sed genus nequit existere sine differentia individuali, ut patet apud omnes: ergo nec sine differentia specifica. Respondetur 2. Quòd ut genus non possit existere sine differentia, satis est connexio inter utrumque: istam dari constat ex ipsis effectibus naturæ, ubi nullum datur genus existens sine differentijs.

5. Dubitatur 4. An genus possit salvari in unica specie? Idem infra de specie prolixè discutemus, an scilicet possit salvari in unico individuo? Qua propter hic leviter decidemus difficultatem circa genus. Dicimus quòd genus physicè sumptum salvatur in unica specie, alijs non existentibus, vel etiam repugnantibus. Ita N. Ægidius quæst. 9. super univers. in solutione ad 4. & in 2. Sent. dist. 3. quæst. 1. art. 3. ad tertium. Et idem infra dicemus de specie, quòd physicè sumpta salvatur in unico individuo. Eandem doctrinam docent Thomistæ cum D. Thoma. Et ratione probatur, quia tota per-

fectio physica generis reperitur in qualibet specie, v. g. tota perfectio animalis reperitur in homine, vel in equo. Totam itè perfectio specificam naturæ reperitur physicè in quolibet individuo; in Petro enim est tota perfectio essentialis naturæ humanæ: ergo genus physicè sumptum salvatur in unica specie; & species physica in unico individuo.

Dicimus 2. quòd genus metaphysicè sumptum non petit plures species existentes, sed salvatur in unica specie existente, & alijs possibilibus. Ita expressè Doct. N. quæst. 10. super universalia. Est doctrina communis, quæ ut supra applicatur ad speciem in unico individuo existentem, cum tamè alia sint possibilis, ut est natura solis. Probatur, quia genus metaphysicè sumptum, est quòd prædicatur de pluribus specie distinctis: sed essentia generis non consistit in actu prædicari; sed in posse prædicari de pluribus: ergo non petit genus plures species existentes, sed possibilis. Maj. cum consequentia tenet; & minor probatur à nostro Ægidio; quia essentia generis non consistit in aliquo accidentali, sed in aliquo essentiali: sed posse prædicari de pluribus, est essentialis generi, & omni prædicabili; at actu prædicati convenit ei accidentali-
ter

tar: ergo &c. In hoc fundatur dictum illud Philosophi, *Quod verba in diffinitione non dicunt actum, sed aptitudinem.*

Dicimus 3. Genus metaphysicè sumptum non salvatur in unica specie, si reliquæ sint impossibiles. Ita Doct. N. locis citatis. Et idem latè probabimus in quæst. de specie. Suedetur nunc breviter. Quia genus petit essentialiter posse prædicari de pluribus: sed si plura sunt impossibilia, non potest prædicari de pluribus: ergo genus metaphysicè sumptum, nequit salvari in unica specie, si aliæ sint impossibiles.

6. Dubitatur 5. An genus actualiter, an solum in potentia contineat differentias? Hæc quæstio coincidit cum alia, quæ inquit, an genus prædicetur de specie, ut totum, vel ut pars? Si ut pars? Ergo jam genus non continet actu differentias; quia si contineret, tunc genus esset tota essentia speciei. Si ut totum? Ergo ut totum actuale, vel potentiale. Si ut actuale? Ergo actu continet differentias. Si ut potentiale: ergo genus non continet actu differentias, sed in potentia. Hinc duo tituli vel sunt una quæstio, vel sunt duo ita inter se connexæ, ut una sine altera discuti non valeat; quare pro ejus elucidatione, & explicatione mentis Doct. N. qui

videtur ad speciem sibi contradicere, sit.

§. I I.

Deciditur, an genus prædicetur de specie, ut totum, an ut pars?

7. **N.** Villanova disp. 4. prædicab. dub. 3. cap. 1. docet quod

genus prædicatur de specie ut totum potentiale, & potestativum; & quod dicit totam essentialitatem speciei indeterminatè & implicitè v. g. dum dicimus *Homo est animal.* Ly animal dicit totam hominis essentialitatem implicitè (etsi non explicet) & indeterminatè. Pro hac sententia citat Doct. N. quæst. 7. super univers. & in 1. Sent. dist. 8. par. 2. quæst. 1. art. 3. & quodlib. 5. quæst. 19. & latissimè 2. Sentent. dist. 3. part. 1. quæst. 1. art. quem sequuntur Nostri Arimin. & Burlæus. Pro eadem sententia citat Thomistas, & Scotistas. Pro contraria citat N. Venetum, Cajetanum, Quiros, & aliquos modernos, docentes quod genus prædicatur, ut pars.

Probat à ratione ex nostro Ægidio, quia si genus non prædicaretur ut totum, sed ut pars, tunc prædicatio non esset essentialis, & vera: atqui genus de spe

specie prædicatur verè, & essentialiter: ergo non prædicatur, ut pars, sed ut totum. Probatur maj. quoad primam partem. Quia pars non prædicatur essentialiter de toto, sed denominativè, ut ostendit N. Ægidius in 2. Sentent. dist. 18. quæst. 2. art. 2. §. *Fuerint ergo,* & patet, quia homo non est manus, sed manatus; nec est materia, sed materialis. Quoad secundam partem probatur maj. quia hæc prædicatio est falsa *Homo est materia:* ergo quia de specie non prædicatur verè pars. Id confirmat ex Aristot. 4. Topicorum dicente quod genus non habet rationem partis, quia pars non prædicatur, & genus prædicatur. Rursus 1. Physicorum textu 4. ubi juxta nostrum Ægidium docet Aristot. quod *Universale est quoddam totum, quia universale comprehendit multa, ut partes ejus.*

8. Postèa dub. 4. immediate sequenti inquit, an genus actu contineat differentias, an solum in potentia? Pro cuius solutione notat num. 64. quod continere differentias potest esse quadrupliciter, scilicet actu & expressè, ut diffinitio hominis *animal rationale*, actu & expressè dicit rationalitatem. Secundò actu implicitè, sicut diffinitum v. g. *homo* actu dicit pro implicito ratio-

nalitatem. Tertio nec expressè, nec actu determinatè, sed indeterminatè. Sic *ens* continet implicitè modos perfectitatis, & inaliquitatis indeterminatè. Quarto nec expressè, nec implicitè actualiter, nec determinatè, nec indeterminatè, sed solum potestativè, & in potentia passiva; sicut materia prima continet formas substantiales, & subjectum accidentales.

Hoc notato dicit primò quod genus non continet differentias actu & expressè, sicut diffinitio continet illas. Ita Ægidius quæst. 7. super universalia ad quintum, & probat, quia tunc sufficeret pro diffinitione hominis dicere *animal*, quia in animali expressè, & actu contineretur *rationale*. Rursus dicendo *animal rationale*, committeretur nugatio, quia bis repeteretur *rationale*, ut sic dicendo *animal rationale rationale*.

Dicit 2. quod genus non continet differentias actu implicitè. Probat ex Ægidio quæst. 16. super univers. dicente: *Duo opposita actu, non possunt esse simul in eodem: sed differentia sunt opposita: ergo genus non habet actu differentias.* Hoc possumus confirmare. Quia implicat animal quod sit simul rationale & irrationale: ergo implicat, quod animal contineat actu suas differentias. Rursus.

Si animal contineret irrationalitatem, non posset prædicari de homine: ergo si prædicatur de specie hominis, non continet differentiam hominis oppositam. Tandem hæc est negatio *Petrus est homo rationalis*, quia rationale bis reponitur, semel expressè in se, iterùm implicitè in homine: ergo si animal contineret implicitè differentias, esset negatio dicere *Petrus est animal rationale*, quod constat esse falsum.

Dicit 3. Genus non continere differentias actu confusè, & indeterminatè. Probat 1. autoritate N. Doct. quæst. 16. allegata, & in 1. Sentent. dist. 34. quæst. 1. art. 2. ubi ait: *Genus & species, & differentias potentia continet, non actu. Habet enim genus omnes differentias potestate, actu vero nullam.* Hæc doctrina est Aristot. 7. Metaphysicæ cap. 12. & Porph. cap. de differentia. Ægidium sequuntur DD. nostri Burlæus, Venetus, Gerardus, Lusitanus, & alij. Et à ratione probatur. Quia tunc genus prædicaretur de differentiis in abstracto, sicut ens; sicut valet, *Rationalitas est entitas*, valeret *Rationalitas est animalitas*, quæ propositio apud omnes est falsa; ergo licet ens contineat omnes differentias actu confusè & indeterminatè; secus genus.

9. Hæc doctrinâ quoad omnes partes vera, & quæ expressè habetur in Aristot. in D. Thoma, & Ægidio, nisi amplius explicetur, videtur sibi pugnas. Ecce repugnantiam. Nam si genus tribus modis relatis non continet differentias, restat eas continere quarto modo, explicato à Villanova, *Potestativè; & in potentia passiva*, modo quo materia continet formas substantiales, & subjectum accidentales. Ergo non aliter genus est totum potentiale, quam materia est totum potentiale in genere physico. Atqui hæc prædicatio est falsa *Homo est materia*, juxta dicta num. 7. ergo hæc erit falsa *Homo est animal*. Rursus. Continere in potentia differentias, est esse partem potentialem, quæ potest per differentias actuari: ergo prædicari ut totum potentiale, est prædicari ut partem actualem, quæ est in potentia ut sit totum. Ergo negare prædicari, ut partem; & asserere prædicari ut totum potentiale, est dicere contradicentia. Clariùs. Totum potentiale non est totum actuale: ergo est pars actualis: ergo per inde est prædicari ut totum potentiale, ac prædicari ut partem actualem. Quare negare prædicari ut partem, & asserere prædicari ut totum potentiale, est affirmare, & negare id ipsum; & hoc est contradictio. Nec

Nec solves contradictionem, sed amplius confirmabis, si consulas N. Gavardi quæst. 4. de genere art. 1. §. 1. Nam cum ibi teneat doctrinam Ægidij, explicatam à Villanovano, probat num. 17. genuseffe totum potentiale sic: Genus sumitur essentialiter à tota essentia, & quidditate rei; nam genus non sumitur à sola materia, cum ingrediatur diffinitio-nem, quæ explicat esse specificum, desumptum à forma: ergo est totum potentiale desumptum à materia & forma, quæ sunt tota entitas rei. Ita Magister prælaudatus; sed nova contradictione involvit doctrinam Ægidij, qui locis datis à nobis supra lib. 3. quæst. 6. §. 5. docet cum Aristot. quod genus in corporalibus sumitur à parte naturæ, scilicet à materia, & idè non dicit totam naturam, sed partem, præscinditque objectivè à differentia. Secus in Angelis, ubi genus sumitur à tota natura, dicit totam naturam, nec præscindit objectivè à differentiis; nec potest Angelus sine negatione diffiniri. Ergo probare de mente Ægidij genus esse totum potentiale, quia sumitur à tota natura, est contra Ægidium, & est evertere discrimen corporalium ab incorporalibus.

10. Istæ contradictiones leviter conciliantur ex do-

ctrina à nobis prolixè data lib. 3. præcedente quæst. 6. §. 5. & 6. Ibi datum est discrimen inter partem physicam, & partem metaphysicam. Nam pars physica realiter distinguitur ab alia comparte, v.g. materia à forma; quo fit ut de toto non possit pars physica prædicari; & sic est falsa hæc prædicatio *Homo est materia*. Item *Homo est anima rationalis*. Ceterùm pars metaphysica identificatur cum alia comparte, & sic potest prædicari de toto, v.g. *Homo est animal*. *Homo est rationalis*. Utraque valet, & est verissimè, & in sensu formali. In hoc sensu dicimus, quod quando Aristot. D. Thomas, & Ægidius, negant quod genus prædicetur ut pars, negant de parte physica, non de metaphysica.

Suadetur. Primò, quia probatio sumpta ex falsitate hujus prædicationis *Homo est materia*, solum probat de parte physica: ergo de sola parte physica negatur, non de metaphysica. Secundò, quia apud DD. omnes hæc est vera *Homo est rationalis*: sed *rationalis*, quod est differentia, non prædicatur, ut totum metaphysicum; cum nec sit totum actuale; alioquin esset species; nec totum potentiale, alioquin esset genus: ergo prædicatur ut pars metaphysica, quæ verè

potest predicari de toto. Quare dum negatur quod genus predicetur, ut pars, negatur de parte physica, non de metaphysica. Quod confirmatur ex dictis num. 10. Nam esse totum potentiale, est non esse totum actuale: non esse totum actuale, est esse partem actualem. Ergo dum docetur DD. laudari genus predicari, ut totum potentiale metaphysicum, docent predicari ut partem metaphysicam, quae actualiter est pars, & est in potentia totum.

Ubi observa, quod aliter materia continet in potentia formas, aliter genus differentias. Nam materia est potentia passiva realiter distincta a formis: ceterum genus est potentia passiva realiter identificata cum differentiis, a quibus solum virtualiter distinguitur. Et hinc nascitur, quod de specie non potest predicari materia, quae est totum potentiale physicum; bene vero genus, quod est totum potentiale metaphysicum.

Aliud est discriminē, quo solvitur contradictio, & amplius penetratur doctrina B. Agidij. Genus ergo non est potentia passiva, ut materia prima, nec est actus, ut est forma substantialis; sed est quaedam forma media inter potentiam, & actum, aliquid participans ab utroque extremo. Hoc tangit N. Villanova ubi supra ex

Agidio in 1. Sentent. dist. 25. quest. 1. art. 3. ubi docet quod sicut in homine distinguimus duplicem formam, una vocatur *forma partis*, & est anima; altera forma totius, ut est *humanitas*. Ita possumus distinguere duplicem materiam: una est materia partis, ut est materia prima; altera est materia totius, & haec est genus; vel totum compositum per modum materiae. En genus non est actus ut anima, nec est potentia, ut materia prima, sed quid medium, ab utroque participans.

Hoc a nobis explicatum est quest. 6. citata, num. 26. ex D. Thoma quest. unica de spiritualibus creaturis, ubi explicans quomodo genus sumitur a materia, dicit non sumi a materia nuda, *Sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici; sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis*. Ergo animal est forma media inter materiam primam & animam rationalem. Quia animal non sumitur a sola materia, sed a materia habente gradum sensitivum praeditum ab anima; quare participat animal ab anima actualitatem sensitivam; & a materia participat potentialitatem in ordine ad gradum discursivum; quia sicut materia est in potentia ad

recipiendum ab anima gradum discurrendi: ita animal est in potentia ad recipiendam rationalitatem. Ob id genus non est pura potentia passiva, ut materia; nec est pura actualitas, ut forma substantialis; sed est quid medium, mixtum ex potentia, & actualitate. Unde est forma media inter materiam & formam; inter actum & potentiam.

Ex hac doctrina patet solutio ad contradictionem objectam. Negant DD. nostri quod genus predicetur ut pars: quia nec pars pure potentialis, ut est materia, nec pure actualis, ut est forma, potest predicari de toto: atqui genus predicatur de toto: atqui genus predicatur de specie: ergo genus modo dicto non est pars, sed est quid medium, mixtum ex potentia & actu, participans aliquid ab utroque. Docent ite quod genus predicatur ut totum potentiale. Est autem quod predicatur ut forma media inter partes compositi, quae aliquid participat ab utraque, & ideo vocatur totum. Sed quia a forma non participat genus ultimam actualitatem, sed imperfectam, & potentialem; ideo vocatur genus totum potentiale. Hinc etiam patet quod sensu nosset Gavardi, & aliquando DD. nostri dicant quod genus non sumitur a parte naturali,

sed a tota natura; item quod genus non dicit partem naturae, sed totam. Exponitur hoc in sensu dicto, quatenus loquitur de parte physica naturae, a qua sola non sumitur genus, cum ab utraque aliquid participet, ut dictum est; & utramque dicat secundum aliquid. Quod si quaeras discrimen generis a specie; id est quod species dicit totum actuale metaphysicum; genus vero solum partem potentialem metaphysicam, quae juxta expositionem datam vocatur totum potentiale. Si tandem quaeras quomodo differt genus a differentia juxta hanc doctrinam. Respondemus, quod utrumque dicit partem metaphysicam: ceterum genus partem potentialem; differentia partem actualem. Genus sumitur in corporalibus a sola materia cum gradu universalis formae; quae est forma media, vel totum potentiale. Differentia sumitur in corporalibus a sola forma acquire nec metaphysice est totum, sed sola pars. Ex qua de materia solvuntur nedum, quibus obiecta sunt, verum quibus obiecta solent obijci, & inveniuntur. Vide doctrinam modatam lib. praecedente quest. 6. §. 5. Ut ergo haec doctrina confirmetur, ex P. Augustino, sicut in antecedenti-

bus factum est, iterum rēponimus verba ejusdem supra allegata ex libro de Quantitate animæ cap. ubi disputans cum filio Adeodato dicit: *Si enim me rogares quid esset homo, & eum hoc modo diffinirem homo est animal mortale; non continuo, quia verum est, etiā diffinitionem probare deberes; sed superposita ei particula omnis; convertere illam, & intueri; utrum etiam conversa vera esset; hoc est utrum quæ admodum verum est omnis homo est animal mortale, ita esset verum omne animal mortale homo est: quo aliter invento improbaret diffinitionem propter illud vitium, quo aliena comprehendit. Et infra: Plus continendo enim superior diffinitio vitiosa erat: bestiam enim cum homine continebat. Hæc S. P.*

En S. P. dicit hanc diffinitionem esse vitiosam *Homo est animal mortale; & vitium fiat in eo quod nedam continet hominem, sed bestiam: ergo ly animal mortale, quod est genus ad omnes species animalis, continet differentias hominis, & bestiarum. Patet consequentia. Quia nisi genus contineat differentias constitutivas specierum, non potest continere species: sed juxta P. Augustinum Animal mortale continet cum homine bestiam, & homo, & bestia sunt species animalis mor-*

talis: ergo juxta P. Augustinum animal mortale quod est genus, continet differentias.

Quæris quomodo eas contineat juxta P. Augustinum? Respondemus quod non continet differentias actu, & expressè, nec actu implicitè. Probatur. Quia juxta S. P. hæc prædicatio *Homo est animal mortale, est vera: ait enim, Non continuo quia verum est, etiā diffinitionem probare deberes: sed si ly animal mortale contineat differentias hominis & bestiarum actualiter implicitè, vel explicitè, illa prædicatio non esset vera: cum de homine non possit verè affirmari irrationalitas, quæ est differentia bruti: ergo juxta S. P. genus animal mortale, continens differentias, non continet eas actu implicitè, vel explicitè.*

Rursus non continet eas confusè, & indeterminatè, modo quo ens continet differentias & modos suos. Patet hoc ex S. Parente. Quia si sic contineret, tunc diffinitio non solum laboraret vitio comprehendendi aliena, sed etiam vitio ponendi pro ratione genericæ: nunc voca, rationem analogam transcendentem; tunc enim animal foret ratio analogæ, & sic non posset esse genus, sicut etis non potest esse genus ad sua inferiora; ut dicemus libro sequenti. Sed P. Augustinus

ndis in dicta diffinitione unicum vitium agnoscit comprehendendi aliena: ergo quia sentit quod *ly animal mortale* non comprehendit, nec continet differentias confusè, & indeterminatè, sicut ens suas differentias & modos. Ecce confirmatum ex P. Augustino quidquid num. 8. diximus cum N. Villanova circa modum quo genus continet differentias.

13. Restat ergo quod juxta S. P. Augustin. genus contineat differentias *potestativè*, & ut potentia actuabilis per illas, ut dictum est num. 10. & 11. Quod si quæras, quomodo prædicetur de homine *ly animal mortale*, an ut totum, an ut pars? Respondemus primò, quod non prædicatur ut pars physica. Probatur, quia juxta S. P. illa prædicatio est vera, ut vidimus; sed non esset vera, si prædicaretur ut pars physica, quæ nequit verè prædicari de toto: ergo non prædicatur ut pars physica. Dicimus secundò, quod non prædicatur ut totum physicum. Probatur, quia totum physicum humanum nõ continet, nec comprehendit bestiam, ut patet: sed *ly animal mortale* juxta S. P. continet, & comprehendit bestiam: ergo non prædicatur, ut physicum totum. Dicimus 3. quod non prædicatur, ut totum metaphysicum actuale. Probatur.

Quia si diceret totam essentiam metaphysicam hominis, diceret rationale: sed si diceret rationale, non comprehenderet sed excluderet bestiam: ergo si juxta P. August. comprehendit bestiam, non prædicatur ut totum metaphysicum actuale. Rursus. Ibidem S. P. docet, quod addito *rationale* redditur bona diffinitio sic *Homo est animal mortale rationale*: sed si *ly animal mortale* prædicaretur ut totum metaphysicum, non esset necessarium addere *ly rationale*: ergo juxta S. P. *ly animal mortale*, quod est genus, non prædicatur ut totum actuale metaphysicum.

Restat ergo, quod prædicetur, ut pars metaphysica essentiarum hominis; nam, si non prædicatur ut totum metaphysicum: ergo prædicatur ut pars essentiarum metaphysicarum hominis. Hæc pars metaphysica est totum potentiale. Probatur. Illud est totum potentiale, quod est pars continens in potentia differentias: sed juxta P. Augustinum *ly animal mortale* continet differentias, & non actualiter, ut probatum est, sed in potentia: ergo est totum potentiale, & sic prædicatur. Hoc totum potentiale non est pars physica, ut ostensum est, nec totum physicum, ut etiam probatum manet: ergo est forma quasi media inter actum, & potest

potentiam physicam, ut num. 1. probatum est ex D. Thoma & B. Agidlo. Quibus vi-

des tres Beatos DD. nostros concordēs in doctrina data.

QUESTIO IV.

Quid, & quotuplex sit species? Quidve, & quotuplex individuum?

§. I.

Assignatur diffinitio speciei, & circa eam quadam dubiola dissolvuntur.

NOMEN species aliquando pulchritudinem significat, & decorem juxta illud Psalmi: *Species tua, & pulchritudine tua.* Secundò significat imaginem intentionalem objecti, qua sit præsens intellectui. Tertio sumitur pro prædicato dicente totam essentiam subjecti. Prima acceptio non est scientifica: secunda est animastica, & de ipsa egimus lib. 2. Logicæ quæst. 2. 4. & 5. Tertia est acceptio logica, nam secundum prædicabile vocatur species, & de ea sic agimus in præsentī.

Porphyrus videns in specie duplicem ordinem, unum ad genus, cujus est divisiva, & inferior, alterum ad individua, de quibus species ut superior prædicatur, duas speciei dedit

diffinitiones, quibus hos ordines explicat. Considerato primo ordine vocatur species *subjicibilis*, quia subjicitur generi, & diffinitur sic: *Species est, quæ immediatè ponitur sub genere, & de qua genus prædicatur in quid.* Attento verò secundo ordine dicitur species *prædicabilis*, & diffinitur sic: *Est quæ prædicatur de pluribus differentibus numero in quid.* Utraque convenit naturæ humanæ, & huic conceptui *homo*. Nam *homo* est inferior ad *animal*, quod est genus, & in arbore prædicamentali ponitur immediatè sub animali; & de homine prædicatur *animal* in quid, & essentialiter, dum dicitur *Homo est animal*. Sic conceptu homine dicitur species subjicibilis. At quoniam homo præ-

prædicatur de Petro, Paulo &c. qui differunt numero, & dicit totam eorum essentiam, est species prædicabilis sub hac consideratione.

2. P. August. lib. de Categ. cap. 7. solam approbat secundam diffinitionem speciei prædicabilis per hæc verba: *Species autem est, quam quidam, & formam vocant, quæ secundum multa, & differentia, quid sit numero prædicatur, ut est homo.* Et noster B. Doct. Agidius quæst. 11. super univers. dividens cum Porphyrio primam diffinitionem in duas, quod & alij antiqui interpretes fecere, arguit sic in contra, argumento 4. *Vnius rei unica est diffinitio: sed author (idest Porphyrius) ponit tres: ergo non bene diffinit ipsam speciem.* Respondet primò cum alijs, quòd eadem res aliter & aliter considerata, potest diversis diffinitionibus diffiniri. Sed improbara hac solutione, respondet secundò sic: *Et propter hoc dico, quòd duæ primæ sunt descriptiones, & ultima est diffinitio vera.* Ecce prima diffinitio speciei subjicibilis, quæ ab antiquis bipartitur, non est diffinitio essentialis, sed descriptiva; ob idque meritò P. Augustinus solam secundam approbat, quæ est speciei, ut prædicabilis.

3. Hinc solvitur quod-



dam dubiolum, an scilicet utraque diffinitio essentialis sit Respondemus negativè cum P. August. & B. Agidio ubi supra, qui solam ultimam approbant ut essentialem. Probat à ratione. Essentia speciei logicæ non consistit in subiecti generi, sed in prædicari de inferioribus: sed diffinitio illa dicitur essentialis, quæ explicat essentiam diffiniti: ergo si per solam ultimam explicatur prædicari de inferioribus, sola ultima erit diffinitio essentialis. Min. cum consequentia tenet, & maj. probatur. Essentia speciei logicæ est essentia universalis, & prædicabilis: sed species non est universalis per hoc quòd subjiciatur generi, sed per hoc quòd prædicetur de pluribus: ergo essentia speciei &c. Min. est certa, quia universale ut tale est superior ad multa in quibus potest esse, & de quibus potest prædicari: sed species solùm relatè ad individua comparatur ut superior, & ut prædicabilis, nam relatè ad genus est inferior, nec de genere est prædicabilis: ergo &c.

Et confirmatur. Nam etiã si species sub nullo genere contineretur, si tamen in eo casu haberet plura individua, de quibus posset prædicari, adhuc esset universalis, & prædicabilis: ergo quia in hoc consistit ejus essentialitas

sentia. E contra verò naturâ Gabriëlis, quæ ut videbimus, non habet plura inferiora, de quibus prædicetur, non est species prædicabilis; immò nec ullo modo est species logica, sed physica, quia continetur sub genere substantiæ Angelicæ, quod sufficit, ut sit species physica, sed non ut sit logica, & prædicabilis. Ergo speciei logicæ non convenit essentialiter, sed accidentaliter, subijci ge-

neri. At diffinitio quæ explicat rem per accidentia ejus, est descriptiva: ergo prima diffinitio descriptiva est, & sola secunda essentialis.

Quoniam autem ea, quæ de specie dicturi sumus non plene percipiuntur, nisi arbor Porphyriana ponatur ante oculos; ideo sequentem proponimus figuram.



4. In hac arbore, quam veluti infructuosam, & principijs fidei adversam, præcidere suis rictibus, & argumentis tentavit N. B. Augustinus Triumphus anno 1:80. ut videbis apud N. Gavardi tom. 1. Logicæ q. 4. de Genere art. 2. ubi solvit argumenta, ut intactam servet, quam SS. PP. & DD. recisis Porphyrij erroribus, explicarunt, & veluti sapientia sua irrigarunt, ut uberes inde fructus perciperemus: in hac inquam arbore plura notanda sunt, ut dicta & dicenda plenè percipiantur.

Nota primò omnia ista prædicata reperiri in Petro, quæ in recta linea sunt: sed posses aliter disponere pro equo, cane tuo, & alijs. Rursus, sicut hic disponitur arbor prædicamentalis in genere substantiæ, disponi potest in alijs prædicamentis, ut in *Quantitate, qualitate, relatione* &c. Sed formatur in prædicamento substantiæ, ut utiliori, clariori, & cujus noticia præcipuè intenditur.

Nota secundò quædam poni in recta linea, quædam ad laterales. Quæ in recta linea sunt, ea sunt entia completa, hoc est genera, & species, & dicuntur completa, quia sunt quoddam totum, vel actuale, si sint species; vel potentiale, si sint genera, ut ex dictis pa-

tet. Quæ verò ad latera ponuntur, sunt differentiæ dividentes genera, & species; quare sunt entia incompleta, quia differentiæ dicit partem essentiæ actualem, ut infra dicemus. Et translata hac doctrina ad entia physica: dicitur quòd nec materia prima, nec forma, ponuntur directè in prædicamento substantiæ, sed reductivè, indirectè, & ad latus, quia sunt entia partialia, & incompleta: quare solum compositum substantiale ex materia & forma, ponitur directè in prædicamento substantiæ, quia solum compositum est ens completum.

Nota tertio, quòd eadem prædicata, quæ primò ponuntur ad latus, postea ponuntur in medio linea recta; v.g. *corporea* primò est ad latus, postea in medio. Ratio hujus est, quia *corporea* dupliciter potest comparari; primò relatè ad *substantiam*; & sic est differentia divisiva substantiæ: cumque omnis differentia ponatur ad latus, ideò ponitur in latere, & sic vocatur *differentia*. Ceterum quia *corporea* est divisibilis in *videns*, & *non videns*, tanquam genus in species; ideò cum omne genus ponatur in recta linea, ponitur *corporea* in recta linea. Hoc dictum intellige de reliquis.

5. Nota quartò, quòd supremum Petri prædicatum est

est *substantia* in arbore; ceterum non est supremum in re. Quia supra substantiam habet Petrus quòd sit *ens*; & ens est superius ad substantiam. At in arbore non ponitur ens, quia arbor est prædicamentalis; & ad rationem prædicamenti requiritur quòd prædicata sint univoca. Atqui ens non est univocum, sed analogum, ut dicemus lib. sequenti. Ergo licet ens sit superius in re ad substantiam, non verò prædicamentally, quare supremum Petri prædicatum in genere logico, est *substantia*.

Nota quintò infimum prædicatum esse individuum *Petrus*, *hic homo*, vel *prima substantia*, dicitur prima substantia, quæ est substantia singularis. Reliquæ autem substantiæ, vel prædicata superiora dicuntur secundæ substantiæ. Ratio hujus est; quia *substantia* est quæ substat alijs, vel sustentat alia: atqui infimum prædicatum sustentat supra se alia superiora: ergo infimum prædicatum est *prima substantia*, reliqua autem sunt secundæ substantiæ.

Nota sextò, quòd *homo* est species infima, & atoma; reliqua verò prædicata superiora sunt species subalternæ. Ratio hujus est, quia illa dicitur species infima & atoma, quæ non est divisibilis in alias species, sed in sola individua:

atqui homo non est divisibilis in plures species, sed in Petrum, Paulum, & alios homines, qui sunt ejusdem speciei, & differunt solo numero: ergo *homo* est species infima. Non sic *sensibile*, quod dividitur in *rationale* & *irrationale*, quæ differunt specie: unde vocatur *species subalterna*.

6. His notatis: dubitatur primò an diffinitio speciei prædicabilis conveniat speciei subalternæ? Et videtur quòd non: nam illa diffinitio solum convenit illi speciei, quæ prædicatur de pluribus differentiibus numero: sed species subalterna non prædicatur de pluribus differentiibus numero, sed de distinctis specificè: ergo non convenit speciei subalternæ diffinitio speciei. Probatum min. species subalterna prædicatur de illis, quibus est superior, & in quæ immediatè dividitur: sed dividitur immediatè in alias species: ergo &c. Hoc patet exëplo. Nā *sensibile* est species subalterna, & prædicatur de *sensibili humano*, & *sensibili irrationali*, quæ differunt specificè.

Nihilominus contraria sententia est communis, & probatur; quia saltem mediatè species subalterna prædicatur de pluribus differentiibus numero: ergo ei saltem mediatè convenit diffinitio speciei prædicabilis. Rursus. Licet *sensibile* & *insensibile* ut comparantur ad

Videns quod est genus, differant specie; at ut comparantur ad *Videns*, sub ratione speciei, differunt solo numero. Id clarius exemplo objecto patet. *Sensibile*, est genus, & est species subalterna; si compares *rationale*, & *irrationale* ad sensibile genus, hoc modo differunt specificè: si tamen comparentur ad *sensibile* ut est species subalterna. hoc modo differunt solo numero: non quia minus sic differat, sed quia distinctio specifica inter *rationale* & *irrationale* se habens de formali relatè ad sensibile genus; se habet de materiali relatè ad sensibile speciem: ergo species etiam subalterna prædicatur de pluribus numero distinctis. Per quod patet solutio ad rationem contrariam.

Dubitatur secundò. An species ut subjicibilis sit prædicabilis? Hoc dubium in sensu formali nullam habet difficultatem. Nam ut species subjicibilis, quatenus talis, sit prædicabilis in sensu formali, debebat per eandem formam esse subjicibilis, & prædicabilis: atqui non per eandem formam, sed per diversam est subjicibilis, & prædicabilis: ergo in sensu formali species ut subjicibilis non est prædicabilis. Probatur min. Nam species est subjicibilis per relationem inferioritatis speciei ad genus; & est prædicabilis per relationem superioritatis spe-

ciei ad individua: sed relatiò superioritatis, & relatiò inferioritatis, sunt diversæ formæ, & ad diversos terminos formaliter: ergo non per eandem formam, sed per diversam &c.

Rursus in sensu identico nullum est dubium. Nam ut species subjicibilis sit identicè prædicabilis, sufficit quòd eadem natura sit substratum utriusque relationis subjicibilitatis, & prædicabilitatis: atqui idem homo est subjectum in quo recipitur relatiò subjicibilitatis ad genus animal, & prædicabilitatis ad Petrum, & Paulum: ergo eadem species in sensu identico est subjicibilis & prædicabilis.

8. Restat ergo dubium in sensu causali & illativo, an scilicet subjicibilis sit causa prædicabilitatis, vel à contrario; aut saltem una inferatur ex altera? In hoc dubio variæ sunt sententiæ. Prima sententia affirmat tales relationes esse inconnexas & penè disparatas. Ita Merinero, Rubio, Lerma, & communiter alij. Probatur. Quia illa extrema sunt disparata & inconnexa, quæ mutuo ad invicem possunt separari: atqui potest dari species subjicibilis, quæ non sit prædicabilis; & species prædicabilis, quæ non sit subjicibilis: ergo unum non est causa alterius, nec connectuntur inter se, sed se habent disparatè. Min. quo-

ad

ad primam partem patet ex dictis de natura Gabrielis num. 3. Natura enim illa subjicitur generi, sed non est prædicabilis de pluribus. Quoad secundam partem patet in supremo prædicato substantiæ posito in arbore prædicamentali. Nam hoc prædicatum est species subalterna prædicabilis de inferioribus: & tamen non est subjicibilis; cum supra substantiam nullum sit genus, cui subjiciatur substantia, ut dictum est num. 5. ergo datur species, quæ sit prædicabilis, & non sit subjicibilis.

Secunda sententia negat esse inconnexas relationes illas. Ita Cajetanus, Toletus, & Araujo. Sed disconveniunt inter se; nam Cajetanus, & Araujo docent quòd essentia speciei consistit in relatione subjicibilitatis; & quòd universalitas, & prædicabilitas sunt passiones secundæ ad essentiam speciei, sicut risibilitas est passio essentiæ hominis consistentis in rationalitate. At Toletus vult essentiam speciei consistere in universalitate; & quòd subjicibilis est passio ejus.

9. Fundamentum Cajetani est. Species ut species est correlativa generis: sed ut correlativa ponitur sub genere, eique subjicitur: ergo subjicibilis est de essentia speciei; cum conveniat speciei ut tali. Rur-

sus: species posita sub genere, ab eo participat naturam, & universalitatem: atqui eam participat, quia illi subjicitur: ergo subjicibilis est essentia speciei. Rursus. Quod immediatè ponitur sub genere, non est singulare: ergo est universale. Antecedens constat, quia genus ut tale non prædicatur immediatè de singularibus & individuis, sed mediatè. Atqui species ut subjicibilis ponitur immediatè sub genere: ergo ut subjicibilis est universalis; & consequenter subjicibilis est de essentia speciei.

Fundamentum Toletii est: Illud est de essentia speciei, quod primò in ea intelligitur: sed quod primò intelligitur in specie est universalitas: ergo universalitas est essentia speciei, reliqua autem sunt passionibus ejus. Probatur min. Prius est esse universalem, quam esse speciem, cum universale sit genus ad quinque prædicabilia; & quòd prædicatum est superius, eò est prius: ergo quod primò intelligitur in specie est universalitas.

10. In hoc dubio sumus cum DD. primæ sententiæ, cum quibus dicimus quòd relationes subjicibilitatis, & prædicabilitatis, non sunt essentialiter connexæ. Id certè probat fundamentum datum num. 8. At quoniam excepta natura

An

Angelica, de qua quæst. seq. reliquæ species ita sunt prædicabiles ut sint etiam subjicibiles, restat decidere, in quo consistat essentia speciei, & quodnam sit causa alterius? Respondemus, quod essentia speciei consistit in prædicabilitate de pluribus differentibus numero: quare nec consistit in subjicibilitate, ut vult Cajetanus; nec in sola universalitate, ut vult Toletus. Prima pars nostri asserti probata est num. 3. ex P. August. & B. Ægidio.

Secunda pars contra Cajetanum ibidem probata est: & rursus probatur ab instantia. Nam sicut species subjicitur generi, & est ejus correlativa; ita individuum est correlativum speciei, & subjicitur illi: sed essentia individi non consistit in subjicibilitate, ut dicemus; nec individuum participat à specie aliquam universalitatem, etsi ei subjiciatur: ergo nec species participat universalitatem à genere, cui subjicitur, nec ejus essentia consistit in subjicibilitate.

Tertia pars contra Toletum probatur. Licet in homine prius intelligatur quod sit animal, quam quod sit rationale; at essentia adæquata hominis non consistit in animalitate, sed in rationalitate, per quam differt ab alijs speciebus contentis sub animali: ergo

licet prius intelligatur in specie quod sit universalis, quam quod prædicetur de multis numero distinctis, ejus essentia non consistit in universalitate, sed in prædicabilitate de numero distinctis, qua differt ab alijs prædicabilibus contentis sub genere universali. Patet consequentia à paritate, & à ratione, quia sicut animal est genus ad hominem, equum &c. ita universale est genus ad quinque prædicabilia, ut dictum est q. 1. §. 2.

II. Ad fundamenta Cajetani respondemus, & ad primum dic, quod species ut species, non est correlativa generis, si ly *ut* reduplicet essentiam speciei; bene verò si ly *ut* denotet conditionem requisitam ad correlativum generis. Sic homo ut rationalis est risibilis; quia nisi sit rationalis, non erit risibilis: at essentia hominis non est risibilitas, sed rationalitas, quæ conditio est ad risibilitatem: hoc modo species in se universalis, est conditio exacta ut sit correlativa generis; & individuum ut tale, est correlativum speciei; ceterum essentia individi non consistit in tali correlatione, sed in singularitate præsupposita. Hoc modo species correlativa generis, eique subjicibilis, præsupponitur constituta in ratione universalis, & prædicabilis.

billis. Quare essentia ejus non consistit in subjicibilitate.

Ad secundum nego maj. Nam individuum ponitur sub specie, & tamen ab ea non participat universalitatem. Rursus: universalitas generis est posse esse in multis specie distinctis: sed species non habet posse esse in multis specie distinctis: ergo species non participat à genere universalitatem. Si tamen universale concipitur, ut genus ad quinque prædicabilia; tunc species participat à genere illo universalitatem. Ceterum nota quod hoc non est contra nos, nec in favorem Cajetani; nam hic loquitur de specie hominis v.g. quatenus subjicitur generi animalis; quare loquitur de specie subjicibili generi primo intentionaliter sumpto. De hoc negamus, nec contra nos est instantia universalis data: quia universale ut genus ad prædicabilia est genus secundò intentionaliter sumptum: nec ab eo species derivat universalitatem specificam, sed genericam; quia ab eo habet esse prædicabile de multis, sed non esse prædicabile de multis numero distinctis, quod est differentiale, & constitutivum speciei.

Ad tertium dicimus solum probare, quod species sit universalis negativè, quod sufficit, ut immediatè ponatur sub ge-

nere; nec probat esse universalem positivè. Immo dato requiri universalitatem positivam, tunc esset hæc conditio requisita ad subjicibilitatem, & præsupposita, ut in solutione ad primum dictum est: non autem foret essentia speciei consistens in subjici.

Ad fundamentum Toletii patet solutio ex dictis num. 10. in probatione 3. partis nostri asserti. Universalitas quæ præcedit conceptum speciei, est universalitas generica, communis omnibus prædicabilibus: hæc non est essentia speciei adæquatè, sicut animal non est essentia adæquata hominis. Integratur ergo essentia speciei prædicabilis ex duobus, scilicet *Ex esse in multis, & de multis; & ex esse in multis, & de multis numero distinctis.* Illud primum præcedit speciem, sicut animal hominem: hoc secundum non præcedit, sed est constitutivum speciei.

§. II.

Explicatur quid sit individuum, & dubiola quædam dissolvuntur.

12. **S**ICUT species est correlativum generis; ita individuum est correlativum speciei. Quapropter

pter DD. post explicationem speciei tractant de individuo; & observa quod sicut species est concretum ex natura, & secunda intentione; sic & individuum est concretum accidentale ex natura, & secunda intentione individui. Quo fit ut individuum bifariam sumatur, scilicet primò intentionaliter, & secundò intentionaliter. Primò intentionaliter est idem ac *non dividuum*, ut docet B. Ægidius, quo sensu ab eodem, & à D. Thoma diffinitur sic 1. par. quæst. 29. art. 4. *Est indivisum in se, & divisum à quolibet alio.* Eadem diffinitione diffinitur unum, quod est passio entis. Addit S. Thomas lib. 10. Metaphys. le&. 11. quod individuum est, *Quod non dividitur ulterius nec materiali, nec formali divisione.* Breviùs à nostro Ægidio *Individuum est non dividuum, vel non divisibile.*

Istæ diffinitiones non contendunt quod individuum nullas habeat partes, in quas sit divisibile: nam Petrus est indivi-

Forma, figura, locus, tempus, cum nomine, sanguis, Patria, sunt septem, quæ non habet unus, & alter.

Forma non accipitur pro forma substantiali, sed pro qualitatibus externis coloris, & speciminis: figura pro externis lineamentis. Observa quod plu-

duum; & tamen est divisibilis in partes essentielles, ut sunt materia, & forma; & in integrantes, ut sunt caput, pedes, manus &c. Sensus ergo diffinitionis data est, quod individuum non est divisibile in partes subjectivas, hoc est in partes quæ vocentur eodem nomine ac subjectum divisum. Homo est divisibilis in partes subjectivas, quia est divisibilis in Petrum, & Paulum, quorum quilibet est, & vocatur homo. At Petrus divisibilis in manus, caput &c; partes istæ seorsim non sunt, nec vocantur homo; & idè non sunt partes subjectivæ. Hinc dum individuum dicitur indivisibile, intelligitur de indivisibilitate in partes subjectivas.

Porphyrus individuum sic sumptum, diffinit ita, *Cujus collectio proprietatum sic est in uno, quod non sit in alio.* Hæc diffinitio soli individuo substantiæ convenit, & est descriptiva, quia non datur per prædicata essentialia, sed per proprietates. Proprietates individuales continentur hæc versibus.

res ex his proprietatibus, quæ sunt in uno, possunt esse in alio, ut sæpè admiratum est; nam aliquando duos ita similes fecit natura, ut vix possent discerni.

ni. At tunc non omnia quæ unus habebat, habebat & alter; nam ut cetera omitramus, saltem occupabant diversa loca; cum naturaliter non possint duo corpora esse in eodem loco; quare locus unius non erat locus alterius.

13. Individuum secundò intentionaliter sumptum, diffinitur à Porphyrio dupliciter, primò sic: *Est quod immediate subjicitur speciei.* Secundò sic, est *Quod de uno tantum prædicatur.* Observa in his diffinitionibus, quod secunda est essentialis, & prima accidentalis, ut supra de specie dictum est. Et suadetur, quia secunda intentio, ut vidimus lib. 2. Logicæ quæst. 2. & 3. consistit in illo esse objectivo, & relativo quod resultat ex re concepta: sed ex re singulari, ut singulari concepta, resultat prædicabilitas de uno tantum: ergo in hac consistit essentia individui secundò intentionaliter accepti. Subjicitas individui ad speciem, petit novam cognitionem, quasi comparativam, ut dictum est libro 3. quæst. 4. Quare sicut cognitio comparativa supponit abstractivam; sic subjicitas supponit prædicabilitatem de uno, qua constituitur essentialiter individuum.

Observa 2. quod natura Divina propriè nec est species,

nec individuum. Non species, quia licet prædicetur de pluribus, scilicet de Patre, Filio, & Spiritu Sancto, non multiplicatur in illis, quia sunt unus Deus, & una Deitas. Non est individuum, quia hoc est quod prædicatur de uno tantum, & Deitas prædicatur de tribus; nam Pater est Deus, Filius est Deus, Spiritus Sanctus est Deus. Vocatur tamen Deitas individua, sumpto individuo in prima acceptione, hoc est primò intentionaliter, quia sic est idem ac non divisibile; & Deitas indivisibilis est.

14. Individuum primò intentionaliter sumptum dividitur in substantiale, & accidentale. Substantiale est substantia singularis, ut Petrus hic homo. Accidentale est accidens singulare, ut hæc albedo, ille color. Individua substantiæ vocantur his nominibus *Eypostasis, suppositum, primò substantia;* & si fuerit individuum naturæ intellectivæ, vocatur *Persona.* Individua accidentalia vocantur *individua, singularia, particularia.*

Rursus individuum dividitur in incompletum, & completum. Completum est quod constat ex natura specificæ, & differentia individuali, ut Petrus, hic homo; incompletum est, quod constat ex natura generica; & differentia individuali.

li ut *Hoc animal, hoc coloratum*. Observa, quòd utrumque est quid compositum metaphysicè ex natura, & singularitate; quæ cum sint prædicata realia, compositio esset realis, si extrema forent realiter distincta. Sed quoniam solum virtualiter distinguuntur, idè faciunt compositionem virtuales, ut lib. præcedenti dictum est.

Individuum etiam aliud est vagum, aliud determinatum. Determinatum constat ex natura, & certa singularitate, ut *Petrus, hic homo*. Vagum est, quod componitur ex natura & singularitate indeterminata, ut *Aliquis homo, aliquid album*. De his divisionibus nil est sub controversia: de diffinitionibus aliqua controversantur, quæ breviter tangemus.

15. Contra diffinitionem individui primò intentionaliter sumpti, argues sic. Individuum est singulare: sed juxta Aristot. 7. Metaphysicæ, cap. 3. Singulare non potest diffiniri: ergo diffinitio data nulla est. Confirmatur. Vel illa diffinitio convenit omni individuo, ita ut possit prædicari de omnibus, vel non convenit? Si non convenit: ergo bona non est; cum non conveniat omni diffinito. Si convenit: ergo nõ est diffinitio individui, sed speciei. Probatur hæc consequentia, quia sicut individuum de

uno solo prædicatur, & species de pluribus; ita diffinitio individui de uno solo est affirmabilis, & diffinitio speciei de pluribus: sed per te diffinitio data convenit, & affirmari potest de omnibus individuis, quæ sunt plura: ergo non est diffinitio individui, sed speciei.

Confirmatur 2. Diffinitio explicat essentiam diffiniti per genus, & differentiam: sed individuum non constat ex genere, & differentia; alioquin individuum foret species: ergo non potest diffiniri. Confirmatur 3. Datur aliquod individuum, quod est divisibile in partes subjectivas: ergo male diffinitur per esse indivisibile. Probatur antecedens. *Aliquis homo est individuum*: & tamen est divisibile in partes subjectivas, cum dividatur in Petrum, & Paulum, quorum quilibet est aliquis homo: ergo &c.

16. Pro solutione observa, quòd individuum potest sumi dupliciter, nempe signatè, & exercitè. Individuum signatè est illa ratio communis individui, in qua omnia individua conveniunt; & hæc est diffinibilis: non propriè, ut dicemus, sed impropriè & latè. Hoc patet, quia ad diffinitionem impropriam non requiritur strictum genus, & differentia, sed satis est ratio communis analogæ; & ratio differ-

ren-

rentialis, ut patet in diffinitione substantiæ: *Ens per se*. Cum ergo individuum signatè sumptum habeat aliquid commune, & aliquid differentiale; idè saltem impropriè diffiniri potest. Individuum exercitè sumptum est singulare explicatum nomine dicente aliquid proprium unius, & non aliorum; v.g. *Petrus*, qui dicit singularitatè Petro propriam, quæ non est alteri communis. Hoc nequit adhuc impropriè diffiniri.

Hoc notato, ad argumentum respondemus disting. min. singulare exercitum non potest diffiniri, concedo min. signatum, subdisting. diffinitione propria, concedo min. impropriam, nego min. & consequentiam. Ad primam confirmationem dic, quòd illa diffinitio convenit omni individuo, & de omnibus prædicatur. Et disting. consequens: ergo non est diffinitio individui, exercitè concedo consequentiam, individui signati, nego consequentiam. Nec idè est species. Quia species est ratio communis univoca, quæ prædicatur de multis. At individuum signatum est ratio communis analogæ, quæ de multis affirmatur. Ad secundam confirmationem dic, diffinitionem propriam petere genus & differentiam, secus impropriam, & hæc est diffinitio individui signati. Ad ter-

tiam dic, quòd *aliquis homo* est individuum vagum, & hoc non est diffinitum supra, sed solum individuum determinatum. Individuum vagum vel est species, & sic non est individuum; vel non prædicatur de multis, nec est divisibile in partes subjectivas. Vide dicta contra Cajet. quæst. 1. hujus lib. num. 8.

17. Hic quæritur an ratio communis individui sit univoca ad omnia individua? Duplicem habet sensum juxta duplicem acceptionem individui. Dicimus primò, ratio communis individui secundò intentionaliter sumpti est univoca ad omnia individua. Ita N. Egredius in 1. Sent. dist. 13. quæst. 1. art. 1. N. Gerardus ibidem dist. 23. quæst. 1. art. 3. quos sequitur in præsent. N. Villanova, & docetur à Bajona, ut communis Thomistarum sententia. Probatur primò, quia ratio prædicabilis de uno, & subijcibilis ad speciem, est una & eadem in omnibus individuis: ergo est univoca eis. Tum quia non magis distant individua inter se, quam omnia prædicamenta: sed omnia prædicamenta conveniunt univocè in ratione generis primi prædicabilis: ergo & omnia individua conveniunt univocè in ratione individui prædicabilis de uno. Tum quia ita prædicabilis

tiones sunt veræ, & quasi specificæ. *Petrus est individuum; Paulus est individuum.* Et in eis prædicatur ratio communis Individui, ab eis abstracta, quæ est una, sicut secunda intentio generis abstracta à substantia, & quantitate, una est, & ad utramque univoca. Quæ fit ut secunda intentio Individui, si compareretur ad individua primò intentionaliter sumpta, est quantum prædicabile; si ad individua secundò intentionaliter sumpta, est prædicabile speciei.

Dicimus 2. Ratio communis Individui primò intentionaliter sumpti non est univoca, sed analogæ. Ita N. Villanova cum B. Ægidio, & N. Gerardo ubi supra. Eandem

docent latissimè Thomistæ, de qua vide Bajonam: quoniam autem hoc pendet ex dicendis infra lib. seq. ideò breviter id probamus. Quia ratio communis, quæ includit differentias, non est univoca, sed analogæ, ut dicemus: sed ratio communis Individui primò intentionaliter sumpti, includit differentias individuales: ergo non est univoca. Probatur min. Ratio communis Individui includit id quòd est de essentia Individui: sed de essentia Individui primò intentionaliter sumpti, est differentia individualis; alioquin si ab eâ præscinderet, non maneret Individuum, sed species: ergo &c. Et hæc de Individuo, & de specie doctrinaliter explicata.

Q U Æ S T I O V.

An natura Angelica sit species prædicabilis?

§. I.

Explicatur sensus questionis, & ratio dubitandi.

HÆC quæstio, ut extendatur ad omnia prædicabilia sub alijs verbis proponitur, an scilicet sit universalis illa natura, quæ unicum habet Individuum? Ratio dubitandi est, quia de

essentia universalis est esse unum in multis: sed natura, quæ unicum habet inferius, in quo sit, non est una in multis: ergo non videtur esse universalis. E contra autem, cum de ratione universalis; non sit esse actu

in multis, sed posse; ideò natura solis, quæ de facto est in uno solo Individuo; est universalis; hoc ideò, quia licet de facto sit unum tantum Individuum naturæ solis, non repugnant plura, in quibus natura possit esse, & de quibus possit prædicari: ergo natura, quæ unicum habet Individuum, potest esse universalis, si alia individua possibilia sint, & non repugnent.

Hæc ratio dubitandi se extendens ad alia prædicabilia sub titulo naturæ universalis; contrahitur à RR. ad prædicabile speciei sub titulo præsentis, ubi sermo est de natura Angelica. Nec urget difficultas in sententia N. Ægidij, quam tom. 3. suæ Theologiæ defendit N. Gavardi, quam etiam sequuntur plures, docent es quòd licet de facto omnes Angeli sint diversæ speciei; & tot sint species Angelorum, quot Angeli; at possibiles sunt plures ejusdem speciei, qui numericè multiplicentur. Tum quia licet in Angelis non sit materia, à qua sumitur numerica multiplicatio corporalium, est tamè in eis aliquid gerens vicem materiæ, & tale est potentialitas naturæ eorum in ordine ad existentiam. Sic licet in corporalibus genus sumatur à materia; in Angelis carentibus materia genus sumitur ab aliquo

gerente vices materiæ. Tum quia materia sola non est in corporalibus principium multiplicationis, sed quantitas mollis, vi cujus materia ipsa sigillata dividitur in varias portiones. Sed in Angelis datur quantitas virtutis, quæ est divisibilis sicut quantitas mollis; ergo ab ista potest sumi multiplicatio numerica Angelorum. Tum quia esse spiritualium non est plene indivisibile; cum suscipiat magis & minus in diversa specie: ergo & poterit esse divisibile intra eandem speciem. Vide N. Gavardi, & DD. Ægidianos; nobis sufficiat hæc insinuasse.

Non ergo procedit dubium in hac sententia. Nam cum universale non petat plura actu existentia, in quibus actu sit, sed plura possibilia, in quibus possit esse; si natura Gabriëlis habet plura individua possibilia; erit universalis: sicut modo natura solis est universalis, & vera species; quia licet sol sit unus, sunt tamen possibiles plures ejusdem essentia, in quibus, & de quibus natura solis potest prædicari.

2. Procedit ergo dubium in sententia D. Thomæ asserentis quòd nec de possibili dantur plures Angeli ejusdem speciei. Nam juxta Aristotelem, & veritatem implicat multiplicari naturam numericè, sine principio

pio numericæ multiplicationis: sed principium numericæ multiplicationis est materia; & hæc non datur in Angelis, qui sunt completè spirituales; immò eis plenè repugnat materia, vel ordo ad materiam: ergo Angelis repugnat multiplicatio numerica. Quare ita natura Gabrielis est determinata ad unicum individuum, ut nec divinitus possit natura illa esse in duobus; qua propter est numericè immultiplicabilis.

In hac sententia procedit dubium, an supposita immultiplicitate numerica Angelorum, possit natura illa concipi ut species prædicabilis? Et observa, non esse dubium de natura adæquatè concepta, hoc est concepta cum omnibus, quæ habet à parte rei. Ratio est clara: quia sic concipitur cum singularitate individuali: sed singularitas individualis est impedimentum, & prædicatum oppositum universalitati: ergo de natura adæquatè concepta non est dubium.

Restat dubium de natura inadæquatè concepta, hoc est de natura præcisa, & abstracta à singularitate. An natura sic concepta repugnet esse in pluribus, an non? Et observa, debere supponi dari præcisionem objectivam inter naturam Gabrielis, & ejus singularitatem. Nam licèt hoc sit falsum in

nostris principiis, & etiam in via D. Thomæ, ut vidimus lib. 3. præcedenti quæst. 6. ubi ostendimus, quòd in Angelis non est præcisio objectiva, sed formalis. At nisi supponatur objectiva inter naturam Gabrielis, & ejus singularitatem, non est locus quæstioni; quia citra dubium, data solùm præcisione formali, natura sic præcisa dicit pro implicito singularitatem; & sic dicit impedimentum ne sit in pluribus: unde non est species prædicabilis. Supponenda est ergo præcisio objectiva, ut locus quæstioni sit.

3. Tertiò supponimus celebrem illam divisionem universalem, in universale secundum rem, & rationem, & universale secundum rationem tantum. Universale primum, est natura illa, quæ de facto, & secundum præsentem providentiam, est in pluribus; aut potest esse, ut natura humana; natura rosæ &c. Universale secundum rationem tantum, est natura, quæ de facto est in uno tantum, sed in alia providentia, aut de possibili potest esse in multis. Sic natura solis est universalis: nam de facto tota natura ejus est in uno, & ideò vocatur sol, id est solus. Ceterum potuit natura ejus esse in multis; nec repugnant plures soles.

Hinc

Hinc dicitur quòd non cōtrovertitur, an natura Angelica Gabrielis sit universalis secundum rem, & rationem: quia cum de facto sit in uno individuo tota, & totaliter, non habet de facto plura, in quibus sit. Dubium est tantum, an sit de facto universalis secundum rationem tantum, quod est quærere, an sint huic naturæ possible plura?

4. Quidam se putant ab hac difficultate expeditos, dicendo naturam Gabrielis præcisam à singularitate non esse absolute speciem prædicabilem, esse tamen conditionate. Ratio primi est, quia natura sic concepta sine singularitate, est spiritualis, & sic repugnans materiæ, à qua sumitur numerica pluralitas; quare absolute non habet, nec potest habere plura, de quibus sit natura prædicabilis. Ratio secundi est: quia natura sine singularitate ita concipitur, ut si possibile essent plures Angeli, de illis prædicaretur: ergo sub hac conditione est species prædicabilis de pluribus.

DD. isti non bene se expediunt. Nam idem possunt dicere de natura Divina. Namque ita concipimus naturam Divinam pro hoc statu, ut si possibile essent plures dii, de illis prædicaretur natura Divina: ergo erit etiam conditionate

universalis; & species prædicabilis. Hæc consequentia sequitur, sed extra mentem D. Thomæ, & aliorum DD. qui aliter de natura Angelica, aliter de natura Divina discurrunt: nec immeritò; cum Deus sit plenè actus purus. Angelus vero, sicut & omnes creature sunt mixtio ex actu, & potentia. Rursus expressè docent D. Thomas, & B. Ægidius, quòd Deo non possumus attribuerè intentiones universalis, generis, & speciei; & est expressa doctrina P. Augustini lib. 6. de Trinit. cap. ultimo. Tandem hic non quæritur, an natura Gabrielis sit conditionate species prædicabilis, sed an absolute sint possible plura, de quibus sit prædicabilis? Ergo sententia horum DD. per recursum ad conditionem impossibilem, non est ad rem.

5. Alij respondent esse speciem prædicabilem, quia licèt non sint possible plura individua realia, sunt tamen possible plura individua ficta, & rationis, de quibus natura abstracta est prædicabilis; quod sufficit ad rationem universalis, & speciei. Hoc probant, quia de ratione universalis est unitas & pluralitas: sed sufficit ut natura sit universalis, quòd sit una per rationem unitate ficta: ergo sufficit etiam pluralitas ficta in natura, quæ non potest rea-

rea-

realiter multiplicari. Hic modus dicendi verosimilior est præcedente; sed nobis falsissimo, quia minor est falsa, & eius falsitas demonstrata est à nobis lib. 3. præcedente quæst. 9. & pluries lib. 2. Logicæ. Thomistæ ergo, & quotquot unitatem naturæ universalis dicunt esse fictam, tenentur respondere, & dare disparitatem; nos autem non sic. Ceterum quidquid sit de hoc; sententia ista improbat, nam hic queritur de specie quæ est *Prædicabilis de pluribus in quid*, hoc est essentialiter, & per identitatem cum illis: sed natura realis, qualis est natura Angelica, non potest prædicari in quid per identitatem cum pluribus fictis; alioquin idem esset reale, & fictum, quod implicat: ergo non sufficit fingere plura individua, ut natura Gabrielis sit species prædicabilis. Adde D. Thomam quæst. unica de spiritualibus creaturis art. 8. ubi ait: *Si autem Angelus est forma simplex, abstracta à materia, impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli ejusdem speciei.* Ecce juxta D. Thomam, nec per fictionem sunt possibilia plura individua ejusdem speciei in Angelis; quare DD. isti recurrunt ad principium contrarium D. Thomæ.

6. Alij respondent na-

turam sic conceptam sine singularitate esse universalem, & speciem prædicabilem, quia licet non sint possibilia plura prædicatur tamen de uno non se adæquando cum illo. Hoc sufficit ad universalitatem. Probatur. Quia natura sine singularitate concepta, est non singularis; ergo universalis. Rursus, Natura sic concepta, est superior ad individuum Gabrielis: ergo non se adæquat cum illo individuo; alioquin non esset superior. Sed prædicari de uno non se adæquando cum illo, est prædicari, ut universalis; alioquin si prædicaretur, ut singularis, se adæquaret cum uno, & unico individuo illius naturæ: ergo natura sic concepta est universalis.

Hic modus dicendi tenetur à Ferre, Joanne à S. Thoma, & aliquibus, sed ceteris displicet. Primum, quia præcisio naturæ à singularitate, solum reddit naturam universalem negativè; hoc est non singularem: at hic non est sermo de universalitate negativa, sed de positiva, quia species prædicabilis constituitur per positivam relationem rationis ad plura de quibus prædicatur: ergo sententia ista non est ad propositum. Rursus iudit terminis. Nam vel sunt possibilia plura, vel non. Si sunt? Ergo jam positivè præ-

di-

dicatur de pluribus, & non de uno tantum. Si non sunt? Ergo prædicatur de uno se adæquando cum illo. Quid enim est, se non adæquare cum uno, nisi quod natura potest esse in alijs distinctis?

7. Relictis ergo his modis dicendi, qui difficultatem vel non tangunt, vel non evacuant; vera controversia præcipue inter Thomistas supponit in Angelo Gabriele tres gradus immaterialitatis, unum vocat genericum, alium specificum, alterum individualem. Et dicit, quod natura concepta adæquate cum his gradibus immaterialitatis est una & singularis. Ceterum, quia nos in hac vita non possumus Angelos concipere adæquate, & per propriam speciem impressam, sed inadæquate, & per speciem rerum materialium; ideo concipimus Gabrielem cum immaterialitate specifica, & sine immaterialitate individuali. De natura sic concepta queritur, an in doctrina D. Thomæ sint ei possibilia plura individua, an non? Aliqui affirmant, alij negant, Authores dabimus, & eorum fundamenta §. seq.

Sed quid in hoc dubio dicendum est juxta doctrinam P. Augustini? Audi Patrem Adamum pag. 585. dicentem docuisse Augustinum *Animas, & Angelos esse corporeos, & se-*

lum Deum esse immateriale. Pater Moraines, alio nomine Martinonus, scribit de P. August. *Sentit etiam Angelos, & demones esse corporeos.* Si hæc sensisse credas Augustinum, nihil in ejus doctrina dubium erit; sicut de nulla natura corporea dubitari potest. Quæ propter unice superest, & cum Patribus Adamo, & Moraino, fatearis, velis, nolis, Augustinum in tali asserto errasse, nec ejus doctrinam esse ita ubique indubitam, ut erroribus respecta non sit.

8. At vide fideiiores testes doctrinæ Augustinianæ, ejusque vindices contra hæc & alias calumnias Augustino impositas, Prosperum, Fulgentium, & alios SS. Augustinianæ Scholæ: novissimè vide Cardinalem Norisium in vindicijs Augustinianis cap. 4. §. 1. ubi pro Augustino, & pro veritate decertans, convincit falsitatis Augustini calumniatores. Ipse P. August. Epist. 18. ad Hieron. testatur expressè, eum se sibi certum animam rationalem esse spiritualem, & incorpoream, verba P. N. sunt hæc: *Incorpoream quoque esse animam, etsi difficile tardioribus persuaderi potest, mihi tamen fateor esse persuasum.* Id ex professo probat lib. 2. de statu animæ cap. 9. insolubili ratione. Et in lib. de Quantitate

animæ id differtè, & prolixè ostendit.

Quid de Angelis senserit Augustinus, non melius, quàm ex diffinitione ab ipso data, colligi potest. Eos diffinit sic tom. 9. lib. de cogit. veræ vitæ cap. 6. *Angelus autem spiritus est substantia incorporea, indivisibilis, sensibilis, rationalis, intellectualis, immortalis.* En Angelos dicit spiritus, & substantias incorporeas: sed si Angeli constarent ex corpore, non essent incorporei; sicut homo incorporeus non est, et si quoad animam sit spiritualis: quia una pars hominis est corpus, & ab ea totus homo denominatur corporeus, quia *Malum ex quocumque defectu*: ergo si August. vocat Angelos spirituales, & incorporeos, sentit esse plenè expertes materiæ, & corporis. Rursus sæpè dicit Angelos præferendos esse nostris animabus: at animæ nostræ juxta August. sunt spirituales: ergo & Angeli. Observa eos vocare *sensibiles*, non quòd sentiant organis corporeis, ut nos; sed quòd mente percipiant quod nos sensibus. Vide N. Cardin. Norisium, qui ad oculum ostendit Patres omnes Ecclesiæ per duodecim ferè sæcula dubitasse de origine animæ, & de ijs, quæ Augustino obijciuntur dubitasse: quas quæstiones humillimus Doctor nun-

quam voluit decidere, cum ex Scripturis nihil expressè inferatur, & pro utraque parte videret SS. PP. auctoritatem. 9. Idem S. P. tom. 6. lib. unico ad Orosium contra Priscil. & Origen. ait se credere esse Angelos, & differre inter se, quia hoc docent Scripturæ: sed quid sint, aut quomodo differunt, non audet proferre, magis eligens fateri ignorantiam suam, quàm temerè se jactare sapientem. Verba ejus sunt: *Certe ait Apostolus: sive Sedes, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates. Esse itaque Sedes, Dominationes, Principatus, & Potestates in cœlestibus apparatibus, firmissimè credo, & differre inter se aliquid, indubitata fide teneo. Sed quo me contempnas, quem magnum putas esse Doctorem, quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio.*

Sed licet August. loco laudato noluerit quæstionem decidere, & tradere assertum, ut indubitata fide tenendum, quod & alibi pluries fecit, præcipuè lib. 15. de Civit. Dei cap. 23. ubi proposita quæstione de corporeitate Angelorum, ambiguum relinquit dicens: *Non audeo hic aliquid temerè diffinire.* At privata ejus sententia fuit Angelos esse spirituales, & incorporeos; eam docuit lib.

de Gen. ad litt. cap. 1. ubi nomine Cœli, & terræ, intelligit naturam spirituales, & corpoream, à Deo creatam; & per spirituales intelligit Angelos. Et lib. 8. cap. 20. Angelos dicit esse spirituales naturam, quæ solum movetur per tempora, non autem per loca. Et in exposit. Psal. 103. ad illa verba *Qui facit Angelos suos spiritus, subjungit, id est eos, qui jã spiritus sunt, qui spirituales, non carnales sunt, facit Angelos suos, mittendo &c.*

Cum ergo S. P. tenuerit Angelos esse completè spirituales, dicendum est tenuisse quòd specie differant inter se; et si supra dicat se nescire quid sint, quidve differant. Nec mireris, nam adhuc omnes DD. ignorant hoc, cum nemo in hac vita cognoscere possit Angelos quidditative, nec ex Scripturis aliquid habeamus, nisi aliquorum nomina. An autem sint possibiles intra eandem speciem plures, non est quæstio antiqua, sed nova inter Scholasticos, prætermittà à SS. PP. ut inutilis pro dogmatibus fidei persuadendis. Quare nec de hac, nec de præsentis quæstione nostra, possumus decidere quid auctoritate S. Parentis. An autem in Angelis sit aliquid loco materiæ, à quo sumi possit eorum numerica multiplicatio, ut vult B. Ægi-

lius; potest ex S. P. probari, sed non est præsentis instituti; nec ad nostram quæstionem conducit, in qua supponenda est sententia D. Thomæ. Unde sit.

§. II.

Principales sententiæ proponuntur, & suis fundamentis comprobantur.

10. **V**OCAMUS principales sententiæ, quæ respondent quæstioni nostræ in sensu explicato num. 7. istæ duæ sunt prima negat naturam Gabrielis adhuc inadæquatè conceptam esse speciem prædicabilem, & habere plura possibilia. Ita Cajet. Soncio. Hervæus, Javellus, & alij antiqui Thomistæ, et modernis Prado, Lince, Moneda, Cariel, & alij, quos citat, & sequitur Magister Bajona. Ex nostris Gavardi in Logica quæst. 3. de univers. art. 4. qui citat omnes nostros DD. cum Ægidio quodlib. 2. quæst. 6. & 7. Et N. Villanova tenetur hanc sententiam colligi ex Ægidio 2. Sentent. distinct. 3. parte 1. quæst. 2. art. 1. ad 3. & 4. Eandem tenent ferè omnes DD. Societatis, & Scotistæ. Contraria, & affirmativa docetur à pluribus Thomistis

modernis, quos citat, & ingeniose illustrat Magist. Eroylan. Dabinus pro utraque fundamenta.

Prima sententia negans probatur primò ex D. Thomæ quæst. unica de spiritualibus creaturis art. 9. ad quartum ubi ait: *Natura Angelica prohibetur esse in multis ex eo quòd non est nata recipi in aliquo subiecto.* Ex quo sic. Repugnãtia, ut natura Angelica sit in multis, oritur ex irreceptibilitate ejus in materia: sed licet concipiatur natura Angelica sine singularitate, concipitur tamen ut spiritualis, & irreceptibilis in materia: ergo concipitur impotens esse in multis, & prædicari de multis; & consequenter non erit universalis, nec species prædicabilis.

Confirmatur ex eodem S. Doct. ibidem art. 8. ubi ait: *Si autem Angelus est forma simplex abstracta à materia, impossibile est etiam fingere, quòd sint plures Angeli ejusdè speciei.* Ex quo sic. Angelus conceptus sine singularitate est forma simplex abstracta à materia; nam est completè spiritualis; sed juxta D. Thomam impossibile est de eo fingere plura individua: ergo nec per fictionem nostri intellectus potest esse species prædicabilis de multis.

Confirmatur 2. ex eodem

1. par. quæst. 13. art. 9. ubi docet, quòd natura humana est universalis secundum rem, & rationem; natura verò solis est universalis secundum rationem tantum; & hujus probationem dat, quia natura humana habet plura actu existentia, de quibus prædicatur; natura autem solis habet unum existens, & plura possibilis, quia est natura materialis: sed natura Gabrielis nõ est materialis: ergo non habet plura possibilis; & sic non est species, nec universalis secundum rationem tantum.

11. A ratione probatur hæc sententia 1. Universale logicum est unum aptum positivè ad essendum in multis: sed natura Gabrielis non est apta ad essendum in multis: ergo nec est universalis, nec species prædicabilis. Min. probatur ex ipso supposito quæstionis, nam naturam posse esse in multis, & de eis prædicari, est naturam posse multiplicari: sed in præsentis supponitur naturam non posse multiplicari: ergo &c.

Confirmatur. Universale logicum est natura potens esse in multis, & prædicari de multis per identitatem cum illis; sed natura Gabrielis, adhuc inadæquatè concepta nequit identificari cum multis, de quibus prædicetur: ergo nequit esse logicè universalis. Min. probatur ex supposito quæstionis. Ens

rea,

realiter possibile nequit identificari cum aliquò realiter impossibili & chimerico: sed plura individua Gabrielis sunt impossibilia & chimerica juxta suppositum quæstionis: ergo.

Si respondeas huic, & alijs rationibus cum DD. secundæ sententiæ, quòd solum probatur de natura Angelica adæquatè concepta, non verò de concepta inadæquatè sine singularitate; quia sic non habet repugnantiam ad essendum in multis, quæ tota oritur ex singularitate; à qua præscinditur per intellectum. Si hoc respondeas, accipe varias impugnationes, quibus præcedens ratio instauratur.

12. Prima est. Si natura Gabrielis concepta sine singularitate, est potens esse, & prædicari de multis, illa multa erunt corporea, vel spiritualia. Sed totum repugnat: ergo & doctrina solutionis. Probatur min. nam in primis nequeunt esse corporea; nam sicut natura corporea nequit habere individua spiritualia; sic nec natura spiritualis, quantumcumque concepta sine singularitate, potest habere individua corporea. Insuper nec individua spiritualia, tum quia hic supponitur esse impossibilia. Tum & præcipuè, quia cum non possint esse distincta numero sine prin-

cipio numericæ multiplicationis; nullum datur, nec est possibile principium numericæ multiplicationis in spiritualibus.

Contra secundò. Licet in conceptu specifico Gabrielis nõ appareat singularitas, quæ est impedimentum ad essendum in multis; tamen non apparet fundamentum ut concipiatur potens esse in pluribus: ergo natura concepta sine singularitate erit universalis solum negativè; positivè autem nec singularis, nec universalis; & sic nec species prædicabilis. Probatur antecedens. Non stat fundamentum, ut concipiatur natura potens esse in pluribus, ubi plura sunt impossibilia: sed juxta suppositum quæstionis illa plura sunt impossibilia: ergo.

Contra tertio. Sicut natura Gabrielis secundum conceptum specificum præscindit à singularitate; sic præscindit à possibilitate multorum; sed quia præscindit à primo, non est singularis: ergo quia præscindit à secundo non erit universalis, & sic nec species.

Contra quarto. Licet natura Angelica præscindat à singularitate, sibi convenienti, nõ potest concipi cum prædicato sibi opposito. Patet hoc in Deo, quem licet concipiamus sine justitia, non possumus illum concipere ut injustum: sed universalitas est prædicatum oppo-

h.

fitim singularitati naturæ Gabrielis: ergo non possumus ad huc inadæquatè concipere naturam illam ut universalem, & speciem prædicabilem.

13. Secunda ratio probativa hujus sententiæ formatur sic: Universalitas logica positiva consistit in positivo respectu ad plura: sed natura Gabrielis inadæquatè concepta, nequit dicere talem respectum: ergo nequit esse logicè universalis, nec species Min. probatur. Repugnante termino formali alicujus respectus, repugnat talis respectus: sicut repugnante termino & objecto alicujus potentia, repugnat potentia: sed terminus formalis respectus logici sunt plura inferiora, quæ repugnant naturæ Angelicæ juxta suppositum quæstionis: ergo &c. Maj. patet in relatione quæ deficit deficiente termino: & in potentia visiva, quæ repugnat repugnantibus coloribus.

Præcipua solutio hujus rationis traditur à Froylano dicente, quòd illa plura sunt impossibilia ex conceptu individui, sed non ex conceptu specifico naturæ. Ut ergo natura sit universalis sufficit quòd dicat respectum positivum ad plura possibilia ex conceptu naturæ, licet aliunde impossibilia sint. Hæc solutio impugnatur ex dictis num. 12. Sed fortius ex di-

condis §. sequenti: & ex rationibus allegandis infra pro nostra sententia.

Aliæ solutiones minus principales sunt: prima quòd licet plura sint absolute impossibilia, sufficit quòd sint conditionatè possibilia, ut natura sit universalis, & de illis prædicabilis. Secunda dicit sufficere ad rationem speciei, etiam plura repugnant, quòd prædicetur de uno non se adæquando cum eo: quare non petitur in natura respectus ad plura, sed ad unum non se adæquando cum eo. Tertia dicit sufficere plura facta, ut de illis natura prædicabilis sit species. Ceterum supra impugnatae sunt istæ solutiones num. 4. 5. & 6. Nec in hoc sensu rigorosè discutitur quæstio, ut vidimus num. 7. nisi reddatur quæstio de voce, ut advertit N. Villanova. Vide Bajonam ingeniosè & prolixè comprobantem hanc sententiam.

14. Secunda sententia probatur à Magist. Froylan sic, primò ex D. Thoma opusc. 42. cap. 5. ubi ait: *Quia naturam Angelicam cognoscimus per alienam speciem rei materialis, & non per propriam, ideo formamus intentiones communes, quæ uniformiter istis, & illis conveniunt.* Ex quo sic, sed de rebus materialibus formamus secundas intentiones gener-

ris.

ris, speciei, & universalis: ergo etiam de Angelis; & sic natura Angelica juxta D. Thomam erit universalis, & species prædicabilis.

Confirmatur ex S. Doct.

1. par. quæst. 11. art. 9. ubi loquens de natura solis, ait posse intelligi in pluribus existentem, *Quia intellectus intelligit naturam cujuslibet speciei per abstractionem à singulari.* Sed hoc convenit etiam naturæ Angelicæ, à nobis inadæquatè conceptæ: ergo juxta D. Thomam potest natura Angelica concipi in pluribus, & de pluribus &c.

Confirmatur 2. celebri autoritate S. Doct. quæst. unica de spiritualibus creaturis art. 8. ad quartum ubi ait: *Sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa ex hoc quòd est albedo, sed ex hoc quòd est in hoc, quòd pertinet ad rationem individui: ita natura hujus Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc quòd est natura in tali ordine rerum, quòd pertinet ad rationem speciei, sed ex hoc quòd non est natura recipi in aliquo subjecto quòd pertinet ad rationem individui:* ergo expressè juxta D. Thomam habere plura non repugnat naturæ Angelicæ ex conceptu specifico: & consequenter secundum conceptum specificum erit species prædicabilis.

15. A ratione probat Magist. Froylan sic: Natura creata concepta cum fundamento ut una in multis, est prædicabilis de illis, & sic est species: sed natura Angelica inadæquatè concepta secundum conceptum specificum, concipitur eodem fundamento una in multis, & de multis: ergo est species prædicabilis. Probatur min. Natura concepta sine singularitate concipitur cum fundamento una in multis: sed sic concipitur dum concipitur inadæquatè secundum conceptum specificum: ergo &c. Maj. est certa, nam abata forma, tollitur effectus formalis ejus: sed forma redens naturam incommunicabilem multis, & ad unam determinatam, est singularitas: ergo hæc singularitas præcisa per intellectum, remanet natura potens esse in multis. Min. probatur multipliciter.

Et primò sic: conceptus specificus naturæ solum dicit prædicata essentialia naturæ: sed singularitas non est de essentialia naturæ Angelicæ: ergo ab ea præcindit, dum concipitur inadæquatè secundum conceptum specificum. Maj. patet, & min. est certa, nam singularitas pertinet ad conceptum individuum; quare sumitur ab immaterialitate individuali: prædicata autem specifica sunt immaterialitas generica, & differen-

tia.

tialis; quæ constitunt speciem, & essentiam Angeli. Si velis alias probationes ejusdem minoris; vide Eroylanum a nobis multa apparet efficax. Ad hoc doctrinæ nostræ datæ lib. 3. præcedenti quæst. 6. ubi negavimus præcisionem objectivam in Angelis. At quoniam nunc contendimus præcipuè cum RR. Thomistis, ideo supponendo sic cum eis præcisionem objectivam naturæ Gabrielis à singularitate, omittimus probationes talis præcisionis, quam permittimus.

16. Communis solutio hujus rationis est duplex. Una negantium naturam Angelicam præscindere à singularitate pro implicito. Hac via incedit cum pluribus N. Villanova hic; sed licet procedat juxta principia Regidij, ut diximus, non tamè juxta principia RR. Thomistarum, quæ hic debent supponi, si cum eis contendendum est circa præsentem quæstionem. Hanc solutionem latè impugnat Eroylan ubi supra, sed ob rationem datam omittimus impugnationes.

Secunda solutio communis concedit naturam Angelicam præscindere objectivè à singularitate formali, negat præscindere à singularitate radicali; hoc est à radice singularitatis formalis; nam radix ista est ipse conceptus specificus naturæ, quæ petit ob sui immaterialitatem u-

nicam singularitatem formalem. sicut natura humana petit multipliciter, & radicatur in singularitate. Hæc radix singularitatis obstat ne natura sit in multis, aut concipatur potens prædicari de multis.

17. Contra hanc solutionem licet multipliciter. Et primò ex ultimis verbis D. Thomæ allegatis; ubi docet, quod natura Angelica non prohibetur esse in multis ex conceptu specifico: sed si secundum conceptum specificum non præscinderet à singularitate radicali, prohiberetur esse in multis ex conceptu specifico: ergo solutio data est contra D. Thomam.

Contra secundò. Sic comparatur conceptus specificus ad individualem, sicut genericus ad differentialem: sed gradus genericus non radicat unam differentiam specificam: ergo nec gradus specificus radicat unam differentiam individualem, & singularitatem.

Tertiò. Conceptus specificus in re non radicat unam singularitatem: ergo radix singularitatis non est de conceptu specifico. Probatur antecedens. Quæ radicanur exercitè in natura, radicanur in natura singulari; nam singularitas est conditio indispensabilis ad radicandum: sed singularitas nequit radicari in natura singulari; altè

natura esset singularis sine singularitate: ergo.

Quartò. Essentia solum radicat specificas proprietates: sed singularitas non est specifica proprietas naturæ: ergo non radicitur ab essentia. Explicatur. Radicare unam singularitatem, vel est genus vel differentia specifica: at neutrum est: ergo non pertinet ad conceptum specificum. Patet consequentia, quia conceptus specificus constat ex genere, & differentia. Antecedens patet, quia si radicare singularitatem esset genus, aut differentia, talis radicitio pertineret explicitè ad essentiam Angeli, modo quo genus, & differentia ejus: at illa radicitio non pertinet explicitè ad essentiam Angeli: ergo &c.

18. Secunda ratio hujus sententiæ est hæc: Gabriel non ponitur immediatè sub genere, sed sub natura specifica Gabrielis; alioquin genus immediatè prædicaretur de individuo, quod est falsum apud omnes: sed Gabriel non ponitur immediatè nisi sub specie, ut prædicabili: ergo natura Gabrielis est species prædicabilis. Probatur min. Illi subicitur immediatè Gabriel, quod respicit ut immediatum correlativum: sed Gabriel non respicit ut correlativum speciem subicibilem, sed prædicabilem; nam species ut subicibilis est correlativa ge-

nèris, cui subicitur, non autem individui: ergo &c.

Confirmatur 1. Hæc prædicatio: *Gabriel est Angelus*, est prædicatio superioris de inferiori: ergo est prædicatio speciei de individuo. Explicatur; & confirmatur 2. Natura specifica Gabrielis prædicatur de eo ut superius de inferiori: sed non prædicatur ut genus, vel differentia; cum prædicetur ut dicens totam Gabrielis essentiam: ergo prædicatur ut species prædicabilis. Probatur maj. Contrahibile per aliud, est verè superius ad ipsum; nam forma contrahens, & determinans, est verè limitans, & sic inferior; cum ab æquali nemo limitetur; aut contrahatur: sed natura Gabrielis verè comparatur ad Gabriellem, ut determinabilis, & contrahibilis per Gabrielitatem, & singularitatem individualem, cum qua facit veram compositionem: ergo natura specifica Gabrielis prædicatur de eo, ut superius de inferiori.

§. III.

Expenditur singularis sententiæ Recentioris Augustiniani.

19. AUGUSTINIANUS dicitur juvenis, observans quædam præcipua peritioribus Thomistis, quæstionem istam non

procedere de specie prædicabili conditionata sub conditione impossibili; quia hoc modo etiam natura Divina est conditionate species prædicabilis, scilicet sub conditione quod darentur plures dii: rursus non esse questionem de individuis fictis, quia natura realis nequit prædicari de individuis fictis per identitatem cum illis: item non esse de natura prædicabili de uno, non se adæquando cum illo; quia hoc est ludere terminis, nisi ultra illud unum sint alia possibilia; tandem non esse questionem de universali negativo, quia hoc est natura præcisa objective à singularitate; & hoc supponitur, nec hic controversitur, ut §. 1. notatum est: observans hæc omnia, & quod controversia peritiorum Thomistarum stat in eo, an naturæ conceptæ sine singularitate, repugnent plura individua, an nō? Dicit: *Nullum esse locum dubitandi supposita sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate Angelorum intra eandem speciem.*

Hoc suadet primò, quia supposita sententia illa D. Thomæ, supponitur conclusio negativa; & sic non est locus questionis. Secundò. Quia quidquid pro sententiâ affirmante naturam esse speciem prædicabilem, argui potest, hoc immediate militat contra suppositum

questionis; & nunquam licet arguere contra suppositum. Hic modus dicendi non benè auditur à Magistris, & senioribus Augustinianis: quem licet non approbemus, dignum judicamus hic proponere, & impugnare.

20. Probat primò juvenis noster non esse locum questionis, stante eo supposito, sic: Non est locus dubitandi de conclusione, quæ supponitur: sed supposita sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate Angelorum intra eandem speciem, supponitur etiam naturam illam non esse speciem prædicabilem: ergo supponitur conclusio, & sic non est locus questionis de conclusione tali. Probat. min. Illa conclusio supponitur, cujus præmissæ legitimè inferentes, supponuntur: sed supposita sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate Angelorum, supponatur præmissæ legitimè inferentes naturam Gabrielis non esse universalem, aut speciem prædicabilem: ergo &c. Minorem probat hoc syllogismo: *Species prædicabilis est natura potens esse, & prædicari de multis, numerice distinctis: sed supposita sententia de immultiplicabilitate Angelorum, nequit natura Gabrielis prædicari de pluribus: nec esse in pluribus: ergo supposita sententia illa, nequit natura Gabrie-*

rielis prædicari de pluribus, nec esse in pluribus: ergo supposita sententia illa, nequit natura Gabrielis esse species prædicabilis.

En syllogismus perfectus, in quo consequens est conclusio de qua disputatur, & utraque præmissa supponitur. Supponitur major, quia est definitio speciei prædicabilis, & de definitione non disputatur. Supponitur etiam minor, quia sententia D. Thomæ quæ supponitur, docet naturam Gabrielis non posse esse in pluribus, nec prædicari de pluribus; cum prædicari sequatur ad esse: quare plenè supponitur minor; & sic supponitur utraque præmissa.

Confirmat hoc. Nam libro 1. Physicæ dum quaeritur, an materia prima habeat propriam existentiam? Dicunt omnes quod debet supponi distinctio essentialis ab existentia in creaturis, quia alioquin non erit locus dubitandi, ut patet in hoc syllogismo: *Essentia identificatur cum existentia: sed materia prima habet propriam essentialiam: ergo habet propriam existentiam.* En conclusio legitimè illata, de qua dubitari non potest, nisi dubitetur de aliqua ex præmissis; quare cum de minori non dubitetur, quia certum est materiam habere propriam existentiam; restat quod dubium sit de majori, & sic

non debet supponi quod essentialia identificatur cum existentia, sed potius oppositum. Nunc sic: sed non minus sequitur naturam Gabrielis non esse speciem prædicabilem, ex vi quod supponatur sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate numerica; quam sequitur materiam habere propriam existentiam ex vi quod supponatur identitas essentialis cum existentia: ergo sicut supposita identitate ista, dicunt omnes non esse locum questionis; teneatur dicere non esse locum questionis supposita sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate. Minus subsumpra patet, quia non minus concludit primus syllogismus, quam secundus: ergo nō minus sequitur &c.

21. Probat secundò juvenis noster suum assertum sic; supposita sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate numerica Angelorum, debet supponi unicum fundamentum D. Thomæ pro hoc asserto, quod distinguit naturam spiritualementi à materiali: sed eo supposito non est locus questionis de specie prædicabili: ergo supposita sententia D. Thomæ, non est locus questionis. Patet maj. quia conclusio nihil aliud est quam præmissæ unde inferuntur, aut principium in quo continentur, quare sententia aliqua præsupposita, supponitur principium,

quò probatur. Min. probatur. Principium D. Thomæ pro illa sententia est, quòd numerica distinctio sumitur à materia; natura corporea est materialis; natura Angelica est immaterialis; quare hæc non potest multiplicari numero; bene tamen materialis & corporea. Atqui supposito hoc principio, non datur locus quæstioni de specie prædicabili: ergo eo supposito non est locus quæstioni.

Probatur min. Tam irreceptibilis est Angelus in materia ex conceptu specifico, quàm ex individuali: ergo tam ipsi repugnat esse in multis ex conceptu specifico, quàm ex individuali juxta D. Thomam, cujus sententia, & ratio præsupponuntur. Sed hoc supposito non datur locus quæstioni: ergo sententia illa, & ejus principio supposito, non datur locus quæstioni. Probatur min. subsumpta. Nequit dubitari, an natura secundum conceptum specificum sit prædicabilis de multis, nisi possit dubitari an secundum conceptum specificum possit esse in multis: sed si secundum conceptum specificum supponitur immaterialis; & ideò impotens esse in multis, non potest dubitari, an sic possit esse in multis: ergo eo supposito non datur locus quæstioni de specie prædicabili.

22. Confirmat hoc. Dicitur

supponitur ex D. Thomâ quòd natura Gabrielis est immultiplicabilis, quia immaterialis; vel supponitur, quia immaterialis ex conceptu specifico, vel quia immaterialis ex conceptu individuali, & attenda ejus singularitate. Si primum? Non datur locus quæstioni. Si secundum? Non supponitur sententia D. Thomæ: ergo si supponitur, ut dicunt, sententia D. Thomæ, non est locus quæstioni. Probatur prima pars min. Quia si supponitur Gabriel immultiplicabilis, quia est specificè immaterialis, quantumcumque inadæquatè concipiatur secundum conceptum specificum, concipitur immultiplicabilis, impotens esse in pluribus, & prædicari de pluribus: sed de impotente sic prædicari de pluribus, non est locus dubitandi, an possit prædicari de pluribus: ergo si supponitur immultiplicabilis, quia specificè immaterialis, non est locus quæstioni.

Quoad secundam partem probatur min. Sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate Angelorum, dat discrimen, immò & est differentia inter naturas spirituales, & corporales quoad multiplicationem, ita ut corporales possint multiplicari eo modo, quo non possunt spirituales. Sed ex conceptu individuali tam immultiplicabilis est natura solis, & qualibet corpora

tæ; quàm natura Angelica: ergo si solum supponitur natura Gabrielis immultiplicabilis ex conceptu individuali, non supponitur sententia D. Thomæ. Min. patet ex supra dictis de individuo, quòd est idem ac *Non dividuum, vel non divisibile*. Rursus singularitas etiam in rebus corporeis obstat universalitati, & multiplicationi; quare ex conceptu individuali tam immultiplicabilis est natura materialis, quàm spiritualis sine ullo discrimine.

23. Probat tertio sum effectum sic. Tunc factò aliquo supposito, non datur locus quæstioni, quando fundamenta impugnant ipsum suppositum quæstionis, ut patet: sed omnia fundamenta, quibus probatur natura Gabrielis species prædicabilis, sunt directè contra sententiam D. Thomæ, quæ supponitur: ergo ea supposita non est locus quæstioni. Min. probatur revocando præcipua fundamenta, qualia sunt primo, illa autoritas D. Thomæ positiva num. 14. incipit *Sicut hæc albedo* &c. nam in ea S. Doct. docet naturam Gabrielis ex solo conceptu individuali esse immultiplicabilem, sicut natura materialis hujus albedinis ex eodem conceptu immultiplicabilis est. Rursus vide fundamentum num. 19. positum, quòd suadet quòd tota repugnat

tia multiplicationis in Angelis, oritur ex singularitate, & non aliunde. Atqui hæc fundamenta sunt directè contra sententiã D. Thomæ, quæ supponitur: ergo &c.

Probatur min. Sententia D. Thomæ dat discrimen inter res spirituales, & corporeas quoad multiplicationem: sed si tota immultiplicabilitas Angelorum sumitur à singularitate, & conceptu individuali, nullum subsistit discrimen D. Thomæ inter spiritualia, & corporalia: ergo fundamenta relata, directè procedunt contra sententiam D. Thomæ, quam supponunt. Maj. cum contentia tenet, & min. probatur. Quia tam immultiplicabilis est natura solis attenda singularitate, quàm natura Gabrielis: ergo si tota &c.

Confirmatur. Dum D. Thomas probat Angelum immultiplicabilem, quia est immaterialis: vel id probat ex conceptu immaterialitatis specificæ, vel ex conceptu immaterialitatis individualis. Si secundum? Nihil probat, quia nil speciale probat de spiritualibus, quòd æquè non conveniat corporalibus, ut distum est. Si primum? Ergo dum hoc supponitur, non est locus probandi Angelos ex conceptu immaterialitatis specificæ esse multiplicabiles, nisi probetur contra sententiam

tentiam, quæ supponitur.

24. Hæc sententia prima fronte, facile impugnatur impugnatione reflexa, sed non ita facile ratione directa. Contra eam reflexè sic. Nam de facto dubitatur à DD. an natura Angelica sit species prædicabilis supposita sententia D. Thomæ: ergo potest dubitari, & sic est locus quæstioni. Patet consequentia, quia est ab actu ad potentiam. Si enim dubitatur, potest dubitari; etsi potest, adest locus, & ratio dubitandi; nisi velis DD. dubitare, ubi non est ratio dubitandi: sicut juxta regulam Vatem quidam trepidaverunt ubi non erat timor.

Rursus. Adhuc supposita sententia D. Thomæ, sunt plures autoritates S. Doct. quibus suadetur pro utraque parte, jam quod est species prædicabilis, jam quod non est: ergo adhuc supposita sententia D. Thomæ, rationabiliter dubitatur, an sit species prædicabilis. Antecedens patet ex verbis D. Thomæ supra datis pro utraque sententia.

Tertiò. Nam juvenis noster solum probabiliter tenet nullum esse locum quæstioni: ergo cum probabilitas unius sententiæ non tollat probabilitatem sententiæ contrariæ; adhuc erit probabile, quod detur locus quæstioni: ergo probabi-

liter est locus quæstioni, & sic rationabiliter disputatur, an sit species prædicabilis.

25. Secundò impugnatur directè assertum juvenis nostri, ostendendo rationem dubitandi adhuc supposita sententia D. Thomæ, & fundamento illius. Nam licet sententia, & fundamentum D. Thomæ supponatur, non supponitur uniformis intelligentia illius, sunt enim aliqui Thomistæ qui fundamentum D. Thomæ intelligunt de immaterialitate specifica, alij de individuali: & qui tenent de individuali, docent esse speciem prædicabilem; qui verò de specifica, negant esse speciem: ergo cum sit ratio dubitandi circa intelligentiam rationis D. Thomæ, est ratio dubitandi circa quæstionem de specie prædicabili.

Confirmatur. Licet supponatur sententia D. Thomæ, & fundamentum ejus, unice supponitur ea intelligentia, quæ sufficit ad discrimen inter res corporeas, & spirituales quoad multiplicationem: sed hoc discrimen, quod supponitur, satis salvatur in quacumque sententia ex principalioribus, laudatis §. præcedenti: ergo adhuc supposita sententia D. Thomæ, ejus fundamento, & discrimine inter utramque naturam, est locus quæstioni de specie prædicabili. Probaturnon. Et quidem

dem de sententia negante esse speciem, certum est quod salvat discrimen inter res spirituales & corporeas, cum ponat spirituales ex conceptu specifico immultiplicabiles. Quare solum restat probare de sententia contraria, quæ unice cognoscit immultiplicabilitatem ex immaterialitate individuali; hæc non videtur salvare discrimen, cum etiam res corporeæ ex conceptu individuali sint immultiplicabiles, ut juvenis noster arguebat num. 22.

Probaturnon ergo sic. Licet res spirituales, & corporeæ ex conceptu individuali sint immultiplicabiles, aliter repugnant ex tali conceptu spirituales multiplicationi, aliter corporeas: ergo licet ratio D. Thomæ, quæ supponitur, intelligatur de immaterialitate individuali, adhuc stat discrimen inter corporalia, & spiritualia. Probaturnon antecedens. Res spirituales repugnant multiplicationi duplici, repugnantia, prima sumpta ex ratione communi individui, quæ æquè convenit rebus corporeis; secunda sumpta ex immaterialitate completa, quæ est immaterialitas individualis. Res autem corporeæ repugnant multiplicationi ex unico capite, scilicet ex ratione individuali. Clarius Res corporeæ sunt immultiplicabiles unice, quia singulares; res spirituales, quia

singulares, & quia completè spirituales: sed posita in spiritualibus duplici repugnantia multiplicationis, stat discrimen à corporalibus, quæ unicam repugnantiam habent ex singularitate individuali: ergo aliter repugnant spiritualia multiplicationi, aliter corporalia, etsi utraque convenient in repugnatione ex conceptu individui.

Explicatur exemplis. Licet homo, & planta convenient in ratione viventis, quæ excludit carentiam vitæ; aliter homo excludit carentiam illam, ac planta; quia hæc illam excludit unica vita vegetativa, homo verò triplici, scilicet vegetativa, sensitiva, & rationali. Rursus licet homini, & lapidi sit indubitata gratia, plus lapidi, quam homini; quia in lapide obstat debito incapacitas, & impropertio; in homine verò sola impropertio, qua ens naturale inferius est ad omne supernaturale. Idem mille alijs exemplis confirmatur.

Hinc colliges, quod rationes probantes naturam Gabrielis esse speciem prædicabilem, non probant contra suppositum, quia licet probent, quod repugnantia multiplicationis oritur ex solo conceptu individuali, non probant contra sententiam D. Thomæ, & discrimen inter res spirituales, & corporeas; si quidem tale discrimen subsistit,

etiam si ex sola immaterialitate individuali proveniat repugnatio multiplicatiois: ergo motiva junioris nostri urgentia non sunt, quod parebit amplius ex eorum solutione.

26. Ad primum positum num. 20. respondemus nego min. ad probationem ejus nego min. ad ejus probationem dic in illo syllogismo non esse conclusionem, de qua hic disputatur. Non enim disputatur hic de natura Gabrielis absolute sumpta, sed de natura illa *inadequate concepta sine singularitate*. Ergo ut non sit locus dubitandi, oportet inferre ex præmissis indubitatis hanc conclusionem: *Ergo natura Angelica inadequate concepta non est species prædicabilis*. Hæc conclusio solum potest inferri legitime ex his præmissis. *Species prædicabilis est natura potens esse, & prædicari de multis: sed supposita sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate Angelorum, natura Gabrielis inadequate concepta sine singularitate non est potens esse & prædicari de pluribus: ergo natura Gabrielis inadequate concepta, non est species prædicabilis*. En conclusio de qua dubitatur, est legitime illata: ceterum licet non dubitatur de majori, quia est distinctio speciei, at dubitatur de minori, quia dubium est adhuc in sen-

tentia D. Thomæ, an natura præscindens à singularitate præscindat ab adæquato impedimento essendi in multis. Ergo syllogismus nostri juvenis, & ejus ratio, nihil probant, quia non probant de natura inadequate concepta; & de ea sic sumpta procedit solum quæstio, ut notatum est supra.

Potest dici secundo, quod adhuc admissio utramque præmissam supponi veram, poterat dubitari de conclusione, si non constaret de legitima ejus illatione. Sicut in hoc syllogismo *Deus est formaliter sapiens: sed Deus etiam est formaliter justus: ergo justitia est formaliter sapientia*. En syllogismus, in quo præmissæ citra dubium sunt veræ, & de fide. At conclusio non est de fide, nec citra dubium, quia conceditur à Thomistis, & Ægidianis, negatur tamen à Scotistis ponentibus in Divinis distinctionem formalem ex natura rei. Dubitatur ergo de conclusione, & non de præmissis, quia non est evidens, nec constat evidenter conclusionem ex præmissis inferri. Ergo cum in syllogismo nobis objecto non constet evidenter de legitima illatione consequentis, poterit de conclusione dubitari, etiam supponantur præmissæ, ut veræ.

Ad confirmationem primi fundamenti respondemus primo

mò quòd DD. qui volunt supponere distinctionem essentiae ab existentia, ut inquirant de existentia propria materiae: tenent concorditer illum syllogismum concludere, & utramque præmissam supponi. At in nostro casu non sunt concordantes DD. quia negantes esse speciem prædicabilem putant concludere; Froylan & alij putant non concludere. Quapropter hic est dubium de illatione, & ibi non est. Adde quòd in quæstione de materia prima inferitur evidenter conclusio de qua est quæstio; hic autem non sic, ut in prima solutione observatum est.

Respondemus secundo ad confirmationem, negando majorem, quia, ut dicemus in Physica, adhuc supposita identitate inter essentiam, & existentiam, est locus dubitandi, an materia prima habeat propriam existentiam? Immo adhuc ea supposita dicemus non habere existentiam propriam. Hoc pro nunc breviter suademus ex dicendis lib. 1. Physicæ. Nam supposita sententia identificante essentiam cum existentia, ubi non est actualitas essentiae, non est actualitas existentiae: hoc patet, cum ex duobus identificatis non possit unum dari sine altero: sed materia prima non habet actum metaphysicum, qui est actualitas essentiae; vel saltem dubitatur, an habeat a-

ctum metaphysicum: ergo adhuc supposita sententia identificante essentiam cum existentia; materia prima non habet propriam existentiam; vel saltem est locus dubitandi de existentia materiae, sicut est locus dubitandi de actu metaphysico: quapropter eidem principiis tenendum est, quòd adhuc supposita sententia D. Thomæ de immultiplicabilitate Angelorum, est locus dubitandi de specie prædicabili.

27. Ad secundum fundamentum positum num. 21. constat solutio ex dictis num. 25. respondemus in forma, dist. maj. supposita sententia D. Thomæ, debet supponi principium probativum, & debet supponi uniformis intelligentia principij, nego maj. & intelligentia principij non supponitur, sed controversatur. concedo maj. & disting. min. si supponeretur uniformis intelligentia principij, concedo min. si non supponatur, nego min. & consequentiam, sub qua distinctio ne admittit reliquas probationes. Principium D. Thomæ est hoc: *Omne irreceptibile in materia, est immultiplicabile numero*. Hoc principium ab omnibus supponitur, sed non est informis omnium intelligentia de hoc principio; nam Bajoria cum suis intelligit de omni irreceptibilitate in materia;

Froylan cum suis dicit intelligi non de irreceptibilitate specifica, & incompleta; sed de sola individuali, & completa. Quis horum melius intelligat D. Thomam, infra constabit: nunc satis sit dubium esse de intelligentia principij suppositi; ex quo dubio nascitur quæstio de specie prædicabili.

Ad confirmationem positam num. 22. dic tantum supponi naturam Gabrielis immaterialem, & immultiplicabilem: an autem sit immultiplicabilis quia immaterialis specificè, an quia immaterialis individualiter, hoc non supponitur, sed controversitur. Nec valet secunda illatio; nam etiã si cum Froylano dicas D. Thomam unicè probare ex immaterialitate individuali, adhuc subsistit doctrina D. Thomæ dans discrimen inter spiritualia, & corporalia. Vide hoc discrimen supra num. 23. quod iterum confirmo sic: Multiplicatio numerica formarum oritur ex diversis portionibus materiæ; id patet in animabus etiam rationalibus; quæ licet sint spirituales, dicunt tamen ordinem ad diversas portiones materiæ, & ab eis sumunt distinctionem numericam: ergo magis obstat multiplicationi, quod magis repugnat divisioni: sed licet individuum corporeum obstat divisioni, non tamen tan-

tum, quantum individuum spirituale, quod caret materia, & ordine ad materiam: ergo magis excludit divisionem singularitatis Angelica, quam singularitatis corporea. Ergo adhuc intellecta sententia D. Thomæ de immaterialitate individuali, subsistit discrimen inter spiritualia, & corporalia.

28. Ad 3. fundamentum positum num. 23. constat ex dictis. Respondemus, negamin. ad probationem ejus negamin. Ad hujus probationem, nego min. ad probationem ejus, nego antecedens. Non enim natura solis attendit singularitatem ejus est tam immultiplicabilis, quam natura Gabrielis; nã hæc duplici titulo repugnat multiplicationi, illa verò unico, ut dictum est: ergo natura Gabrielis est magis immultiplicabilis, quam natura solis, etiam utraque consideretur ex conceptu individui. Quare stat discrimen inter spiritualia, & corporalia; nec aliud hic supponitur dum sententia D. Thomæ stabilitur.

Ad confirmationem dic de illo esse controversiam; nec bene suadetur rationem D. Thomæ non posse intelligi de immaterialitate individuali Angelorum: nam etiam sic intellecta, stat discrimen spiritualium à corporalibus, ut dictum est: ergo cum de intelligentia ra-

tio

tionis D. Thomæ sit dubium; & ex eo pendeat quæstio præsens; si de primo est locus dubitandi, sic de quæstione præfenti; in qua quid sentiamus, patebit §. sequenti.

§. IV.

Eligitur sententia negans naturam Angelicam esse speciem prædicabilem.

29. LICET fundamenta junioris nostri inefficacia sint pro negando loco quæstioni, suadent tamen efficaciter veritatem sententiæ negantis: & idè ei subscribimus, quoniam, & expressior est in Doct. N. B. Egidii qui 3. Sentent. dist. 10. par. 1. quæst. 2. §. Propter primum, dicit sic: *Qualibet ergo species, & quodlibet genus, in istis materialibus, quia secus est in substantiis separatis, est quoddam universale.* En dat discrimen inter spiritualia, quæ sunt substantiæ separatae à materia, & materialia; quia, ut ibi dicit, universale est unum in multis, & de multis, quare est unum divisibile in plura: hoc convenit solis materialibus, quæ ratione materiæ divisibilia sunt locis spiritualibus; Ergo natura Gabrielis etiam non adæquate concepta, est substantia

tiã separata à materia, nec sit divisibilis divisione materiæ; non erit universalis, nec species prædicabilis juxta nostram Ægidium hic, ubi doctrinam D. Thomæ confirmat de multiplicatione numerica sumpta à sola materia, & reperta in solis corporalibus.

30. A ratione probatur eadem sententia. Ut natura Gabrielis inadæquate concepta, foret species prædicabilis, deberet sic accepta, esse potens multiplicari: sed juxta sententiam D. Thomæ, quæ supponitur, non est potens multiplicari, adhuc inadæquate concepta: ergo adhuc sic non est species prædicabilis. Probatur min. natura ut sic, adhuc est immaterialis: sed ex immaterialitate probat D. Thomas repugnantiam multiplicationis: ergo &c.

Dices: D. Thomam solum probare immultiplicabilitatem ex immaterialitate individuali, non ex specifica; quare semel præfisa ab individuali, est potens natura esse in multis, & de multis. Contra. Nam si solum probaret ex conceptu individuali, nihil probaret; sed conceptus specificus rei corporeæ magis aequè multiplicabilis, ac conceptus specificus rei spiritualis, & repugnat. Solummodo conceptus individualis

immaterialitatis nihil addit supra specificum, nisi solam singularitatem, & individuationem: ergo dum dicis D. Thomam probare solum ex conceptu individuali, tenes vel quod probavit ex singularitate individuali, vel ex conceptu immaterialitatis incluso in singularitate. Si primum? Reddis inefficacem rationem D. Thomæ, quia nil speciale diceret de spiritualibus. Si secundum? Ergo cum Angelus ex conceptu specifico sit immaterialis, adhuc repugnat multiplicationi.

Explicatur. Immaterialitas individualis, nil aliud est, quam individuata; sic humanitas individualis, nihil est aliud, quam humanitas individuata; sed humanitas individuata non est humanitas distincta ab specifica, sed est eadem specifica cum individuatione addita; non enim in Petro sunt duæ humanitates, sed unica individuata: ergo in Gabriele immaterialitas individualis, nihil est aliud, quam immaterialitas specifica naturæ cum individuatione ipsi addita. Nunc sic. Vel omnes partes hujus complexi *Immaterialitas individuata*, repugnant multiplicationi, vel sola individuatō. Si primum? Ergo cum in conceptu specifico sit immaterialitas, ibi est repugnantia multiplicationi. Si secundum? Ergo nihil est speciale in spiritualibus,

quo repugnent multiplicari; quod æquè non sit in corporalibus, ut dictum est.

Contra tertio. Ideò juxta D. Thomam conceptus immaterialitatis repugnat multiplicationi, quia repugnat materiæ, quæ juxta S. Doct. est principium multiplicationis: sed immaterialitas specifica repugnat etiam materiæ: ergo juxta D. Thomam repugnantia ita æquè apparet in immaterialitate specifica.

Quarto. Si juxta D. Thomam Gabriel ex conceptu specifico posset multiplicari, ei non repugneret ex tali conceptu principium numericè multiplicationis: sed materia, quæ est tale principium juxta D. Thomam, repugnat Gabrieli ex conceptu specifico immaterialitatis: ergo ex eo etiam probat D. Thomas repugnantiam multiplicationi.

32. Respondebis cum Mag. Froylano, quod materia est principium numericæ multiplicationis in rebus corporalibus; secus in spiritualibus. At hæc solutio, licet Ægidianis sit utilis ad defendendum Angelos posse Divinitus multiplicari: est tamen contraria Thomistis, id negantibus, quorum sententia hic supponitur ut D. Thomæ. Contra solutionem sic. Ergo dum D. Thomas excludit ab Angelis numericam multipli-

plicationem, quia carent materia, perperam id intulit: cum materia non sit principium numericæ multiplicationis in spiritualibus, sed in corporalibus. Rursus. Per te materia non est principium multiplicationis in spiritualibus: ergo nec immaterialitas, vel carentia materiæ erit principium carentiæ multiplicationis. Ergo dum id assumitur à D. Thoma, falsum assumitur principium, quod nullus Thomista concedit.

Contra tertio. Uel principium multiplicationis spirituum, quod per te non est materia, sed quid distinctum à materia, vel est possibile, vel non est possibile. Si possibile? Ruit sententia D. Thomæ, quæ supponitur, & astruis sententiam Ægidij, docentis Angelos posse multiplicari. Si secundum? Ergo natura ex conceptu specifico est immultiplicabilis; cum non sit ei possibile principium multiplicationis spiritualium.

33. Dices cum eodem Froylano, tale principium esse absolutè impossibile: ceterum non repugnare naturæ Gabrielis ex conceptu specifico, sed ex solo individuali. Sed contra: Nō minus natura est immaterialis specificè, quam individualiter: ergo non minus repugnat illi principio ex conceptu specifico, quam ex individuali. Secundo, si ex conceptu specifico

non repugnat naturæ principium multiplicationis: ergo natura Gabrielis se habet veluti natura solis, cui ex conceptu specifico non repugnat multiplicari; & sic nulūm est discrimen inter corporalia & spiritualia. Tertio. Quia si tale principium non est materia in spiritualibus, erit aliquid gerens vicem materiæ, & ei æquivalens quoad numericam multiplicationem: at hoc non est supponere cum Thomistis sententiam D. Thomæ, sed incidere in sententiam Ægidianam, de qua supra num. 1. ergo doctrina data non est Thomistica, ut hic debet supponi.

Hinc merito N. Gavard tom. 3. suæ Theologiæ quæst. de substantia Angelorum probat Angelos posse numero multiplicari, redarguendo Thomistas eos, qui in sensu præsentis docent naturam Angelicam esse speciem prædicabilem: Bene redarguit, nam (ut vides) negant materiam esse principium multiplicationis in spiritualibus: & docent principium tale esse non repugnans, sed possibile naturæ ex conceptu specifico: ergo ex horum doctrina suadetur posse Deum naturam specificam Gabrielis in plura individua multiplicari, licet de facto plene in uno individuo suo non duo sit. §.

§. V.

Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum, & aliqua de novo obijciuntur contra nostram.

34. **F**UNDAMENTA primæ sententiæ posita à num. 10. usque ad 13. sunt plenè pro nobis, nec eorum efficacia enervatur solutionibus ibi inter arguendū positis, quia satis instauratur ibi; & efficacius solutiones illæ possunt impugari, doctrina à nobis data §. 4. præcedenti, cui nil occurrit addendum.

Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 14. Respondemus, & ad primam auctoritatem D. Thomæ, dic primò nihil inde probari, quia sicut Angelos cognoscimus per alienam speciem rei materialis; ita etiam Deum: at Deo non possumus attribuire secundas intentiones, quas de rebus materialibus formamus, ut omnes concedunt: ergo nec Angelis. At quoniam hæc solutio non tam impugnat sententiã contrariam, quàm auctoritatem D. Thomæ; idèo aliter respondemus S. Doctorem loqui de illis intentionibus, quæ possunt Angelis applicari; tales sunt intentio generis, differentia, &

speciei subijcibilis; harum sunt Angeli capaces, quia sunt metaphysicè compositi, secus Deus, qui est summè simplex, & actus purissimus. Non loquitur S. Thomas de intentione speciei prædicabilis: quia hæc petit plura individua possibilia, & juxta S. Doct. Gabrieli possibilia non sunt.

Ad secundam auctoritatem dic S. Doctorem loqui de natura materiali, quæ semel abstracta à singularitate, præscindit ab adæquato impedimento essendi in pluribus, & sic est universalis. Talis est natura solis. Ceterùm natura Gabrielis non sic; quia etiam præcisa à singularitate, remanet cum immaterialitate specifica, quæ impedit esse in pluribus, unde non est universalis positivè sed purè negativè, ut dictum est.

Ad tertiam auctoritatem dic, quòd si sensus D. Thomæ esset, qualis argumentum intendit, procederet contra sententiam D. Thomæ, quæ supponitur. Nam albedo ex natura sua potest multiplicari, & unicè hoc repugnat ex sola singularitate: ergo si *ly sicut* dicit adæquatam similitudinem, nullum erit discrimen inter spiritualia, & corporalia quoad posse multiplicari. Hoc est directè contra sententiam D. Thomæ, quæ supponitur: ergo *ly sicut* non dicit adæquatam similitudinem, sed

QUEST V.

§. V.

sed inadæquatam, & cum dissimilitudine. Similitudo sit in hoc, quòd in natura Gabrielis, & hujus albedinis singularitas obstat multiplicationi. Sed dissimilitudo in hoc, quòd totum impedimentum, ne hæc albedo sit in pluribus, est singularitas, & hæcitas: ceterùm adæquatam impedimentum, ne hic Angelus sit in multis, non est singularitas, sed immaterialitas naturæ, à qua nunquam potest præscindere, & sic esse species prædicabilis.

35. Ad fundamentum à ratione positum n. 15. respondemus nego min. Ad probat. ejus dist. min. Natura materialis, concedo maj. spiritualis, nego maj. nã hæc licèt concipiatur sine singularitate, remanet impedita ad esse ad in multis, cum maneat immaterialis. Ad probationem majoris dist. min. forma reddens naturam incommunicabilem multis est sola singularitas in rebus corporalibus, concedo min. in spiritualibus, nego min. alioquin nullum esset discrimen inter spiritualia, & corporalia, ut supra arguebamus, si in utrisque totum impedimentum veniret à singularitate.

Nec probationes Froylandi, quibus suadet naturam Angelicam objectivè præscindere à singularitate, valent. Nam licèt in corporalibus singularitas non sit de essentia naturæ,

sed accidens prædicabile ejus; secus in spiritualibus, tum quia immaterialitas specifica repugnans multiplicationi, essentialiter petit singularitatem. Tum quia ab eadem forma sumitur in Angelis differentia specifica, & individualis, nec potest illa ab illa præscindi objectivè, sed formaliter, ut diximus cum Ægidio lib. 3. quæst. 6. & hic advertit Villanova. Sed quia admittimus sententiam Thomæ plenè, ut supra notavimus; idèo non immoramur in examine harum probationum.

36. Solutiones datæ n. 16. sunt optimæ Prima est nostri Ægidij doctrina, de qua egimus lib. 3. quæst. 6. sed ab ea nunc super sedemus gratia disputationis. Secunda solutio est verissima, & desumitur ex sententia ipsa D. Thomæ, quæ supponitur, quia si aliquid est discrimen spiritualium à corporalibus illud est, quòd conceptus specificus spiritualium petit essentialiter unicam singularitatem cum repugnantia ad plures; corporalia verò non repugnant esse in pluribus, quare spiritualia radicanr singularitatem, & ab hac radice non possunt præscindi.

Nec urgent, quæ contra solutionem istam posita sunt num. 17. Ad primam dicimus D. Thomam asserere naturam Angelicam non prohiberi forma-

maliter esse in multis ex conceptu specifico; prohibetur tamen radicaliter esse in multis, ex tali conceptu. Quia cum radice singularitatem, à qua formalis prohibitio sumitur, conceptus specificus erit prohibitio radicalis, et si non sit formalis: nec aliter potest subsistere doctrina D. Thomæ, quæ supponitur, & discrimen datum inter spiritualia, & corporalia.

Ad 2. dist. maj. in corporalibus, concedo maj. in spiritualibus, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Cum corporalia sint æquè multiplicabilia numericè, ac specificè; in eis sic comparatur genus ad species, ac species ad individua. Non sic in spiritualibus, quorum natura multiplicatur specificè, sed est immultiplicabilis numericè juxta D. Thomam, ut supponitur, quare radicat unicam differentiam individualem quæcumque natura specifica.

37. Dices natura generica Angelorum potest esse in multis speciebus, & ideo potest habere plures differentias specificas: sed quælibet species habet suam differentiam individualem distinctam à differentia individuali alterius speciei: ergo natura generica Angelorum radicat plures differentias individuales. Nunc sic. Non minus est immaterialis, & repu-

gnans materiæ Angelus ex conceptu generico, quàm ex conceptu specifico: & tamen ex conceptu generico radicat plures differentias individuales: ergo & ex conceptu specifico poterit illas radicare; & consequenter non radicat unicam differentiam individualem essentialiter, sed de facto, & materialiter.

Respondeo dist. consequens primi syllogismi. Ergo natura Angelorum generica radicat plures differentias individuales, plures intra eandem speciem, nego consequentiam, plures in diversis speciebus, concedo consequentiam. Quo cessat ratio subillata. Nam si species radicaret plures differentias individuales, istæ forent intra eandem speciem radicantem, & hoc est impossibile naturæ spirituali. Quæres cur repugnat radicare plures differentias individuales intra eandem speciem, non in diversis? Respondemus, quod pluralitas intra eandem speciem est materialis & sic repugnans naturæ spirituali. Pluralitas in diversa specie, est pluralitas formalis, & hæc non repugnat spiritibus, immò est ei connaturalis.

38. Ad 3. nego antecedens. Ad probationem ejus, dist. maj. Quæ radican- tur in natura, radican- tur in natura singulari, in natura exercitè, vel

signatè singulari, concedo maj. signatè præcisè singulari, nego maj. & dist. min. singularitas nequit raditari in natura singulari, singulari signatè, concedo min. singulari exercitè per ipsam singularitatem radicatam, nego min. & consequentiam. Dicimus, quod singularitas non radicitur in natura signatè singulari, quia non supponitur singularis ante singularitatem; sed fit exercitè singularis per singularitatem radicatam. Hoc modo Froylan arguens tenetur respondere in Physica, dum ponit existentiam creaturæ distinctam ab essentia. Nam si distinguitur, recipitur in essentia: ergo in essentia existente, alioquin reciperetur in nihilo; & in essentia non existente, in qua nihil potest recipi. Recipitur in essentia existente: ergo essentia existit ante existentiam, quod implicat. Tenetur respondere cum Thomæ, quod existentia recipitur in essentia existente exercitè per existentiam receptam, non in essentia signatè, & præsuppositivè existente. Dicat idem de singularitate; nec uratur replicis, quas tenetur respondere.

Ad 4. dic, quod radicare singularitatem, est predicatum quasi genericum Angelorum. Ratio est, quia sic radicare sumitur à spiritualitate: sed spiritualitas est quasi genus Ange-

lorum: ergo radicare singularitatem est quasi genus in Angelis. At quia Gabriel non solum radicat singularitatem aliquam, sed hanc de re minuatè; hoc non convenit vi spiritualitatis genericæ, sed vi specificæ: quo fit ut singularitas ut sic sit proprietas generica Angelorum; sed talis determinata singularitas est proprietas specifica. Ex quo in forma concessa maj. disting. min. singularitas talis, nego min. singularitas indeterminate, subdist. non est proprietas specifica, concedo; generica, nego min. & consequentiam.

Ad explicationem dic quod radicare hanc determinatam singularitatem est differentia specifica hujus determinatæ materiæ: unde nego min. Ad probationem, nego maj. quia licet ad conceptum specificum non in his spectet radicare, si ubi non ponitur radicitio, illa explicite in definitione hominis, non enim homo diffinitur *Animal radicans sensibiliter*. Deinde nego min. Quis enim tibi revelavit definitionem, & essentiam Gabrielis, ut scias an radicitio singularitatis pertineat explicite ad ejus essentiam? Fortè pertinet, & nescimus. Quod si ex corporalibus discerimus, non pertinet, ut in essentia hominis dictum est.

Ad secundam rationem
Ccc

tionem probativam positam num. 18. diut. min. sed Gabriel non ponitur immediatè, nisi sub specie, ut prædicabili, ut prædicabili negativè, concedo min. ut prædicabili positivè, nego min. & disting. consequens: ergo est species prædicabilis negativè, concedo consequentiam; positivè, nego consequentiam. Eo modo natura Gabrielis est prædicabilis quo est universalis: sed præcisa singularitate est universalis negativè: ergo est negativè species prædicabilis. De hoc non disputatur, si supponitur præcisio à singularitate, sed dubium est de universalitate, & specie positiva, quæ petit relationem ad plura possibilis: talis non est natura Gabrielis, nec argumento isto probatur, sed solum quòd sit species negativè; & hoc non era necesse probari.

Ad confirmationem concessio antecedenti, nego consequentiam. Quia *Angelus* non est species, sed genus; nec est nomen naturæ, sed officij, ut ait S. Gregorius. Dato nos uti hoc nomine pro natura, quia naturam ignoramus, est nomen genericum ad omnes species Angelorum, quare dum dicitur *Gabriel est Angelus*, est prædicatio superioris de inferiori: at non est speciei de individuo, sed generis de specie.

Ad secundam confirma-

tionem dic, quòd natura specifica Gabrielis prædicatur de individuo Gabrielis, ut superior negativè, non ut superior positivè; & sic non est positivè species. Nec natura illa positivè contrahitur per singularitatem, sed negativè; quia ad contrahitionem positivam non sufficit quòd contrahens sit quid positivum, sed requiritur etiam, quòd contrahibile sit positivè indifferens ad plura: atqui natura Gabrielis est positivè determinata ad unum, ut ostensum est, & sic non est positivè indifferens ad plura: ergo non contrahitur, nec determinatur positivè, sed negativè; quatenus natura sine singularitate est negativè superior; & indifferens.

40. Sed dices: Natura præciscindens à singularitate, est positivè universalis: ergo non solum negativè est species; ut dicimus, sed positivè. Probatur antecedens. Primò sicut opponitur pluralitas unitati, sic singularitas universalitati: sed natura præciscindens à pluralitate, est positivè una, & non purè negativè: ergo natura præciscindens a singularitate, est positivè universalis. Secundò Deus præciscindens à singularitate imperfectè, & pro explicito, est negativè universalis: ergo natura Angelica præciscindens perfectè, & pro implicito à sin-

gu-

gularitate, erit positivè universalis. Patet consequentia. Quia quod magis præciscindit à singularitate, est magis universale.

Respondemus neg. antecedens. Ad primam probationem, nego maj. Nam universalitati non solum opponitur singularitas formalis, sed etiam singularitas radicalis, ut dictum est; & patet, quia universale est unum potens esse in multis: sed si natura retinet singularitatem radicalem, non potest esse in multis, sed radicat unum tantum: ergo universalitati opponitur singularitas radicalis. Non sic pluralitas unitati universalis: quia potius universale petit cum unitate formali naturæ pluralitatem radicalem. Ratio est, quia unitas universalis est potens esse in multis: ergo est unitas naturæ radicans multas singularitates: ergo est unitas formalis, quæ simul est pluralitas radicalis. Ergo aliter se habet, & opponitur unitas plura-

litati, at singularitas universalitati. Hæc est vera solutio. Poteris non tam verè dicere, quòd concessis præmissis consequens est verum in corporalibus, secus in spiritualibus.

Ad secundam probationem antecedentis, concessio antecedenti, nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ dic, quòd in corporalibus tenet, secus in spiritualibus, nisi præciscindat à singularitate etiam radicali, quòd in Angelis fieri non potest, ut dictum est. Dicitur potest *ly magis* exponit *pro potius*; ita ut *Angelus magis præciscindens à singularitate, quàm Deus, sic magis, hoc est sit potius, vel potiori titulo universalis negativè, quàm Deus.* Revera tamen utraque præcisio est à singularitate formali, non à radicali & hæc utrobique obstat universalitati positivæ. In principijs nostris, neutra est præcisio obiectiva, sed formalis juxta dicta lib. 3. quæst. 6.

QUESTIO VI.

Quomodo species sunt sicut numeri?

§. UNICUS.

Explicatur dubium, & defenditur possibilis species medians inter duas immediatas.

1. **A**SSERTUM Aristoteli- tiam à Theologis, quo dicitur
lis est, receptum e- *Species sunt sicut numeri.* Hoc
Cccc die

libe dictum nō leviter confirmatur ex illo sapientiæ undecimo, ubi dicitur Deo, *Omnia in sapientia, numero, & pondere disposuisti*. Quod versans P. N. August. lib. de natura boni cap. 3. & lib. 4. de Gen. ad litteram cap. 3. dicit, quod factio mundi ex parte Dei habet numerum, pondus, & mensuram; quibus ex parte rerum creatarum correspondent *Modus, species, & ordo*. Mensura Dei dat modum creaturæ præfigens ei terminos. Numerus dat speciem creaturæ, & determinata prædicata essentialia. Pondus dat ordinem quasi inclinans in finē determinatum.

Sensus ergo asserti Aristotelici est. Sicut numeri consistunt determinatis unitatibus, ita ut si tollas, vel addas numero unitatem, non maneat idem specificè numerus; ita species habent determinata prædicata essentialia, ita ut si addas, vel demas aliquod, non maneat essentia illius speciei; sed mutetur in alteram speciem. Hæc est communis expositio.

At N. B. Egidius in 1. Sent. dist. 7. quæst. 1. & lib. de Causis prop. 24. sequens P. August. lib. de Natura boni cap. 8. dat aliam expositionem. Nam sicut omnes numeri nascuntur ab una unitate, quæ ideo dicitur *principium numeri*; sic omnes species creaturæ veniunt à Deo, qui est summa

unitas, quæ principium est omnium creaturarum. Sed observa discrimen. Numeri veniunt ab unitate, & addunt aliquid supra unitatem; non sic creaturæ, quæ non addunt aliquid supra Deum, sed infinite inferiores, sunt particula Dei. Rursus aliud discrimen. Quod numerus plures habet unitates, est major & plus recedit ab unitate. Sed quod creatura magis recedit à Deo, eo est minor & imperfectior: ideo Angelus, qui inter creaturas est perfectior, eò est simplicior, & magis proximus Deo.

Ratio disparitatis est, quia unitas Dei, non est sicut unitas numeri; nam hæc est vacua, & imperfecta in genere quantitatis discretæ, sicut in genere quantitatis continuæ indivisibilitas puncti est vacua, ægena, & misera; nec imitatur indivisibilitatem Dei, quæ est plena, & continens omne esse. Cum ergo unitas Dei sit omne esse, & omnis perfectio; quod creaturæ sunt proximiores Deo, eò sunt perfectiores; & quod perfectiores, eò simplices; & quod simplices, eò magis accedunt ad unitatem Dei. Quare non faciunt numerum per additionem ad unitatem Dei, sed penes majorem, vel minorem participationem unitatis ejus.

2. Ex hac doctrina, ut bene advertit Gavardi in Log. quæst. 4. de specie art. 2. §. 2. duæ

duæ oriuntur quæstiones. Una est, an possint dari duæ species æquales in perfectione? Secunda est an inter duas species immediatas possit dari species intermedia? Videtur dicendum utrumque esse impossibile. Quia si species sunt sicut numeri: ergo sicut implicat dari duas species numerorum æquales in unitatibus; ita & implicat duæ species æquales in perfectione essentiali. Item sicut implicat inter numerum binarium, & ternarium ponere speciem numeri intermediam; sic implicat species media inter creaturas immediatæ speciei gradualis.

Nihilominus primæ quæstioni respondemus affirmativè; & secundæ negativè. Dicimus implicare duas species æqualis perfectionis. Ita P. August. lib. laudato de Natura boni cap. 8. & N. Egidius loco citato. Et præter rationem datam ex numeris, probatur altera ratione sic. Species differunt inter se penes majorem, vel minorem distantiam à Deo, unico fonte totius perfectionis: sed si forent duæ æquales in perfectione, istæ æqualiter distarent à Deo: ergo cum sic æquè distantes, non differrent, tales species inter se non differrent. Ergo differrent, & non differrent, quod est implicatorium. De hoc iterum in Physica, sufficiat nunc ista


389 prælibasse. Dicimus secundò. Possibilem esse speciem intermediam. Ita expresse, & ex professo N. Egidius quodlib. 3. quæst. 5. ubi inquit de hoc. Et respondet affirmativè: notando quod datur numerus punctualis, & numerus harmonicus; ille arithmeticus; ille musicus, & sonorus; Creatoræ sunt sicut numeri harmonici, non autem sicut punctuales. Atqui inter duos numeros harmonicos datur numerus medius: ergo inter duas species creatas est possibilis media. Probatur min. inter duos tonos datur semitonus; & eò musica est suavior, quò ascensus, & descensus sit pluries per semitonos: ergo cum creaturæ imitentur harmoniam, dicendum est quod inter duas species immediatas, & quasi punctuales, est possibilis tertia mediana. Hinc soluta manet ratio supra facta in contrarium.

3. Hæc doctrina est certissima, si vera sit major assumpta, videlicet, quod creaturæ imitantur harmoniam musicæ. Et non acquiescunt Peripatetici debilibus fundamentis, quæ non licet expendere: sed certissima fuit apud Pithagoricos ut videtur apud Plinium lib. 2. cap. 22. Macrobi. lib. 2. de somno Scipionis: cap. 3. docentes mundam artē musica fabricatum, quam sententiam cū

Platone probavere Platonijet, addentes, cœlos moveri armonice, nec à nobis audiri consonantiam, ne in aëra rapti, maneremus suspensi, idque vel distantia occasionatum, vel speciali Dei providentia impeditum. De hac cœlorum consonantia vide Philonem lib. de somnis.

Eandem sententiam tenuit Seneca de consolatione ad Mar

DE PRÆDIC. tiam cap. 18. Nec dissentit SS. PP. Nam P. August. lib. 11. de Civitate Dei cap. 18. mundum vocat *pulcherrimum carmen*. Et Epist. 28. ad Hieron. Basil. Hom. 2. in examer. Ambros. Præfat. in Psalm. Boëtius lib. 1. de Musica cap. 2. S. Isidor. lib. 3. ethim. cap. 16. & alij, quos longum esset recensere.



QUÆSTIO VII.

Quid sit differentia; quotplex; quomodo; & de quibus est prædicabilis?

§. I.

Traditur diffinitio differentiae, & quaedam dubiola dissolvuntur.

1. **P**OSTQUAM Porphyrius egit de specie, tertio loco tractat de differentia. Aliquibus fortè videbitur ordo præposterus, sed, ut ait B. Ægidius hîc, fuit necessariò permutandus. Genus enim inter prædicabilia est primum, cumque correlativum ejus sit species, ideò post genus immediatè tractandum erat de specie; quia correlativa sunt simul natura & cognitione, nec unus sine altero sciri potest. Ob hoc non egit de differentia an-

te speciem; quod fecisset, nisi ratio data obstaret, quia rectus ordo petit priùs agere de partibus, quàm de toto; genus, & differentia partes sunt, unde resultat totum, quod est species.

differentia in communi est *Forma qua unum est dissimile alteri*. Hæc est triplex, scilicet *Communis, propria, & propriissima*. Differentia communis est *Accidens commune, quo unum differt ab alio*. Sic albedo est accidens commune, quò dif-

QUÆST. VII.

§. I.

differtur ab Æthiopicibus. Differentia propria est *Proprietas per quam una res differt ab alia*. Sic homo per risibilitatem differt ab equo. Differentia propriissima est *Ratio per quam unum differt ab alio essentialiter*. Sic rationalitas est differentia essentialis hominis; quia per eam essentialiter differt à brutis. Relictis duabus primis differentijs, quia reducuntur ad sequentia prædicabilia; hîc solum est sermo de differentia propriissima.

2. Differentia propriissima, vel essentialis tripliciter comparari potest, primò in ordine ad genus, cujus est contractiva: secundò in ordine ad speciem, cujus est pars constitutiva: tertio per ordinem ad inferiora, de quibus prædicatur. Per ordinem ad genus diffinitur sic: differentia est *illud quo species excedit genus*. Per ordinem ad speciem sic: Differentia est *constitutiva speciei*. Tandem per ordinem ad inferiora sic: *Est quæ prædicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*. Suprà quæst. 2. §. 1. num. 2. invenies explicatam diffinitionem istam.

Dividitur differentia essentialis in superiorem, subalternam, & infimam. Pro hoc observa dicta circa arborem Porphyrianam, & vide ordinem, quò ad latera sunt positæ differen-

tiæ; notando quòd omnium prima, quæ est divisiva *substantiæ*, illa est superior: quæ verò ultimo dividit *sensibile*, illa est infima: reliquæ autem sunt subalternæ. Observa quòd differentia individualis non est differentia de qua hîc. Primò, quia non est universalis, & prædicabilis de pluribus, sed de uno: secundò, quia hîc est sermo de differentia essentiali; & talis non est individualis, quia nulli convenit essentialiter, & constitutivè singularitas: tertio, quia sicut de singularibus non est scientia, & diffinitio, sic nec de differentia individuali, quæ est ipsa singularitas rerum.

3. Contra doctrinam datam sunt aliqua, quæ breviter dissolvemus sequentibus dubijs. Quæres primò, an differentia possit diffiniri? Et videtur quòd non: quia diffinitio traditur per genus, & differentiam: sed differentia non habet genus; item nec constat differentia, & genere; alioquin esset species, & non esset simplex, sed composita: ergo differentia non potest diffiniri. Contrarium docet N. Ægidius quæst. 14. super universalta, & est doctrina communis. Quare cum ipso respondemus, quòd differentia primò intentionaliter sumpta non potest diffiniri: bene verò secundò intentionaliter, & sic diffinitur hîc. Prima

pars

pars probatur argumento factio; quod probat de differentia primo intentionaliter sumpta, quia sic est pars, & non habet genus. Quoad secundam partem probatur, Quia differentia secundò intentionaliter convenit cum alijs predicabilibus in *predicari de pluribus*, quare habet genus; & differt ab eis per *ly in quale quid*, quare habet differentiam; sed quod constat genere, & differentia potest diffiniri: ergo differentia secundò intentionaliter sumpta potest diffiniri.

4. Quæres secundò, an omnes diffinitiones datæ de differentia, sint essentialis? Videtur quod sic: Quia diffinitio explicat essentiam rei: ergo quæcumque sit diffinitio erit essentialis. Rursus, Differentiæ convenit essentialiter determinare genus, constituere speciẽ; & predicari de inferioribus: ergo omnes diffinitiones explicantes hos respectus, essentialis sunt. Sed contra: Quia Doctor N. docet oppositum, quæst. 14. laudata in solutione ad secundũ dicens: *Unius rei esse unicam diffinitionem propriam, & quid rei* (idest essentialis) *tamen possunt esse plures descriptiones, ut sunt hæc de differentia datæ, una excepta*. Ergo ex omnibus diffinitionibus una solum est essentialis, reliquæ autem sunt descriptivæ, hoc est explicantes rem per accidentia

propria, vel communia.

Confirmatur ex P. August. lib. de Categ. cap. 7. ubi unam solum approbat dicens: *Genus ergo, & differentia significantur; sed genus quid sit, differentia autem qualis sit &c.* Nec urgeat motiva contraria: Quia diffinitio explicat essentiam per predicata essentialia, & tunc est essentialis; aliquando explicat per proprietates, & accidentia diffinita, & tunc est descriptiva. Quare non omnis diffinitio est essentialis. Nec incata omnia quæ de differentia dicuntur, ei conveniunt essentialiter, sed solum predicari de pluribus; quare sola ultima diffinitio, quam probat P. Augustinus ubi supra, est essentialis, reliquæ verò sunt descriptivæ. Pro cuius majori confirmatione sit.

5. Dubium 3. An differentia constituitur in ratione predicabilis per ordinem ad speciem, an verò per ordinem ad inferiora? Respondemus quod solum per ordinem ad inferiora. Conclusio est communis, & consequitur ad dicta in simili de specie. Probatur. Predicabile ut tale, est quod predicatur ut superius de inferiori: sed differentia non est superior ad speciem, nec ad genus, sed ad sola inferiora speciei: ergo non constituitur predicabilis per ordinem ad speciem, vel ad ge-

nus,

nus, sed per ordinem ad inferiora. Confirmatur. Omne predicabile est universale, de cuius ratione est respicere plura: sed per ordinem ad speciem non respicit plura; bene verò per ordinem ad inferiora speciei: ergo essentia differentiæ non constituitur per ordinem ad speciem, vel genus, sed per ordinem ad inferiora, de quibus predicatur ut superior.

Sed dices. Differentia est universalis, & predicabilis per ordinem ad illud, ubi exercet munus differentiæ: sed exercet munus differentiæ per ordinem ad speciem, quia facit species differre invicem: ergo est predicabilis per ordinem ad speciem. Respondetur dist. maj. ubi exercet munus differentiæ per modum superioris concedo maj. per modum æqualis, vel inferioris, nego maj. in quo sensu negata min. quia differentia est æqualis speciei, & inferior generis, nego consequentiam.

6. Quæres 4. An diffinitio essentialis differentiæ conveniat omni differentiæ? Ratio dubitandi est, quia dicitur *Quod predicatur de pluribus differentibus specie in quale quid*: sed differentia infima, v. g. *rationale* non predicatur de differentibus specie, sed de Retro: Paulo &c. qui differunt numero tantum: ergo diffinitio

data non convenit omni differentiæ, sed solum subalternæ, & superiori. Froylan, & alij, late versant hoc, & concludunt hæc diffinitionem convenire differentiæ infimæ, si *ly differentibus specie*, mutetur in *differentibus numero*. Noster Egidius quæst. 17. in universalibus docet convenire solum differentiæ subalternæ. Dat nobis conclusionem, & rationem congruentiam sequentibus verbis.

Ad hoc dicunt quidam quod hæc diffinitio datur de differentia subalternæ, & non de specifica: tamen aliter posset dici, & melius. Debes notare quod secundum Boetium in lib. de Divisionum, differentia essentialis sunt nobis ignota: & ideo per aliqua vocabula circumloquimur illas differentias essentialis: sicut rationale, & morale circumloquantur differentiam essentialis hominis. & hic non diffinitur illa essentialis, sed ista commanens, quæ istam essentialis circumloquantur. Hæc Doctor Noster quibus videtur, quod rationale non est differentia hominis essentialis, nam hæc est nobis ignota, sed est vox quæ circumloquendo explicamus differentiam ignotam, unde rationale etiam convenit Angelis, & est quasi differentia subalternæ ad hominem, & Angelum. Et quoniam nomina nostra ta-

lib. sunt, quæ verò explicant differentias infimas, nos lateat, Ideo Porphyrius solam differentiam subalternam diffiniuit, ut notam nobis. Potest tamen diffinitio comprehendere infimas facta mutatione, ut supra.

7. Quæres 5. An divisio differentiarum in communem, propriam, & propriissimam, sit univoca, vel analogâ? Respondemus esse analogam. Ratio est, quia facere differre convenit inæqualiter differentiis datis; nam differentiarum propriissimæ convenit principaliter; differentiarum propriarum minus principaliter; & latè solùm differentiarum communium: sed quando ratio communis inæqualiter convenit inferioribus, tunc non est univoca, sed analogâ, ut dicemus lib. sequenti: ergo divisio illa est analogi in analogata.

Advertit, & benè N. Villanova, quòd differentiarum primò intentionaliter sumptarum conveniunt tantùm analogicè ob rationem datam: ceterùm secundò intentionaliter, & in ratione prædicabilis, conveniunt univocè. Sic supra circa diffinitionem generis diximus cum Ægidio omnia prædicamenta quoad naturam, & rem esse univocè analogicè, quia sunt substantia, & accidens: cui nihil est univocum: ceterùm secundò intentionaliter conveniunt univocè in ratione generis, quia

tam genus est prædicamentum qualitatis, quàm prædicamentum substantiæ.

§. II.

An differentia prædicetur ut totum, vel ut pars?

8. CETERUM est, quòd differentia scientificè non prædicatur de genere; non enim valet animal est rationale: nam in sensu formali est falsa; in sensu identico solùm vera, quare vocatur prædicatio indirecta, & est inutilis ad scientiam, & demonstrationem. Univocè prædicari potest de specie, vel de inferioribus speciei, v.g. Homo est rationalis: Petrus est rationalis. In prima prædicatur æquale de æquali: in secunda superius de inferioribus: & utraque est prædicatio vera, formalis, & directa, estque utilis ad demonstrationem.

De his quærimus, an ibi prædicetur differentia ut totum, vel ut pars? Simile dubium excitatum est de genere supra q. 3. §. 2. ubi ex doctrina Ægidij probatum est, genus dicere partem potentialem essentiarum, quæ quia continet in potentia differentias, vocatur totum potentiale, & ut tale prædicatur. Ibi dictum quòd differentia est pars actu-

actualis, quare dum prædicatur, prædicatur, ut dicens partem essentiarum, non ut totum. Vide ibi doctrinam prolixè datam.

Rursus lib. 3. quæst. 6. §. 5. per totum, probatum est ex N. Doct. quòd differentia in rebus corporeis sumitur à sola forma, v.g. rationale sumitur à sola anima rationali: secus in Angelis, ubi differentia sumitur à tota natura. Quo fit, ut differentia in Angelis dicat totam naturam; secus in corporeis, ubi dicit solam partem naturæ. Cum hæc latè probata sint ex D. N. videtur hic consequenter dicendum, quòd differentia prædicatur ut dicens partem essentiarum æqualem, non autem ut dicens totum. Nec pro asserto isto hic diutius morandum foret, sed sufficeret loca citare, ubi doctrina Ægidij explicata est.

9. Nihilominus tenemur dicta iterare, quia D. N. videtur oppositum dicere primò quæst. 1. super universalibus in corpore, ubi ait: Et ita patet, quòd rationalitas non est differentia, sed rationale est differentia, & prædicatur de homine, & dicit totam essentiam, & quidditatem hominum. Hoc idem reperit quæst. 17. in solutione ad primum, ubi ait: Sed differentia non est pars, immò totum, secundum quòd

superius factum: nam rationalitas non est differentia, immò dicit formam præcisè: sed rationale, quia dicit compositionem. En ruunt omnia, quæ dicta sunt ex doctrina B. Ægidij, quia hic disertis verbis docet, differentiam non dicere partem, sed totum; & quòd prædicatur rationale dicens totam hominis essentiam.

Respondemus primò, has quæstiones dubiam nobis fidem facere de mente Ægidij, tum quoniam fundatissimum stylam B. Doct. non sapienter sumimus quia in corpore earum ponuntur sæpius resolutiones sine ratione probativa, quòd ab Ægidio Doctore Fundatissimo alienum est: tum tandem, quia sibi aliquando contrarietatem in eadem quæstione, quòd difficile invenies in certis Ægidij scriptis, Quòd confirmatur, nã ex ipso titulo in fronte quæstionum posito, colligitur, eas non esse ab Ægidio dictas, sed ex scriptis ejus extractas, dicitur in titulo hoc: Quæstiones Doct. Ægidij &c. super artem veterem, ex commentarijs ejusdem extractæ. Nunc demum calcule, & in presentem formam redactæ à Fr. Augustino Panizono &c. En primò non scriptæ ab Ægidio, sed extractæ ex commentarijs in artem veterem. En rursus in presentem formam redactæ ab alio, cuius nomen

habemus, cum lateat nos nomen extractoris, aut compilatoris. Ergo cum nulla sit nobis certa fides, an sint bene extractæ, an etiam bene in præsentem formam redactæ; nil inde colligere licet de mente Doctoris, nisi quæ alijs ejusdem scriptis concordaverint. Hæc nobis objecta, & etiam alia quæst. sequenti objicienda, quibus docet differentiam non esse simplicem, sed compositam, expressè contraria sunt certissimæ doctrinæ Ægidij, à nobis allegatæ ex Sententiarijs locis citatis: quare sunt nullius momenti.

10. Respondemus secundo cum N. Villanova cap. de differentia dub. 3. ubi nostram cum Ægidio docet sententiam: & cum num. 20. sibi objiciat auctoritatem N. Doct. quæst. 2. Prologi in 1. Sentent. docentis differentiam dicere totam substantiam, & essentiam diffiniti. Respondet quod ibi dicere sumitur pro implicare; hoc est differentia solum dicit formaliter partem essentia; ceterum quia præsupponit genus, & alia prædicata superiora, ideò pro implicito, & præsuppositivè dicit totum. Hæc solutio sumitur ex N. Angèlo Rocha in Scholijs ad 2. Sentent. dist. 3. par. 1. quæst. 1. art. 3. & eam confirmamus ex ipso Ægidio 3. de Anima textu 36. ubi dicit,

quod prædicata priora possunt præscindi à posterioribus, secus: è contrà: quia priora sunt de intellectu posteriorum. Vide verba Ægidij supra lib. 3. quæst. 6. num. 15. ubi probatum est, quod genus potest præscindere à differentijs; sed differentia non possunt præscindere à genere, quia illud necessariò præsupponunt: ergo licet differentia sit formaliter pars, est præsuppositivè totum. In quo sensu loquitur quæst. 2. Prologi Sentent. & eodem modo exponi potest, quod hic nobis objectum est.

Respondemus tertio ex doctrina ipsa quæst. 13. quæ Ægidiana dicitur, & ibi D. N. quærit, utrum rationale sit differentia, an verò rationalitas? Respondet quod rationalitas non est differentia, bene: verò rationale, ratio hujus est, quia rationalitas est abstractum formæ, & pura pars tam ex parte rei significatæ, quam ex modo significandi. Sed pars non prædicatur de toto: ergo cum differentia debeat prædicari de specie, quæ est totum, rationalitas non est differentia, bene: verò rationale; quod est concretum ex rationalitate, & subjecto habente eam. En quia rationale est concretum, rationale dicit totum; non est simplex, sed compositum; nec dicit partem essentia, sed totam.

Quæ

Quare dici potest, quod differentia in abstracto dicit partem, in concreto dicit totum; & sic conciliantur dicta contraria Doctoris nostri.

11. At ista doctrina N. Doctoris non est, ut hic ponitur, quia solida non est. *Rationale, & rationalitas* sunt differentia infima, cum solo discrimine quoad explicari in concreto, & abstracto; sicut *Animal, & animalitas; homo, & humanitas*. Ex isto diverso modo explicandi oritur, quod valent prædicationes in concreto, sed non valent in abstracto. Valet *Homo est animal; Petrus est homo*. Non valet *Homo est animalitas; Petrus est humanitas*. Sic non valet *Homo est rationalitas*; sed valet *Homo est rationalis*. Hujus ratio est, quia sola transcendentia prædicantur in abstracto, v.g. *Homo est entitas; Homo est realitas*. Cum ergo genus, differentia, & species transcendentia non sint; ideò in abstracto non bene prædicantur.

Sed observa attentè disparitatem inter concreta substantialia, & accidentalia, quæ imi-

tantur prædicationes substantialium; non enim valet *Homo est albedo*, sed valet *Homo est albus*. Hucusque assimulantur, sed ecce discrimen. Nam concreta accidentalia prædicantur solum denominativè, secus substantialia. In accidentalibus forma non identificatur cum subjecto, quare de homine non affirmatur albedo distincta, sed subjectum habens albedinem; & sensus est *Homo est subjectum habens albedinem*; & sic solum est vera. At dum dicitur *Petrus est homo*, ly *homo* ex parte modi significandi dicit *subjectum habens humanitatem*; & sensus est *Petrus est subjectum habens humanitatem*. At quia etiam humanitas identificatur cum Petro; ideò prædicatio illa est formalis, & non denominativa; & ex parte rei significatæ etiam est vera. hæc *Petrus est humanitas*, & est prædicatio speciei de individuo: sed ea non utimur, quia est propria transcenden-

tiam, ut dictum est.

QUESTIO VIII.

An differentia infima includat subalternas

§. I.

Proponuntur sententiae cum suis fundamentis.

CUM differentia subalternas habeat etiam rationem generis, comprehensibilis per species, ut diximus explicando arborem praedicamentalem; idem quaestio haec alio titulo etiam proponitur, an scilicet genus includatur in conceptu formali, & quidditativo differentiae? Sub hoc titulo excitatur in capit. de genere, sub posito in fronte discutitur hic. Nec sensus est de inclusione identica, materiali, aut praesuppositiva: quia certum est quod genus & differentia identificantur: quare inclusione identica mutuo includuntur; haec dicitur materialis. Certum est etiam quod differentia praesupponit genus, & quodcumque praedicatum inferius supponit superiora; haec est inclusio praesuppositiva, de qua quaestio non est; sed de inclusione formali, qua mutuo, vel non mutuo includuntur quae sunt de conceptu essentiali: ut ens includitur in substantia, quia est de conceptu essentiali ejus.

Nec quaerimus de inclusionem mutua generis & differentiae; quia nobis certum est differentias non includi in conceptu formali generis, sed ab eo excludi. Id patet ex dictis lib. 3. quaest. 6. ubi probatum est quod genus objective praescindit a differentiis; sed objectiva praecisio est objectiva exclusio: ergo genus non includit, sed excludit differentias a suo conceptu formali. Dubium est, an etiam differentiae excludant genus? Nec hoc decidi potest ex praecisione objectiva, quia differentia non praescindit objective a genere, ut quaest. 6. citata diximus cum N. Agidione. 2. Advertit hic N. Vilanova non esse quaestionem de differentia in concreto, quia sic certum est quod differentia infima includit genus. Hoc idem advertit Merinero, & probat, quia differentia in concreto est species: sed species includit genus: ergo differentia in concreto includit genus: unde de hoc dubitari non potest, sed vel de

QUEST. VIII.

differentia in abstracto, v.g. animalitas sit animalitas; vel de illa entitate, vel formalitate, quae dicitur differentia. Haec doctrinae non acquiescimus, quia si rationale in concreto est species, haec erit praedicatio speciei Petrus est rationalis; quare non differt ab ista Petrus est homo. Rursus non erit possibilis unquam praedicatio differentiae; nam in abstracto est falsa, v.g. Petrus est animalitas; & in concreto non est praedicatio differentiae, sed speciei, v.g. Petrus est rationalis. Rursus. Haec est nugatio Petrus est homo rationalis, quia rationale bis ponitur, semel in se, & iterum in homine, qui est species: ergo haec erit nugatio Petrus est animal rationale; quia animal bis ponitur, scilicet semel in se; & iterum in rationale, quia juxta Merinero est species, & species includit genus. Ergo cum haec sint absurda, quae evertunt differentias praedicabilium; tollunt praedicabile differentiae, & invertunt ordinem praedicationum; dicendum est, quod differentia in concreto non est species; nec certum est quod contineat genus; sed potius argumento a nobis facto probatur oppositum. Vide dicta quaest. praecedenti num. 1. Quidquid sit, & 2. Prima sententia affirmans differentiam includere forma-

liter genus. Ita Nominales, & praecipue Okamus 1. Sent. distinct. 8. quaest. 6. Flanodius, Canterus, Aversa, & alij RRI. Secunda sententia negat, & est communis inter Thomistas, creditur a Merinero cum Scribistis, & est communissima inter Philosophos, quorum nomina, & loca allegata invenies apud Cardin. Aguirre in Logica dist. de hoc. 3. Sententia affirmans probatur primo ex Aristot. Metaph. cap. 12 ubi dicitur quod in definitione ponitur ponenda omnes differentiae subalternas, sed satis est ponere infimam, quia in ea includuntur subalternas; v.g. non est necessarium dicere Homo est substantia corporea vivens sensibilis rationalis; sed satis est dicere homo est animal rationale, quia in rationali includuntur illae differentiae superiores. Ergo juxta Aristot. differentia infima includit subalternas. Rursus ibi dicit subalternas non esse ponendas, sed solam infimam; quia committeretur nugatio si negatio est repetitio ejusdem ergo quia dicendo Homo est substantia corporea vivens sensibilis rationalis, bis repetitur vivens, & corporeum, semel in se, iterum in rationali, sed hoc est sentire quod rationale includit differentias subalternas; ergo juxta Aristot. differentia infima

na includit subalternas.

Eandem doctrinam ibi habet D. Thomas 7. Metaphys. lect. 17. & N. Agidius ibi textu 25. sed expressius quæst. 17. super univers. in solutione ad secundum ubi ait: *Differentia non est simplex: ergo quia includit genus, cum quo facit compositionem, sicut species. Item ibi in solutione ad 4. dicit Dico secundo differentiam specificam se habere ut species ad individua. Sed species includit genus, cum sit compositum ex genere, & differentia: ergo differentia. Etiam includit genus.* His adde autoritates citatas quæst. præcedenti num. 10. quibus D. N. asserit differentiam dicere totam essentiam diffinitæ; & non posse præscindî a genere.

4. A ratione probatur. Differentia specifica equi est essentialiter corporea & materialis: cum non sit spiritualis: sed materiale, & corporeum sunt differentie subalternæ: ergo differentia infima includit essentialiter subalternas. Confirmatur primò. Differentia specifica equi provenit ab anima equi, ut est principium sententiæ: ergo est formaliter sensitiva, & sic includit differentiam sensibilibus, quæ est subalterna. Probatur antecedens. Differentia equina provenit ab anima equi, ut est principium ellicien-

di proprias operationes equi: sed operationes equi sunt formaliter sensitivæ: ergo &c.

Hæc confirmatio alijstera minis proponitur efficacius sic: Rugibile est formaliter principium vitale: est enim principium actionis formaliter vitalis: ergo rugibile est principium formaliter vitale, & animatum, sed principium vitale, & animatum sunt differentie subalternæ, quia sunt idem ac videns: ergo differentia infima leonis, qualis est rugibile, continet subalternas formaliter.

5. Secunda ratio est. Rationalitas, quæ est differentia hominis non est formaliter simplex: ergo includit genera, & differentias subalternas. Patet consequentia, quia si nihil horum includeret, esset simplex. Antecedens probatur tum autoritatibus allegatis numero 3. tum quia cum differentia sit actus, si foret simplex, esset actus purus: sed actus purus solus reperitur in Deo; in creaturis vero est actus mixtus potentialitate: ergo &c.

Confirmatur. Iste est bonus syllogismus in Darapti. *Omnis homo est formaliter sensibilis: omnis homo est formaliter rationalis: ergo aliquod rationale est formaliter sensibile.* Ergo rationale, quod est differentia inferior, includit superior.

6. Secunda sententia est expressa in Aristot. 4. Topic. cap. 2. ubi ait: *Omnis quæ participat genus, vel species, vel individuum est, differentia in se negatæ, individuum, & neque species: manifestum igitur quod non participat genus differentia. Idem docet 9. Metaphys. cap. 10. Idem docetur a D. Thoma 1. Metaph. lect. 8. & 3. Metaph. lect. 12. & de ente, & essentia cap. 7. ubi advertit Aristot. loqui in sensu formali, non identico: quia identice tam genus, quam differentia, mutuo se includunt, ut dictum est.*

A ratione probatur primò. Quia nulla pars in eo quod pars includit aliam partem: sed genus, & differentia sunt partes metaphysicè componentes speciem: ergo nec genus includit differentias, nec differentia genus, minor patet, & major constat, quia pars, quæ includeret aliam, non esset pars, sed totum. Rursus si una pars includeret aliam, cum ea non componeret: ergo pars, ut pars &c. Confirmatur. Si rationale includeret in suo conceptu formali animalitatem, non posset in sensu formali esse pars hominis constitutiva, sed potius, metaphysicè loquendo esset, tota hominis essentia: atqui in de plura sequuntur absurda: ergo differentia infima non in-

cludunt genera &c. major patet, quia adæquata essentia hominis est animalitas, & animalitas naturalis: ergo si in rationali includeretur animalitas, rationalis foret tota hominis essentia: Minor probatur ostendendo absurdum, quæ sequuntur: *Erpescitium est quod dicitur homo est rationale, non enuntiat probè de homine pars essentialis, sed tota essentia: quare non differeret illa propositio ab illa Homo est animal rationale, & rationale foret adæquata hominis diffinitio, cum totam hominis essentiam diceret.*

Secundum absurdum est, nam errarent Dialectici concorditer asserentes cum Porphyrio differentiam, & speciem differre in ratione prædicabilis, quia species dicit totam essentiam; differentia prædicatur, ut dicens solam partem essentiam. Tertium absurdum est, quod intulit Arist. loco citato Metaphysicæ, scilicet quod prædicando de homine diffinitionem ejus, v.g. *Homo est animal rationale,* committeretur negatio, quia blis prædicaretur genus de homine, semel in se, iterum ut inclusum in rationali, quare prinde foret dicere, *Homo est animal rationale,* ac dicere *Homo est animal animal rationale,* & hoc est negationis assertio.

Confirmatur. Si genus includeret formaliter in diffinitio-

rationis infinis; genus non esset ratio univoca: sed quod non est ratio univoca, non est genus: ergo genus non esset ratio infinis; & consequenter hec est implicatio. Probatur maj. Ratio univoca est pura ratio conveniendi; sicut ratio analogica est simul ratio conveniendi, & disconveniendi: sed si genus includeretur in differentiis infinis; genus non esset pura ratio conveniendi, sed etiam differendi: ergo &c. Probatur min. Quæ differunt per rationale, & irrationale, differunt etiam per id, quod est de conceptu essentiali rationalis, & irrationalis: sed si animal, quod est genus, includitur in differentiis, est de conceptu essentiali rationalis, & irrationalis: ergo genus animal non esset sola ratio conveniendi, sed etiam differendi hominem ab equo &c.

§. I I.

Præfertur communis sententia negativa, quæ iterum confirmatur.

3. **N**OSTRA sententia docet differentiam infimam non includere subalternas, nec genus formaliter. Ita N. Villanova cum DD. nostris, sequentibus Ægidium lib. 2. de Anima textu 2.

LIB. PRATIC.

& in 2. Sent. dist. 9. part. 1. q. 1. art. 3. §. *Adverendum*. Et super 2. lib. Perhiem. quæst. 17. sed revera hic Ægidius oppositum docet, ut num. 3. saltem gavimus pro contraria sententia: Eandem sententiam docet D. Thomas ubi supra, & P. August. lib. de Catech. cap. 7. ubi prædicabile differentia distinguitur à prædicabili specie: nec subsisteret discrimen, nisi teneamus sententiam negativam ut constat ex dictis num. 7.

Hanc sententiam confirmamus primo. Quia si genus includeretur formaliter in differentiis infimis, esset de conceptu formali & quidditativo differentia; hæc enim est inclusio formalis de qua disputatur: sed genus, aut differentia subalterna, non est de conceptu quidditativo differentia infima: ergo non includitur formaliter in ea. Probatur min. Quod est de conceptu formali alterius est prædicabile formaliter de illo, ut patet: sed genus non potest prædicari formaliter de differentia: ergo &c. maj. cum consequentia tenet: & min. probata est ex D. Thoma, & Ægidio nostro supra quæst. 3. hujus libri §. 1. num. 2. ubi invenies rationes probativas.

9. Confirmatur 2. Homo per animalitatem simpliciter convenit cum equo; à quo differt simpliciter per rationa-

li.

QUEST. VIII.

Itatem: ergo homo quatenus rationalis, non includit formaliter animalitatem. Antecedens patet, quia animalitas est ratio generica; & sic univoca, quæ debet esse pura ratio conveniendi simpliciter. Probatur consequentia. Quia sicut implicat quod aliqua differant in eatione, quæ simpliciter conveniant; ita implicat, quod conveniant in ratione, quæ simpliciter differunt: sed si rationale includeret animalitatem, homo per rationalitatem non differeret simpliciter ab equo; sed conveniret cum eo per animalitatem in eo inclusam: ergo si per rationalitatem differt simpliciter ab equo, rationalitas non includit animalitatem.

Explicatur. Sicut summa convenientia excludit omnem disconvenientiam; ita summa disconvenientia excludit omnem convenientiam: sed animal, quod est genus, est summa ratio conveniendi; & rationale quod est differentia, est summa ratio disconveniendi: ergo tam implicat quod differentia includatur in genere, quam quod genus includatur in differentia: sed juxta contrarios genus excludit à suo conceptu formali differentiam, cum apud ipsos ponatur solum inclusio non mutua generis, & differentia: ergo tenentur asserere vice consequentia quod differentia etiam ex-

LIB. V. II.

Abundat genus. Rursus. Quia in conceptu analogo abundanter ratio conveniendi; & disconveniendi. Ideo ratio conveniendi analogica non est simpliciter ratio conveniendi; sicut nec ratio differendi est simpliciter talis; ergo à contrario cum ratio generica, & differentialis, sint simpliciter ratio conveniendi & ratio differendi, tenendum est quod nec genus includit differentias, quæ sunt ratio differendi, nec differentia includit genus, quod est ratio conveniendi.

Confirmatur tertio. Si genus esset de conceptu essentiali differentia, genus non esset prædicabile distinctum à differentia: at hoc est contra communem sententiam, docentem quinque prædicabilia: ergo &c. Probatur maj. Si genus esset de conceptu essentiali differentia, genus transcenderet differentias: sed ratio transcendens, non constituit distinctum prædicabile, aut prædicamentum ab inferiori quod transcendit, ut patet ex antepredicamentis: ergo si &c.

Rursus. Dato cum veriori sententia, quod transcendentia causat analogiam, nulla ratio generica esset univoca in sententia contrariorum: at hoc est absurdum: ergo &c. major patet, nam juxta contrarios omnis ratio communis est de essen-

Ess.

tia

tia inferiorum; & sic omnis est transcendens; quare omnis ratio communis erit analogia, & nulla univoca. Minus probatur. Quia si nulla ratio communis est univoca; nulla erit genus, aut species, de quorum conceptu est univocatio. Rursus tolluntur decem prædicamenta, quæ dicuntur genera omnium suprema; nam supra illa datur ens, quod non ponitur genus, quia non est univocum; quod si univocatio non requiritur ad genus, non est ratio cur ens excludatur à ratione generis supremi. Uno verbo, si hæc inconvenientia deglutiantur, ruit tota doctrina prædicabilium, & prædicamentorum; immò tota Logica, quæ his libris continetur, ut unica subsistat sententia contraria, vel hoc solo titulo dimittenda.

11. Tandem. Si rationale & irrationale includerent sensibilitatem, in ea conveniret; ergo ut differrent inter se, deberet assignari aliæ differentie. Patet consequentia: nam quia animalitas hominis, & animalitas equi, conveniunt in ratione animalis, non possunt per eam differre inter se, sed oportet addere alios conceptus quibus differant, & isti sunt rationale, & irrationale. Ergo si rationale, & irrationale conveniunt in animalitate; oportet addere alios conceptus, quibus differant.

DE PRÆDIC.

Nunc sic. Sed de illis conceptibus est idem argumentum, & procedimus in infinitum: ergo standum est in primis, nec procedendum est; quod differentie includant genus. Probatur minus subsumpta. Nam si addideris conceptibus rationale, & irrationale alias differentias, illæ includent subalternas, & in eo conveniret: ergo ut differant oportebit alias differentias addere, & sic in infinitum.

Observa quod hæc doctrina communis juxta sententiam nostri Agidij locis supra datis, debet exponi de rebus corporeis, ubi genus dicit partem essentiae potentialem, & differentia partem actualem. At in Angelis non sic, quia in eis genus dicit totam naturam, & differentia etiam totam essentiam, nec possunt diffiniri sine negatione: quare in eis differentia includit genus & differentias subalternas, ut dictum est lib. 3. quæst. 6.

§. III.

Solvuntur fundamenta sententiae contrarie.

12. AD fundamenta sententiae contrarie posita. Respondemus, & ad auctoritatem Aristotelis dicimus cum Bajano, & alijs quod

QUESTIO VIII.

quod differentia infima includit subalternas identice, & præsupponit, non autem formaliter. Ratio primi est, quia rationale supponit sensibile, vivens, corpus, & substantiam, unde est præsuppositivè omnia hæc. Est etiam identice, quia omnia ista prædicata identificantur cum rationali. Non autem includuntur formaliter, ob rationes supra datas. Ad intentum Aristotelis, sufficit inclusio identica, & præsuppositiva; nam si dicendo *animal rationale*, intelliguntur identice & præsuppositivè alia prædicata, non est necessarium ea exprimere in diffinitione dicendo *Homo est substantia corporea, vivens, sensibilis, rationalis*. Et licet Philosophus dicat quod sic diffinendo committitur negatio; quæ ratio urget pro inclusione formali, & non tantum identica. Dicimus quod exprimendo differentias subalternas, committitur negatio impropria, non autem propria. Non est propria, quia non datur repetitio ejusdem: est negatio impropria, quatenus sine necessitate exprimitur subalternæ, semel ab infimis præsuppositæ.

Sic explicatur à Thomistis D. Thomas nobis in argumento objectus. Aliter illum explicat, sicut & Agidius, N. Villanova, sequens Merino summandam distinctionem per differenti-

tiam in concreto, & abstracto. Sed hanc solutionem non probamus propter dicta numeri 11. Ad auctoritates B. Agidij, quibus docet differentiam non esse conceptam simplicem, constat solutio ex dictis quæst. præcedenti numeri 9. juxta quæ dicimus esse expressas contra doctrinam B. Agidij, & sic perperam ei adscriptas. Dicimus secundo, quod ibi loquitur de differentia in sensu identico, non in sensu formali; quare solam identice continet, & præsuppositivè genera, & differentias subalternas, non autem formaliter.

Dices. D. Thomas, & B. Agidius eo sensu dicunt differentiam includere genus, quod negant ibi genus includere differentiam: sed genus includit identice differentiam, quia cum ea identificatur realiter; ergo differentia includit genus plusquam identice, & sic formaliter. Respondemus discrimen generis, & differentie esse, quia licet æqualiter mutuo identificentur; at genus potest præscindere à differentia; non autem differentia à genere. Hujus ratio data est ex B. Agidio supra lib. 3. quæst. 6. quia prædicata superiora possunt præscindi ab inferioribus, quoniam nec includunt inferiora, nec ea præsupponunt. At inferiora non præscindunt à superioribus, quia licet illa non includant forma-

liter: præsupponunt ipsam esse
 larior, ut dictum est. Quo fit, ut
 differentia includat genus identi-
 tice, & præsupponit id sed ge-
 nus solam identice includit dif-
 ferentiam. Ad fundamentum
 à ratione positum num. 4. dist.
 maj. differentia equi est essen-
 tialiter corporea, corporeitate
 analogà, concedo maj. univo-
 ca, nego maj. & disting. min.
 corporeum est differentia sub-
 alterna, corporeum univocum,
 concedo min. analogum nego
 min. & consequentiam. Sub-
 stantia dupliciter sumitur, pri-
 mò pro ratione analogà tran-
 scendenti usque ad ultimas dif-
 ferentias, modo quo ens. Hæc
 sicut ens, includitur formaliter
 in differentia infima: ceterum
 hæc non est genus, sicut nec ens.
 Secundò sumitur pro substantia
 completa: sic est univoca, &
 genus: sic non transcendit, nec
 includitur in differentijs infimis.
 Idem dic de ratione corporis,
 viventis &c. nam prout præ-
 seindunt à completo, & incom-
 plecto non sunt genera, nec dif-
 ferentiæ subalterna: nec quid
 univocum, sed analogum, &
 transcendens. Nostra quæstio
 non est de transcendentibus, an
 includatur in differentijs: nam
 certum est includi formaliter.
 Est ergo dubium de prædicatis
 univocis, & de his an probat
 ratio contrariorum.

Ad it. confirmationem
 nota quod operatio equina hæ-
 bet duos conceptus, unum com-
 mune ad omnes operationes
 sensitivas, alium determinatum,
 quo talis sensatio equi differt ab
 alijs sensationibus. Sic in anima
 equi sunt duo conceptus, alter
 communis, quo est anima sensi-
 tiva: alter specificus, quo est
 talis anima. Differentia equina
 sumitur ab anima non secun-
 dum primum conceptum, sed
 secundum alterum. Ratio est,
 quia equus per differentiam e-
 quinam differt à leone: sed
 non differt per animam secun-
 dum conceptum communem
 animæ sensitivæ, quia sic con-
 venit: ergo differt secundum
 alterum, quo est talis anima,
 & principium operationis equi-
 næ, ut talis. Hoc notato dist.
 antecedens. Differentia specifi-
 ca equi, provenit ab anima e-
 qui, ut est principium sentiendi
 in communi, nego, ut est prin-
 cipium taliter sentiendi, con-
 cedo antecedens, & dist. con-
 sequens: ergo est formaliter
 sensitiva, sensatione communi,
 & generica, nego consequen-
 tiam, sensatione tali, & differ-
 entiali, concedo consequentiam,
 sensibile, quod est genus, est
 sensibile commune ad omnia
 animalia: tale non includitur
 in differentia equina. Ad proba-
 tionem antecedentis, dist. maj-
 orem dist. data, & concedo
 min.

min. nego consequentiam, quia
 operatio equi est species com-
 posita ex ratione generica actio-
 nis, & differentiali talis actio-
 nis. De specie bene prædicatur
 genus, quare valet, Operatio
 equi est formaliter sensitiva,
 sed non valet, Differentia equi-
 na est formaliter sensitiva, quia
 genus non prædicatur formaliter
 de differentia, ut dictum
 est. Ad secundam formam
 proponendi confirmationem pa-
 tet ex dictis, dist. antecedens.
 Irigibile est formaliter princi-
 pium vitale, vitale genericum,
 & in communi, nego antece-
 dens: vitale differentiale, &
 in particulari, concedo antece-
 dens, & dist. consequens eodẽ
 modo. Non habemus nomina,
 quibus explicemus principium
 actionis vitalis in communi, &
 principium talis actionis in par-
 ticulari: quæ principia licet idẽ-
 tificentur realiter, quia prove-
 niunt ab eadem anima, sunt
 tamen virtualiter distincta, &
 se mutuo excludunt objective.
 Quare utimur illo addito in
 communi, & in particulari.
 Ut ergo probaretur quod diffe-
 rentia includit genus, deberet
 probari, quod irigibile est for-

maliter principium vitale in com-
 muni, quia sic solum est genus:
 sed hoc non probatur, ut di-
 ctum est.
 14. Ad secundam ra-
 tionem probativam positam
 num. 5. neg. antecedens, ad pro-
 tionem dicimus auctoritates esse
 supra explicatas. Ad illam
 probationem antecedentis, di-
 cimus, quod actus purus Deo
 soli convenientis, est completus
 qui nec in se, nec cum alio fa-
 cit compositionem. Differen-
 tia, etsi sit actus simplex, non
 est actus purus completus, sed
 incompletus, quia facit composi-
 tionem metaphysicam cum genere, unde
 resultat species composita. Et
 hæc repugnant Deo. Ad confirmationem dic-
 illam syllogismum esse falla-
 cem propter dicta quæst. 13.
 hujus libri, 1. num. 2. ubi de-
 fectus ejus detectus est. Brevi-
 ter dic, quod pro identitate
 formali concludenda, medium
 debet esse simplex formaliter.
 Talis non est homo, qui est
 compositus ex duplici, scilicet
 formalitate animæ, & corp-
 oris, & ratione, quæ non habet
 unam formam simplicem, sed
 duas, scilicet animam & corpus.
 Quare non potest esse medium
 probativum, quia non est
 simplex formaliter.

QUÆSTIO IX.

DE PRÆDICATIONE

Quid est duplex sit proprium

UNICUS

Prædicatur diffinitio, & divisio proprii, & quedam dubia

PROPRIU

quidquid aliquid speciale est: qua propter quot. modis potest quid esse speciale, tot dicitur illi Proprium. Logici quatuor modos Proprii designant: cum eis dicimus, quod Proprium primo modo, est quod convenit speciei, sed non omni individuo ejus: v.g. esse musicum, convenit soli naturæ humanæ, sed non omni homini, quia non omnes sunt musici. Proprium secundo modo est quod convenit omni individuo naturæ, sed non soli, v.g. esse bipedem, hoc convenit omni homini, sed non soli, quia etiam aves sunt bipedes. Proprium tertio modo est quod convenit omni, & soli, sed non semper, sicut canescere convenit omni homini, soli ei, sed non semper, sed in sola senectute. Proprium quarto modo est quod convenit omni, soli, & semper, quare est pro-

... rationaliter diffinitur cum Porphyrio sic: Est quod prædicatur de pluribus in quale necessario. Ly Quod prædicatur de pluribus, habet rationem generis, qua Proprium convenit cum reliquis prædicabilibus. Per ly in quale, differt à genere, & specie, quæ prædicatur in quid. Differt etiam à differentia, quia hæc prædicatur in quale quid, hoc est essentialiter ex parte rei significatur, & accidentaliter ex modo significandi. At Proprium prædicatur in quale, & accidentaliter etiam ex parte rei significatur. Per ly necessario differt à quato prædicabili, quod prædicatur in quale contingenter & separabiliter. Observa quod, sicut dictum est de differentia esse duplicem, alteram subalternam, aliam infimam; ita Proprium aliud est quod sequitur naturam superiorem, v.g. esse loco motivum sequitur ut proprietas ad naturam animalis; aliud est quod sequitur ad naturam specificam inferiorem, ut risibile respectu naturæ humanæ. 3. Doctrina data est communis apud omnes, nec ullus est, qui dissentiat. Quæres tamen primo, an Proprium sit universale, & prædicabile? Videtur quod non, quia universale est quid commune: sed Proprium non est commune pluribus, sed speciale aliquibus: & semper. At secundo iuratio.

ergo non est universale, & consequenter non est prædicabile. Sed in contrarium est communis sententia, de qua Egidius quæst. 18. super universalia; ubi probat, Quia nomen quod prædicatur de pluribus, est prædicabile: sed proprium prædicatur de pluribus: ergo est prædicabile. Ad rationem in contrarium respondet D. N. ibidem, Quod duplex est proprium, scilicet proprium individui, ut albedo sortis; & proprium speciei, ut risibile; & illud tale est commune, & etiam universale, primum verò non. Hæc solutio fundatur in doctrina Aristot. 1. Topic. cap. 4. ubi docet, quod proprium convertitur cum eo, cujus est proprius quare tantum se extendit quantum natura, cujus est proprius: sed species prædicatur de pluribus; & individuum de uno solo prædicatur: ergo Proprium individui non est prædicabile; nec universale; bene verò proprium speciei. Et hoc licet dicitur peculiare speciei; est tamen commune, id est communicabile omnibus individuis ejusdem naturæ. 4. Quæres secundo, an Proprium sit prædicabile respectu speciei, cujus est Proprium, an verò respectu inferiorum speciei? Et videtur, quod respectu speciei. Nam de illo præ-

dicatur de pluribus in quale necessario. Ly Quod prædicatur de pluribus, habet rationem generis, qua Proprium convenit cum reliquis prædicabilibus. Per ly in quale, differt à genere, & specie, quæ prædicatur in quid. Differt etiam à differentia, quia hæc prædicatur in quale quid, hoc est essentialiter ex parte rei significatur, & accidentaliter ex modo significandi. At Proprium prædicatur in quale, & accidentaliter etiam ex parte rei significatur. Per ly necessario differt à quato prædicabili, quod prædicatur in quale contingenter & separabiliter. Observa quod, sicut dictum est de differentia esse duplicem, alteram subalternam, aliam infimam; ita Proprium aliud est quod sequitur naturam superiorem, v.g. esse loco motivum sequitur ut proprietas ad naturam animalis; aliud est quod sequitur ad naturam specificam inferiorem, ut risibile respectu naturæ humanæ. 3. Doctrina data est communis apud omnes, nec ullus est, qui dissentiat. Quæres tamen primo, an Proprium sit universale, & prædicabile? Videtur quod non, quia universale est quid commune: sed Proprium non est commune pluribus, sed speciale aliquibus: & semper. At secundo iuratio.

dicatur risibile ut proprium, cui soli est proprium: sed risibile non est proprium Petro, Francisco, & alijs, immò est eis commune: est tamen proprium relatè ad naturam specificam humanam: ergo de sola specie prædicatur ut proprium. Rursus, quod individuo est proprium, non est prædicabile, ut dictum est ex Ægidio numero præcedenti: ergo quod est proprium prædicabile, illud est proprium solius speciei.

Sed contra est communis sententia docens, quòd Proprium solum est prædicabile per ordinem ad individua speciei. Ita in simile dictum est de differentia, quòd non est prædicabile relatè ad speciem, quam constituit, sed relatè ad inferiora speciei, vide dicta quæst. 7. hujus lib. num. 5. & probatur. Nam prædicabile solum est tale relatè ad illa de quibus prædicatur ut superius: sed risibile non est superius relatè ad naturam humanam, cujus est Proprium, sed relatè ad individua naturæ humanæ: ergo Propriū solum est universale, & prædicabile relatè ad inferiora speciei.

Ad rationem in contrarium nega majorem. Nam, ut vidimus, risibile est proprium naturæ, non individui, & tamen non prædicatur de natura, ut proprium, sed de indi-

viduis naturæ. Nec de individuus prædicatur ut proprium proprietate individuali, sed proprietate specifica; nam quod est proprium immediatè naturæ, est mediatè proprium omni habenti naturam: sed individua speciei habent naturam specificam: ergo eis est mediatè proprium, quod est proprium naturæ. Petit Proprium prædicabile duo ut sit tale; scilicet esse Proprium mediatè, vel immediatè, & esse superius. Hæc duo habet relatè ad inferiora speciei; secus relatè ad speciem, ut dictum est. Ad aliud dic, quòd proprium quod individuus est immediatè proprium, est singulare, & sic nec est universale, nec prædicabile. Ceterum proprium quod solum mediatè est proprium individuus, illud est universale, quia est immediatè proprium speciei universali.

5. Quæres tertio. An Proprium prædicetur univocè de inferioribus? De hoc invenies integram quæstionem in Ægidio, quæ est 21. super universalia, & ibi defenditur utriusque problematicè. Iam suprâ ostendimus dubiam fidem harum quæstionum: quare ut consequenter ad doctrinam nostri Ægidij respondeamus dicendū est: Quòd si sermo sit de Proprio primò intentionaliter, potest defendi problematicè utriusque, pro quo vide loco citato fun-

fundamenta. Si tamen sit sermo de Proprio secundò intentionaliter, dicendum est esse quid univocum. Ratio est, quia analogica, & æquivoca relegantur à ratione prædicamenti, &

prædicabilis, ut suprâ dictum est: sed quod non est unum in multis unitate analogica, & æquivoca, est unum univocè: ergo Proprium secundò intentionaliter debet esse univocum.

QUÆSTIO X.

Quid sit Accidens quintum prædicabile?

§. UNICUS.

Traditur definitio, & quadam concernentia explicantur.

I. QUOD dictum est de reliquis prædicabilibus, intellige etiam de quinto, videlicet, quòd potest sumi Accidens prædicabile primò intentionaliter, & secundò intentionaliter. Primo modo diffinitur à Porphyrio sic: *Quod potest adesse, & abesse, absque subiecti corruptione.* Eandem diffinitionem dedit P. August. allegatus à B. Ægidio super univers. dubit. 2. ad ultim. dicens: *Accidens est, cujus presentia non constituit, nec ejus absentia subiectum destruit.* Et cap. 6. de Categ. diffinit accidens cum Aristot. sic: *Quod in altero est, ut ejus non sit pars, neque sine eo in quo est, potest nunquam esse.* Sic color est accidens pa-

rietis, quia potest adesse albedo, vel abesse, absque parietis corruptione; quare nec presentia albedinis constituit parietem, nec ejus absentia, si abeat, destruit parietem. *Quo* fit, ut albedo sit in pariete, & non sit pars parietis, sed quid adveniens toti; nec potest albedo existens in pariete, existere, si ab eo separetur. En explicatæ sunt diffinitiones datæ in eodem exemplo.

Hic plura sunt notanda pro intelligentia hujus diffinitionis. Primò, quòd *Adesse, & abesse*, non intelliguntur copulative, quia hoc est impossibile, implicat enim quòd idem simul absit, & adsit: unde intelligitur divisivè; idest sive absit, sive adsit.

Eff:

Ob.

2. Observa secundò hic diffiniti accidens prædicabile, non autem accidens prædicamentale. Discrimen utriusque est, quòd prædicamentale est entitas accidentalis, v.g. quantitates, qualitas, relatio &c. de quibus agendum est lib. 6. Accidens prædicabile est entitas, quæ prædicatur accidentaliter, & in quale contingenter, v.g. existentia, subsistentia &c. En aliud discrimen. Accidens prædicamentale opponitur substantiæ. Accidens prædicabile, non substantiæ, sed essentiæ est contrapositum; quare quod non est substantia, est accidens prædicamentale; quod autem non est essentia subjecti, illud est accidens prædicabile.

Hinc inferes quòd istæ prædicationes *Petrus est existens, Petrus est subsistens*, sunt prædicationes quinti prædicabilis. Ratio est, quia licet existentia, & subsistentia Petri sint modi substantiales, & quoad entitatem sint substantia, at sunt accidens prædicabile. Ratio est, quia pro prædicabilibus non attenditur entitas, sed modus prædicandi: atqui existentia, & subsistentia prædicantur de Petro modo accidentali: ergo sunt accidens quintum prædicabile. Probaturnon. Quod non dicit totam essentiam, nec partem ejus, prædicatur *in quale*, & modo accidentali: atqui

existentia non est essentia Petri, nec pars essentiæ ejus: ergo non prædicatur *in quid*, & essentialiter, sed *inquale*, & accidentaliter. A contrario dum dicitur *Hæc albedo est albedo*, prædicatio est speciei, & *inquid*. Ratio est, quia licet prædicatum entitativè sit accidens, & idèò sit accidens prædicamentale; at modus prædicandi est essentialis, quia sicut *homo est species* relatè ad Petram, & Franciscum, sic albedo est species relatè ad sua inferiora, & prædicatur de hac, & illa albedine dicendo totam essentiam ejus.

3. Dices. Existentia nequit esse accidens prædicabile: ergo ruit doctrina data. Probaturnon. Accidens est quod potest adesse, & abesse sine subjecti corruptione, ut diffinitum est: sed existentia non potest abesse à Petro sine corruptione illius, ergo non est accidens. Hæc replica sicut similis de morte, solvitur dicendo, quòd adsunt, & absunt sine metaphysica corruptione subjecti; non autem sine physica, & diffinitio data intelligitur de corruptione metaphysica. Hanc solutionem invenies prolixè discussam quæst. 1. hujus libri num. 5. & seqq. ubi eam conciliavimus cum doctrina Ægidij data in Summulis quæst. 5. & 6. Ad idem nunc, quòd accidentia præ-

prædicamentalia adveniunt sine corruptione physica, aut metaphysica: accidentia quæ solum prædicabiliter accidentia sunt, adveniunt, & recedunt corrumpendo physicè, sed sine corruptione metaphysica.

4. Ex dictis inferes secundò, quòd accidens prædicabile secundò intentionaliter sumptum, diffinitur sic: *Est quod prædicatur de pluribus in quale contingenter, & separabiliter*. Ex antecedentibus constat explicatio, quia prima verba æquè conveniunt Proprio, à quibus differt accidens per *ly contingenter*. Nam de ratione Proprij est prædicari *In quale necessario, ut dictum est*.

5. Dices. Albedo, quæ est accidens, vel comparatur ad sua inferiora, hoc est ad hanc vel illam albedinem; vel ad suum subjectum, hoc est ad hominem, parietem, & alias substantias corporeas, in quibus est. Si primum? Non est accidens prædicabile, sed est species, ut dictum est num. 2. Si secundum? Non est aliquod prædicabile. Probaturnon. Hæc prædicatio est falsa, *Homo est albedo, paries est albedo &c.* ergo albedò comparata ad subjectum non est aliquod prædicabile; alioquin verè prædicaretur de subjecto, casus contrarium ostensum est. Si tamen dicas prædicari in concreto de

subjecto, non in abstracto, quare valet *homo est albus, Petrus est albus*. Contra: Nam istæ prædicationes non sunt quinti prædicabilis. Probaturnon. Nam prædicatio illa in concreto est vera, quia facit hunc sensum *Homo est subjectum habens albedinem*: at ista ultima est prædicatio speciei, cum homo identificetur cum subjecto habente albedinem, quod non est aliud, nisi homo: ergo &c.

Respondemus, quòd accidentia solum in concreto possunt prædicari, non in abstracto. Ratio hujus est, quia in abstracto dicunt partem, quæ non est affirmabilis de toto: unde restat prædicari in concreto, quia sic totum de toto prædicatur, & benè. Ceterum licet sensus prædicationis in concreto, sit ille, quem replica exponit; at non est prædicatio speciei, sed quinti prædicabilis. Ratio est, quia *Homo, & subjectum habens albedinem*, materialiter sunt idem, sed non formaliter, quia *habens albedinem* aliquid addit supra hominem: sed id quod addit, est forma accidentalis, & quinti prædicabilis: ergo prædicatio illa *Homo est albus* est quinti prædicabilis.

6. Quæres. An accidens prædicetur univocè de subjecto? De hoc habetur quæstio nostri Ægidij, quæ est 30. super univ-

vers. Vi. e. quæ diximus de Proprio quærit. præcedenti num. 5. & ea applica hic: quia non est

specialis difficultas de hoc prædicabili, quæ non sit plenè soluta in antecedentibus.

QUÆSTIO XI.

Appendix de prædicationibus.

§. I.

Explicatur quid sit prædicatio, & quotuplex.

1. **Q**UIA de ratione prædicabilis est posse prædicari de pluribus, ut dictum est, & actus hujus potentia est actualis prædicatio; idè ad completam prædicabilem notitiam explicandum est, quid sit prædicatio, quotuplex, & quomodo disponenda. Igitur prædicatio est *Affirmatio unius de alio*; quod si sit negativa, erit negatio unius de alio. Et observa cum Ægidio nostro in 1. distin. 4. quæst. 2. art. 1. ex Comment. 12. Metaph. quòd in omni prædicatione subjectum, & prædicatum sunt unum, & duo. V.g. dum dicis *Homo est animal*, *Ly homo*, & *animal* sunt unum, & identificantur; alioquin propositio esset falsa, cum affirmaret identitatem inter extrema, ubi non est. Sunt duo, quia propositio est affirmatio unius de a-

lio, non unius de se ipso. Rursus propositio potest plures terminos, & sic subjectum, & prædicatum debent esse diversa, & plura. Et licet extrema propositionis non possint esse unum, & duo sub eadem ratione; bene tamen sub diversa, v.g. in exemplo dato sunt unum realiter, & duo formaliter per rationem.

Rursus observa cum Doct. nostro in 2. Sent. dist. 14. quæst. 1. art. 2. quòd distinctio rationis reperta inter subjectum, & prædicatum propositionis, aliquando est simpliciter talis, aliquando non, sed quodam modo. Est talis simpliciter, quando est inter extrema se mutuò excludentia, ut inter genus, & differentiam. Non est sic, quando unum extremum aliud includit, ut species, quæ includit genus. Dualitas subjecti, & præ-

QUÆST. XI.

dicati, non debet esse talis simpliciter, sed sufficit aliqualis. Id que expressius patet in propositionibus quas de Deo formamus v.g. *Deus est justus*, quoniam prædicata Divina mutuò se includunt, ut lib. præcedenti dictum est. Immò & in creaturis ens, & alia transcendentia bene prædicantur, cum tamen se includant, ut dicemus.

2. Prædicatio alia est directa, alia indirecta. Directa est quando superius prædicatur de inferiori, ut *Homo est animal*. Indirecta, quando inferioris prædicatur de superiori, ut *Animal est homo*. Quando verò prædicatur æquale de æquali, etiam est prædicatio directa, ut *Homo est rationalis*. Ubi observa, quòd prædicatio indirecta semper est falsa in sensu formali, & solum in sensu identico potest esse vera, ut in exemplo dato constat.

Rursus, prædicatio alia est formalis, alia identica, alia denominativa. Denominativa est quando res unius prædicamenti prædicatur de re alterius prædicamenti. Ita D. N. in 3. Sent. dist. 9. par. 2. quæst. 2. art. 1. ad tertium, ubi ait: *Vnum prædicamentum proprie non prædicatur de alio, nisi denominative*. *Substantia enim non est quantitas, nec qualitas, nisi denominative possit dici quan-*

§. I.

ta, vel qualis. Ubi observa, quòd de subjecto substantiali nihil accidentale potest prædicari, nisi denominative, v.g. *Homo est justus, sapiens* &c.

Prædicatio formalis datur quando subjectum, & prædicatum sunt in eodem prædicamento, v.g. *Homo, animal, sensibile, vivens, rationale*, &c. Omnia hæc sunt in eodem prædicamento substantia, sicut in arbore vidisti. Si ergo superiora prædices de inferioribus, erit prædicatio directa; si è contra, indirecta, semper tamen erit formalis. Sed observa quòd prædicatio indirecta est formalis, sed non est vera in sensu formali, v.g. *Animal est homo*, formalis est, quia prædicatum, & subjectum, sunt ejusdem prædicamenti substantia, ceterum non est vera prædicatio in sensu formali, quia solum est vera de animalitate hominis, & sic solum identice.

Prædicatio identica juxta aliquòs est, quando unum prædicatur de se ipso, v.g. *Petrus est Petrus*. Sed revera hæc nõ est prædicatio, cum non sit affirmatio unius de alio, ut num. 1. dictum est. Quia tamen saltem sine fundamento possunt à nostro intellectu distinguere subjectum, & prædicatum, quatenus idem *Petrus* diversis conceptibus potest apprehendi, idèd

sic erit prædicatio, & identica, sed certè inutilis ad scientias. Est ergo prædicatio propriè identica, illa quæ solum est vera in sensu identico, ut supra diximus de prædicatione formali indirecta.

His adde prædicationem, quæ dicitur *Per communicationem idiomatum*, de qua Theologi tractatu de Incarnatione, & N. Ægidius in 3. Sent. dist. 5. quæst. 1. art. 2. & distinct. 7. quæst. 1. art. 1. Vi hujus dicitur *Deus mortuus, passus, sepultus*, cum tamen in se sit immortalis, eiquè repugnent in se tales prædicationes. Consistit ista prædicatio in eo quod duæ naturæ uniantur in eodem supposito, ut sunt natura Divina, & humana in substantia Verbi, vel duæ formæ in eodè subjecto, ut albedo, & dulcedo in eodem saccharo, aut lacte. Vi hujus unionis duorum in tertio prædicatur de uno, quod alteri convenit. Quare cum humanitas, aut hic homo Christus sit mortuus, passus, sepultus, idem prædicatur de Deo per communicationem idiomatum. Dicuntur communicari idiomata, quatenus vi talis unionis communicantur prædicationes.

3. Materia prædicationum sunt concreta, & abstracta. Concretum est *Totam res solum, ex subjecto, & forma.*

V.g. album, quod est totum res solum, solum ex subjecto, & albedine. Abstractum est *Forma separata à subjecto*, v.g. albedo. De his egimus in Summulis r. p. lib. 1. Concretum aliud est substantiale, aliud accidentale; hoc importat formam accidentalem, illud substantialem. Forma substantialis, est quæ dat esse simpliciter subjecto, ut humanitas homini. Forma accidentalis, quæ supponit subjectum constitutum in suo esse simpliciter, ut albedo, quantitas &c. Ex his constat quid sit abstractum accidentale, quid substantiale. Et observa, quod concretum accidentale licet de formali dicat formam, supponit tamen pro subjecto; quare dum dicitur *Homo est albus*, sensus est *Subjectum habens albedinem*, est *subjectum habens humanitatem*; alioquin propositio esset falsa, & faceret hunc sensum *Humanitas est albedo*, quod est falsum. At concretum substantiale potest pro utroque supponere, v.g. *Petrus est homo*, nam valet *Petrus est subjectum habens humanitatem*, item valet *Petrus est humanitas*.

Concretum, & abstractum sive substantiale, sive accidentale, aliud est physicum, aliud metaphysicum. Concretum physicum est cujus partes sunt realiter distinctæ, v.g. *homo*, nam humanitas realiter distin-

guitur à substantia, vel supposito habente humanitatem; idem dic de albo, & alijs accidentalibus. Metaphysicum est, cujus partes distinguuntur virtualiter, v.g. *Deus*, qui dicit Deitatem, & substantiam Divinam, quæ solum virtualiter distinguuntur. Propriè nullum est concretum accidentale metaphysicum. Hinc constat quid sit abstractum physicum, quid metaphysicum, nam hoc est forma virtualiter solum distincta à subjecto; illud forma realiter distincta. Hinc vides, quod si existentiam in creatis distinguas ab essentia, hoc concretum *existens* erit physicum; si non distinguas, erit metaphysicum. Quare non debes attendere naturam extremorum, an sint quid physicum, an metaphysicum; sed an distinguantur realiter, an non?

4. Quod dictum est de concretis, & abstractis realibus, applica ad concreta, & abstracta rationis, quæ eodè modo explicantur. Quare alia sunt quasi physica, cujus partes sunt separabiles, v.g. *genus*, nam natura est separabilis à secunda intentione generis. Alia sunt quasi metaphysica, v.g. *ens rationis*, quod dicit entitatem rationis, & subjectum habens eam. Quare sicut entitas realis est indi-

distincta ab ente reali, sic entitas rationis ab ente rationis; unde facit concretum, quasi metaphysicum.

Observe tandem concreta & abstracta posse quadrupliciter comparari, & prædicari. Primò, concreta de concretis; secundo, abstracta de abstractis; tertio, concreta de concretis; quarto, abstracta de concretis. Quibus notatis sit.

§. II.

Comparantur concreta concretis.

5. DICIMVS quod concreta de concretis benè prædicantur, quando idem est subjectum utriusque. Patet hoc, sive concreta sint substantialia, ut *Homo est animal*; sive accidentalia, ut *Album est dulce*, sive sit substantiale is re, & accidentale ex modo significandi, ut *Petrus est rationalis*; sive sint concreta rationis, ut *Universale est genus*. Ratio omnium una est. Quia concretum supponit pro subjecto, ut diximus in 3. sed quando subjectum est idem in utroque concreto, tunc verè affirmatur identitas utriusque concreti quoad subjectum, pro quo supponit; ergo benè, & verè prædicatur.

Dicimus secundò. Quando subiectum utriusque concreti non est idem, non potest unum de altero prædicari. Patet hoc in his propositionibus *Homo est Angelus. Album est calidum.* & alijs; quarum prima manifestè est falsa; secunda autem etiam, si subiectum utriusque formæ sit diversum. Ratio à priori est. Prædicatio solum est bona, quando vera, & solum est vera, quando extrema habent illam identitatem, quæ importatur per copulam: sed in dictis propositionibus verbum est importat identitatem extremorum, & in extremis nulla est identitas: ergo sententia est falsa, & mala. Probatur min. Nam primò formæ utriusque concreti non identificantur, cum natura humana, & Angelica sint distinctæ; calor etiam, & albedo. Rursus. Subiecta harum formarum non identificantur, quia supponimus subiectum utriusque concreti diversum: ergo in extremis illis nulla est identitas.

§. III.

Comparantur abstracta ad invicem.

7. **D**ICIMVS primò, quòd abstracta quæ tran-

scendunt differentias, possunt de illis prædicari formaliter, & prædicatio est vera in sensu formali. Patet exemplis his, *Perseitas est entitas, inalietas est entitas*, quæ sunt veræ in sensu formali. Ratio est, quia quoties prædicatum est de essentia subiecti, propositio est vera in sensu formali: sed prædicatum quod transcendit differentias, est de essentia illarum, ut patebit lib. sequenti: ergo facit propositionem veram in sensu formali.

Hic reponit quòd ea prædicata, quæ non possunt objectivè præscindere, etiam abstracta prædicantur in sensu formali. Ratio est, quia ubi non cadit præcisio objectiva, ibi unum est de essentia alterius, alioquin præscinderent objectivè. Hinc fit, quòd cum in Angelis prædicata superiora, & inferiora, non præscindant objectivè, ut diximus lib. 3. quæst. 6. §. 5. idèò nedum in concreto valet *Michael est spiritualis*, sed etiam in abstracto *Michaelitas est spiritualitas*.

8. Dicimus secundò. Abstracta physica, quæ significant formas identificatas, invicem prædicantur; at non verè in sensu formali, sed in identico. V.g. *Animalitas est rationalitas. Humanitas est rationalitas.* Ratio primi est, quia af-

firmatio importat identitatem extremorum: sed quando forma utriusque extremi est eadem, tunc extrema habent identitatem, ut patet in dictis, quæ important eandem animam rationalem: ergo prædicatio est vera, & bona. At non in sensu formali, quia ad hoc requiritur, quòd unum sit de essentia alterius: sed rationalitas non est de essentia animalitatis, ut supra dictum est: ergo illæ propositiones non sunt veræ in sensu formali, sed identico.

9. Dicimus tertio. Quando abstracta significant formas diversas, non possunt prædicari invicem. V.g. *Albedo est dulcedo*. Ratio est, quia ibi affirmatur identitas, quæ nulla est in extremis. Hinc colliges pro abstractis rationis, non posse invicem prædicari, quando significant formas rationis diversas, v.g. *Specialitas est generitas. Prædicabilitas est subiectibilitas.* Ratio constat ex dictis pro abstractis realibus. In transcendentibus rationis valet in sensu formali, v.g. *Præ-*

ilitas est entitas rationis.

Ratio constat

ex num.

6.

WATER

§. ULTIMUS.

Comparantur abstracta concretis, & concreta abstractis.

1. **D**ICIMVS primò: Concreta metaphysicam realia, quam rationis, possunt prædicari de abstractis, & è converso. v.g. *Deus est Deitas, Deitas est Deus. Ens rationis est entitas rationis. Entitas rationis est ens rationis.* Ratio hujus data est num. 6. Quia in his, & similibus unum est de essentia alterius, quoniam nequit objectivè ab eo præscindere.

Dicimus secundò. Concreta physica sive realia, sive rationis, nequeunt de abstractis prædicari, nec è converso. V.g. *Homo est humanitas. Humanitas est homo. Genus est generitas, & è contrà.* Ratio est, quia concretum in his realiter inadæquatè distinguitur ab abstracto, homo enim ultra humanitatem dicit suppositum, habens illam. Genus dicit naturam habentem generitatem, quare addit quid supra intentionem generitatis. At quoties extrema non habent identitatem, quæ affirmatur per prædicationem, prædicatio est falsa: ergo &c.

Dicimus tertio. De abstractis possunt prædicari concreta extrema, v.g. *Humanitas est sancta. Albedo est similis.* Ratio est, quia in his verbum est ad importat identitatem, sed ap-

plicationem formæ ad subjectum: at revera sanctitas applicatur humanitati, & similitudo albedini: ergo &c. Et hæc de toto libro Prædicabilium.



LIBER QUINTUS

DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

MATERIA hujus libri non ad Logicam, sed ad Metaphysicam spectat, quia hæc sola, agens de ente in communi, debet ejus analogiam, & transcendentiam explicare. Hic tamen reponitur à DD. tum quia Aristoteles ante prædicamenta egit de univocis, æquivocis, & analogis; tum quoniam cum omnia, quæ ponuntur in prædicamento, debeant esse univoca, oportet scire antepædicamenta, quamnam univoca sint, quamnam analogica: tum tandem, quia cum prædicamenta dicantur genera omnium suprema, id verum non est, nisi aliquo titulo excludatur ens omnium supremum à ratione prædicamenti, nec alio potest excludi titulo, nisi defectu univocationis, ut patebit. Ob hæc etiam P. August. lib. de decem Categorijs agit de materia hujus libri ante expli-

cationem Prædicamentorum, quæ idèd vocatur *Antepædicamentum*: res est difficilis, sed utilis taliter, ut meritò parcas difficultati propter utilitatem.

Procedemus tamen Deo favente, possibili claritate. Sit ergo.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sint univoca, æquivoca, analogica, & denominativa?

§. I.

Diffiniuntur omnia quæ hoc titulo continentur.

DICUNTUR Antepædicamenta illa, quæ explicari debent, & prænotari ante applicationem Prædicamentorū. Ista sunt, quæ continentur hoc titulo; & quod eorum notitia præcedere debeat prædicamenta, suadetur à Fundatis. Doctore nostro ea ratione, quam in præsentia adducunt Conimbricenses, & Carmelitani. Ratio est hæc. Prædicamenta, quæ, ut dicemus, sunt genera suprema, possunt considerari tripliciter: primò relatè ad ens, quod est ratio omnium suprema: secundò relatè ad sua inferiora: tertio mutuò inter se. Primo modo prædicamenta sunt æquivoca, vel analogica: secundo modo sunt univoca: tertio modo sunt denominativa. Ergo cum istæ considerationes debeant præcedere notitiam prædicamentorum, meritò Aristot. ante prædicamenta explicavit ea, quæ in præsentia discutiuntur. Adde ex Doct. nostro, quod in quocumque prædicamento prius cognoscitur quod sit ens; deinde comparatur ad sua inferiora, ac tandem unum prædicamentum cum alio comparatur. Ergo prius agendum de æquivocis, & analogis; deinde de univocis; tertio de denominativis. Hic ordo servatur ab Aristot. hic, & à P. August. lib. de Categorijs locis infra laudandis.

Æquivoca diffiniuntur communiter sic, Quorum nomen est commune, ratio vero significata per nomen, est omnino diversa. V.g. *Cavis* est æquivocum ad coelestem, marinum, & terrestrem. Quia omnes hi conveniant in nomine: sed natura significata per nomen, est penitus diversa, cum stella, piscis, & animal latrabile, habeant naturas plenè diversas. *Ly* Quorum nomen est commune, habetur loco generis, quo conveniunt æquivoca cum univocis, & analogis: reliqua sunt loco differentie. Adverte, quod diffinitio Aristotelica constat his vocibus *Quorum nomen est commune, secundum*

verò nomen ratio substantiæ diver-
sa. Cotinuit in sensu cum a-
lia, quæ clarior est, nec in-
diget explicatione sicut Ari-
stotelica, ubi ly ratio, est idem
teste Ægidio, ac diffinitio, vel
descriptio, & ly substantiæ, non
sumitur pro substantia, sed
pro natura sive substantiali,
sive accidentali.

2. Observa cum D.N. quòd æquivoca alia sunt æ-
quivocantia, alia æquivocata.
Prima sunt voces, & sic egi-
mus in Summalis de æquivo-
cis. Alia sunt res, quæ nomi-
ne æquivoco significantur, &
de eis agimus nunc; unde dif-
finitur hic *Æquivocum æquivo-
catum, & non æquivocum æquivo-
cans*, ut docet D. N.

Observa secundò, quòd
æquivoca alia sunt à casu, a-
lia à consilio. Prima, quan-
do res diversæ causaliter cõ-
veniunt in nomine, sine ali-
qua similitudine, ut *Gallus* di-
ctus de homine Franco, &
de mare gallinæ. *Canis* item
dictus de stella, pisce, & la-
trabili. Ista sunt verè, & ri-
gorosè æquivoca. Quæ au-
tem sunt à consilio, ultra no-
men commune, habent inter
se aliquam similitudinem, &
unitatem, ad quam exprimē-
dam impositum est nomen
commune; v.g. propter hila-
ritatem, quam homines ri-
dentes, & virentia præta cau-

sant in videntibus, risus æqui-
voce à consilio dicitur de ho-
mine, & præta. Ista æquivo-
catio est improprie talis, &
proprie vocatur analogia;
de qua infra: immò nec A-
ristot. nec P. August. tractant
hic de analogis sub isto no-
mine, sed sub nomine æqui-
vocatorum à consilio.

3. Univoca sunt Quo-
rum nomen est commune; ratio verò
significata per nomen, est omninò ea-
dem in omnibus. V. g. *Homo* relatè
ad Petrum, Paulum, & alios;
istum enim communi nomine
homo explicantur, & natura
humana significata per nomē
est eadem omnibus sine ulla
diversitate formali, & essen-
tiali.

Analogia sunt Quorum no-
men est commune; ratio verò signifi-
cata per nomen, partim est eadem,
& partim diversa. V. g. *Ens* re-
latè ad Deum, & creaturas,
quæ communi nomine en-
tis explicantur; sed ratio
significata, non est plenè ea-
dem in Deo, & creaturis, sed
partim; immò plus habet di-
versitatis, quàm unitatis; quo-
fit, ut analogia, quæ sunt me-
dium inter æquivoca, & uni-
voca, plus accedunt ad æqui-
voca, quàm ad univoca; &
ideò nomine æquivocorum à
consilio exprimantur ab Ari-
stot. & P. nostro August. ut
dictum est.

Analogia, aut sunt physici-
ca, alia logica. Physica sunt,
quæ in re habent unitatem
cum diversitate. Talia sunt
omnia genera, quæ licet ab-
stracta per intellectum à suis
differentijs, sicut univoca lo-
gicè; at in re extrà sunt ana-
logæ, quia conjuncta suis dif-
ferentijs inæqualibus, habent
unitatem mixtam cum diver-
sitate. Ob id docet D. N. quòd
*In genere latent æquivoca, & quòd
sola species infima est physicè univoca.*
Patet hoc in animali, quod
si consideretur contractū per
hominem, & asinum, sic est
physicè analogum; quia non
significat unicam animalita-
tem, sed duas, quarum ani-
malitas hominis est perfectior
asinina; unde ratio signifi-
cata, non est penitus eadem,
sed partim diversa. Sed quia
Logicus considerat animal ab-
stractum à differentijs, & sic
est unum plenè sine diversi-
tate; ideò animal sic est uni-
vocum logicè, & non analo-
gum. Quare analogia logica
sunt, Quorum ratio significata, aut
non potest præscindi, aut adhuc præ-
cisa includit diversitatem. De his
est præcipua controversia, &
multa scitu digna discutun-
tur, de quibus infra.

4. Denominativa di-
cuntur Quæcumque ab aliquo no-
mine appellationem habent, solo ca-
su differentia, v. g. *justus* à ju-

stitia, *Grammaticus* à Gram-
matica &c. Et adverte cum
D. N. hic, quòd non semper
debent denominativa differre
in fine vocis, nam dum dicis
Hæc mulier est grammatica, prædi-
catum est denominativum, &
tamen in terminatione vo-
cis non differt à nomine sub-
stantivo, *Grammatica*, unde
denominatio sumitur, Cete-
rùm (ut videbis) *Grammatica*
nomen est substantivum; &
dum affirmatur de muliere
est adjectivum; unde adjecti-
vè, & denominativè prædi-
catur.

Observa 1. Quòd res u-
nius prædicamenti non potest
affirmari de re alterius, nisi
denominativè, & adjectivè,
v.g. substantia est quanta, qua-
lis, similis, relata &c. quæ
omnia denominativa sunt
desumpta à quantitate, qua-
litate, similitudine, relatione
&c.

Observa 2. quòd in qua-
cumque denominatione dan-
tur tria, scilicet subiectum,
forma denominans, & deno-
minativum. V.g. dum Petrus
dicitur *justus*. Petrus est subje-
ctum denominatum; forma
denominans est *justitia*; &
adjectivum *justus* est denomi-
nativum.

5. Hinc 3. observa;
quòd denominativum aliquan-
do est intrinsecum, aliquan-
do

do extrinsecum, sicut & denominationis. Pro quo noscendo, debes attendere ad formam denominantem, quæ si fuerit intrinseca subjecto denominato, denominatio erit intrinseca; secus si forma extrinseca sit. Exemplum primi *justus* à iustitia inhærente intrinsecè homini iusto. Secundi *visus* à visione, quæ non est in objecto viso, sed in oculo vidente. Aliquando autem denominatio sumitur à forma intrinseca, sed dependenter ab aliquo extrinseco, v. g. denominatio *uniti*, quæ in materia provenit ab unionem intrinsecam materiæ, sed connotat actionem agentis extrinseci. In hoc, & alijs similibus denominationis etiam est intrinseca, sicut forma; dicitur tamen pendens ab aliquo extrinseco.

Ex dictis colliges cum D. N. quòd dum dicitur *Petrus est homo. Petrus est humanus*, prædicatum non est denominativum. Ratio est, quia *ly homo* licèt grammaticaliter derivetur ab humanitate, ut à forma; at quia humanitas est res ejusdem prædicamenti cū Petro, & ei convenit essentialiter, idè non prædicatur denominativè & adjectivè, sed substantivè & essentialiter. Si tamen *ly humanus*, non sumatur à natura huma-

na Petro essentiali, sed à sua vitare motum, quæ vocatur humanitas, sic est denominativum, quia sic est species qualitatis, & idè est res alterius prædicamenti, quæ denominativè prædicatur.

§. II.

De complexis & incomplexis, & de regulis, divisionibusque antepredicamentibus.

6. SICUT cum Arist. egimus de æquivocis; univocis, & denominativis, quia sola univoca collocantur in prædicamento; sic debemus cum eodem agere de complexis & incomplexis, quia sola incomplexa in prædicamento ponuntur. Hæc vocantur à P. August. lib. Categ. cap. 4. *Simplicia, & conjuncta*. Incomplexa ergo, vel simplicia, sunt *quæ una dumtaxat voce significantur*. v. g. *Homo*. Complexa, vel conjuncta sunt *quæ pluribus vocibus significantur*. Vt *Homo currit*.

Observa quòd tripliciter dicuntur complexa, scilicet voce tantum, & non re, v. g. *Corpus animatum*, ubi voces sunt duæ, sed res significata est una, sicut hæc *vivens*. Secundo re tantum, & non voce, sicut *canis*, nam vox est uni

unica, sed naturæ significatæ sunt plures, scilicet stella, piscis, & latrabilis. Tertio re, & voce, ut *Petrus currit*. Igitur docet Aristot. quòd in prædicamento solum ponuntur incomplexa, non autem complexa; quare relegenda sunt complexa re, & voce, itè complexa re tantum. Hujus ratio traditur ab Arist. & explicatur à D. N. sic.

Quod ponitur in prædicamento, prædicatur de alio; hoc enim est prædicamentum ut dicemus, *Series prædicabilium, seu prædicatorum*, quæ affirmantur de alio: sed sola incomplexa prædicantur de subjecto: ergo sola locantur in prædicamento. Probatur minor. Complexa, ut *Homo currit*, includunt subjectum, & prædicatum: sed subjectum non prædicatur, cùm sit potius id, de quo prædicatur: ergo complexa non prædicantur.

Hæc ratio, ut benè observat N. Gavardi hic, unice excludit complexa, quæ habent verbum, & sunt propositiones; non autem, quæ sunt pura nomina, & se habent per modum unius, ut *homo justus*; nam benè potest prædicari sic, *Petrus est homo justus*. Ceterum dicendum, quòd hæc complexa sine verbo, excluduntur ratione facta, quia *ly homo justus*, est virtualiter

propositio, nam valet idem ac *Homo qui est justus*, & sic excluditur à prædicamento. Adde, & sit secunda ratio, quòd quæ ponuntur in prædicamento debent poni in certo & determinato genere: sed *homo justus*, & idem de alijs complexis, non ponuntur in determinato genere, quia *homo* est substantia, *justus* est qualitas: ergo sola incomplexa debent poni in prædicamento.

7. Ex incomplexis; quæ ponuntur in prædicamento ponit Philosophus divisionem quadrimembrem, quam explicat P. Augustinus libro laudato cap. 4. sic: *Ex his quæ sunt, alia de subjecto dicuntur, & in subjecto non sunt, ut homo: alia nec in subjecto sunt, nec de subjecto dicuntur, ut Cicero; alia, quæ in subjecto sunt, & de subjecto dicuntur, ut color; alia verò quæ in subjecto sunt, & de subjecto non dicuntur, ut hic color*. Hæc S. P. ubi vides, quòd omne quod est, vel est substantiale, vel accidentale. Si substantiale, hoc non est in subjecto, quia substantia existit per se independenter à subjecto. At hoc substantiale, vel est quid universale, ut *homo*, vel singulare, ut *Cicero*. Si singulare, sic non prædicatur, quia prædicationes debent esse de universalibus; unde *Cicero, Petrus*

Et sunt ens, quod nec in sub-
jecto est, nec de subiecto di-
citur. *Homo*, *equus* &c. sunt
ens, quod in subiecto non est,
sed de subiecto dicitur.

De ente accidentali fac
eandem divisionem, notato
quod omne accidentale est
in subiecto, quia accidens
existit in alio. Hoc ens, vel est
universale, ut *color*, & sic di-
citur de subiecto, vel singu-
lare, ut *hic color*, & sic nō dicitur
de subiecto, ut supra notatum
est in substantia singulari.

Deservit hæc divisio pro
duobus. Nam ad solum præ-
dicamentum substantiæ per-
tinet ens quod non est in sub-
iecto: si tamen in subiecto
sit, pertinet ad alia prædica-
menta. Vnde pro discernen-
dis prædicamentis traditur
divisio hæc. Altera verò par-
titio in universale, & singu-
lare, traditur ad releganda
singularia à prædicamento.
Ratio est, quia prædicamen-
tum est *Series prædicabilium se-
cundum sub, & supra*: sed quod
non est universale; non est
prædicabile, ut vidimus lib.
præcedente: ergo singularia
non intrans seriem prædica-
mentalem: quare atque præ-
dicamentalis finitur in specie
infima.


Duas regulas ponit Phi-
losophus antepredicamenta-
les; prima est ad cognoscen-

da prædicata, quæ conveniūt
cuiuslibet prædicamento, & est
hæc, *Quando aliquid prædicatur
de aliquo tanquam de subiecto, que-
cumque dicuntur de prædicato ne-
cesse est dici de subiecto*. Intelli-
ge de ijs, quæ prædicantur
essentialiter, & est sensus:
quidquid convenit essentialiter
prædicato superiori, con-
venit etiam prædicato infe-
riori, sub eo posito. Sic in ar-
bore *homo* ponitur sub *animal*.
Ergo cum animali conveniat
vivens, etiam convenit homi-
ni, posito sub animali. Hæc
regula non valet à contra-
rio, quia homini convenit
rationalitas, quæ non conve-
nit animali superiori. Et ra-
tio disparitatis est, quia præ-
dicata superiora includuntur
essentialiter in inferioribus;
at inferiora non includuntur
in superioribus: & ob id cum
Doct. Nostro diximus lib. 3.
quæst. 6. quod superiora præ-
scindunt ab inferioribus; nō
autem inferiora à superioribus.

Altera regula est pro
cognoscendis prædicatis, quæ
non conveniunt prædicamen-
to, & est hæc: *Diversorum gene-
rum non subalternativè positorum,
diverse sunt species, & differentie*.
Hanc regulam unicè valere
pro diversis prædicamentis
docet hic D. N. dicens: *Modo
ponit aliam regulam, quæ valet quan-
tum*

tum ad ordinem eorum, quæ sunt
in diversis prædicamentis. Eius
meminit expressè P. August.
libro laudato cap. 7. dicens:
*Propterea quod genera diversa sunt
animal, & disciplina; animal e-
nim categoria est vsive, & discipli-
na categoriæ qualitatis. Contra*

hanc regulam, & intelligen-
tiam eius, sunt quedam ar-
gumenta levis momenti, quæ
omittimus: ea vide apud N.
Gavardi in Logica quæst. 5.
art. 4. Veniamus ad utilio-
ra, pro quibus sit.



QUÆSTIO SECUNDA.

Quid, & quotuples sit analogia?

§. I.

Relatis sententijs nostra proponitur, & probatur.

1. **Q**UÆSTIONE præce-
dente explicata est
diffinitio analogo-
rum, tradita ab Aristot. inde
fatis constare poterat, quid
analogia sit, si id ipsum sen-
tirent omnes DD: at quoniã
in explicatione variant cogi-
mur nostram sententiam fir-
mare authoritatibus, & ra-
tione. Et quidem si vera sunt,
quæ diximus quæst. præce-
dente, analogia medium est
inter univocationem, & æqui-
vocationem; quare est unitas
plurium mixta cum diversi-
tate; & tot erunt species ana-
logiæ, quot talis unitatis.

2. Aliqui RR. citati

à Magistro S. Thoma in Lo-
gica quæst. 1. art. 3. docent
analogiam esse speciem æqui-
vocationis; unde non di-
stinguunt analogia ab æquivo-
cis à casu: & hoc sibi sua-
dent ex Aristot. in præfati, qui
explicatis æquivocis, nul-
lam mentionem fecit analogo-
rum. Accedit P. Vazquez
1. par. disp. 114. cap. 2. &
disp. 1: 1. cap. 2. qui tenens
rationem analogam non præ-
scindere ab inferioribus, sed
in eis includi essentialiter, di-
cit rationem illam non esse
unam, & quod sola vox est
communis, & una in analo-
gatis: quod cum idem eve-
niat

niat in purè æquivocis, fequitur ab eis non distingui, quæ vocantur analogæ.

Per oppositum alij ita explicant analogiam, ut eam ferè confundant cum univocatione logica. Nam cum univocatio logica consistat in conceptu abstracto rationis communis à suis differentijs, ut diximus quæst. præcedente num. 1. semel quòd propugnent rationem analogam præscindere à differentijs, eam reddunt logicè univocam, nec facillè percipies discrimen, ut videbis apud P. Suarium disp. 28. Metaph. sect. 1.

3. Circa species analogiæ etiàm variant DD. communis RR. Thomistarū sententia, quam tenent Complutenses, Joan. à S. Thoma, Palanco, Froylanus, & alij, solùm agnoscit duas species analogiæ, una dicitur *proportionis*, seu *proportionalitatis*, altera *attributionis*. Prima vocatur à D. Thoma *Analogia secundum esse*: altera dicitur *analogia secundum intentionem*. Cajetanus opusc. de analogia nomium cap. 1. contendit solam analogiam proportionis esse veram, & propriam, reliquas impropriè, & abusive tales. Eum sequuntur alij, qui idè docent analogiam attributionis esse impropriè talem, Per oppositum a-

lij tenent solam analogiam attributionis esse propriè talem, reliquas abusive. Ita P. Arriaga, & tribuitur hæc sententia Scoto. Alij addunt tertiam speciem analogiæ, quam vocant *inequalitatis*. Ita Suarius, & Averfa, citati à nostro Gavardi. Alij quartam addunt, quam vocant *transcendentis*.

Hinc evenit primò quòd non omnes eodem modo loquuntur in præsentia, etenim nec eodem modo explicant nomina proportionis, & proportionalitatis; nec pro his analogis easdem statuunt conditiones, & causas; fitque, ut res natura sua difficilis, difficilior reddatur nominū varia acceptione, sententiarumque varietate. Nos ergo ut brevitati, & claritati solidis fundamentis studeamus, sigillatim ex DD. nostris dicenda comprobabimus.

4. Analogia est vox græca, quæ juxta P. Augustinum in Categ. cap. 2. significat *similitudinem*; *comparationem*, & *propositionem*. Idem probat N. Calepinus verbo *analogia* ex Cicerone, & Quintiliano. In hoc sensu S. P. lib. de utilitate credendi cap. 3. dicit Sacram Scripturam tradi secundum Historiam, secundum Ætiologiam, secundum Analogiam, & secundum Allego-

goriam; & explicans hoc dicit tradi *Secundum analogiam eū demonstratur non sibi adversari duo testamenta vetus, & novum*. En analogia utriusque testamenti est convenientia utriusque adjuncta disconvenientia: quo fit, ut analogia sit unitas mixta cum diversitate, & sic est unitas media inter univocationem, & æquivocationem, ut supra dictum est. At quia in analogis major est diversitas, quàm unitas, idè analogæ magis accedunt ad æquivocæ, quàm ad univocæ, quare sub nomine æquivocorum à consilio comprehenduntur ab Aristot. & P. August. ut supra diximus.

Hinc sequitur tot esse species analogiæ, quot sunt talis unitatis; & juxta P. Augustinū species quatuor sunt hujus unitatis, & analogiæ. Prima *Secundum similitudinem nō mutuat*: secunda *secundum proportionem*, tertia *secundum proportionalitatem*; quarta *secundum attributionem*. Ita expressè P. August. loco laudato, ubi explicata analogorum natura dicit: *Et horum quatuor sunt genera. Similitudo, proportio ab uno, ad unum. Similitudo est, ut homo pictus, & verus in sola similitudine copulantur. Proportio est, (quod analogiam Græci vocant: ut quo pacto principium animalis cor dicimus, ita principium aquæ fontem dicamus,*

Proportio enim sui similitudo nominis videtur adjuncta.

Prosequitur S. P. explicans species, & dicit ibidem. *Ab uno est, cum dicimus à Medicina medicinale ferramentum; medicinalis scientia, medicinalis usus, medicinale præceptum. Ad unum est, ut illa potio salubris est, ille Medicus salubris est, ferramentum illud salubre. Hæc enim omnia unum; idest salutem, videntur attingere.* Has quatuor species analogiæ docent in præsentia DD. nostri Villanova, & Gavardi cum Nost. Ægidio lib. 6. Metaph. q. 3. & 2. de Anima. cap. 2. dub. 2. & in 1. Sent. dist. 3. p. 1. q. 1. art. 3. & dist. 12. quæst. 2. art. 1. & 7. Physic. lect. 8. & de esse & essentia q. 1.

5. Sed notandum ex Doct. Nost. loco ultimo allegato, quòd, *Unitas analogi est unitas attributionis*. Hanc propositionem iterum infra reperit, addens, *Et qui hoc nescit, naturam analogiæ ignorat*. Hinc venit explicanda illa propositio, alioquin naturam analogiæ ignorabimus. Præterquamquod si unitas omnis analogi est unitas attributionis, non erit nisi unica species analogiæ & hæc fuit sent. P. Arriaga.

Pro hujus explicatione observa cum Doct. Nost. ibidem, quòd duplex est unitas, alia

alia prædicationis altera attributionis. Unitas prædicationis est propria univocorum, & sic est propria generis, & speciei, in quibus natura una prædicatur de pluribus. Hanc non habent analogi, quia nec in re habent naturam unam, nec ab eis potest præcindi conceptus unicus prædicabilis de illis, ut infra dicemus. Ergo cum analogi habeant aliquam unitatem, alioquin non differrent à purè æquivocis, restat, quòd habeant unitatem attributionis; hæc consistit in eo quòd unum attribuitur alteri, vel ambo tertio.

Nec inde sequitur non esse, nisi unicam speciem analogiæ attributionis, ut concludit Arriaga. Nam licet attributio reperiat in omnibus analogis, at non eodem modo; nam aliquando reperitur sola, & tunc est species analogiæ attributionis; aliquando invenitur cum similitudine, aliquando cum proportionalitate, aliquando cum proportionalitate ergo non impedit propositio. D. Nost. quin quatuor sint species analogiæ, etsi in omnibus non sit unitas, quàm attributionis.

6. Prima ergo species analogiæ est secundum similitudinem, hæc consistit in unitate similitudinis duorum, vi cu-

jus conveniunt in nomine. Sic nomen *Homo* est analogum ad hominem verum, & pictus ad vivum, & mortuum. Vbi observa quòd hæc similitudo non est mutua, quia licet homo pictus sit similis vero, non tamè homo verus dicitur similis picto. Hæc species analogiæ convenit nomē *Leo* Christo Domino & verò *Leoni*. Non quòd *Leo* significet naturam utriusque communem, hæc enim foret unitas prædicationis; sed quòd significat similitudinem Christi cum Leone verò in fortitudine, & alijs, vi cuius similitudinis habent aliquam unitatem, in qua fundatur unitas nominis. Analogi huius speciei sic diffiniuntur. *Quorum nomen est commune, ratio verò significata est eadem in omnibus similitudine non mutua.*

7. Secunda species est secundum proportionem. Proportio diffinitur sic. *Duarum quantitatum alterius ad alteram certa habitudo.* Hæc petit reperiri in solis rebus quantitativis ejusdem generis, & rationis, quia ut docet Nost. Doct. 7. Physicor. text. 24. *Numeri ad superficiem, vel lineæ ad corpus non est proportio, sed lineæ ad lineam, & superficiæ ad superficiem potest esse proportio dupla, vel tripla, vel æqualis.* Huius ratio est, quia proportio est certa, & determinata habitudo; sed, quæ non

non sunt ejusdem generis, & rationis, non habent eundem terminum communem, per ordinem ad quem sumatur certa habitudo: ergo non habent proportionem. Id patet ad oculum in mensuris, nam ulna non est mensura liquidorum, nec pondera mensurant longitudinem, aut latitudinem; quia cum sint diversæ rationis, nullam habent proportionem.

Adverte quòd Phil. trāstulerunt nomen proportionis ad significandam habitudinem conformitatis, commensurationis &c. v. g. virtutis ad virtutem, qualitatis ad qualitatem &c. Hinc fit quòd ea analogi, quæ ultra attributionem unius ad aliud, habent hanc proportionem, sunt analogi proportionis, & pertinent ad istam speciem analogiæ. v. g. *Luminare* est analogum ad *Solem*, *Lunam*, & *Stellas*, quoniam præter nomen commune, ratio luminaris significata habet unitatem attributionis, & proportionis. Attributionis quatenus lux omnium attribuitur *Soli*, qui dicitur idè *Pater luminum*. Proportionis, quia lux *Lunæ*, & *Stellarum* est ejusdem rationis cum lumine *Solis*, & ad illud dicitur determinatam habitudinem. E contra, quoniam finiti ad in-

finutum nulla est proportio; idè *Ens* relatè ad *Deum*, & *Creaturas*, non est analogum proportionis. Hanc speciem diffiniunt sic. *Quorum nomen est commune, ratio verò significata est eadem secundum proportionem.*

8. Tertia species est secundum proportionalitatem. Proportionalitas secundum Euclidem diffinitur *similitudo proportionum*, hoc est, similitudo inter duas habitudines. V. g. sic se habet *linea* ad *lineam*, sicut *superficies* ad *superficiem*. *Ly* sic dicit similitudinem inter duas proportiones *lineæ* ad *lineam*, & *superficiæ* ad *superficiem*; hæc similitudo est proportionalitas. Vbi adverte, quòd proportio petit duos terminos, v. g. numeri ad numerum, vel *lineæ* ad *lineam*; ceterum proportionalitas petit quatuor. Ratio est, quia petit duas proportiones similes: at quælibet proportio habet duos terminos: ergo proportionalitas petit quatuor. Hæc dicta propriè de quantitativis, trāslativè dicuntur de alijs præsentati analogiæ. Quare nomen *principium* est analogum proportionalitatis ad *patrem*, *fontem*, & *cor*. Nam sicut *pater* est *principium filij*, ita suo modo *cor* est *principium operationum*, & *fontis principium rivuli*. Hæc analogi diff-

diffinies *Quorum nomen est commune ratio verò significata est eadem proportionaliter.*

Quarta species est *secundam attributionem.* Hæc ex ipso nomine clarescit, & datur quoties nomen est multis commune, quoniam uni attribuuntur, in quo solo reperitur ratio per nomen significata. Sic nomen *sanum* dicitur de Medicina, pulsu, cibo, & animali: at sanitas in solo animali est, ceterum per attributionem convenit alijs, quæ sana dicuntur, quoniam ordinantur ad sanitatem animalis, v. g. cibus est sanus, quoniam causat, & tuetur sanitatem, pulsus sanus, quoniam est signum sanitatis; Medicina sana, quoniam recuperat sanitatem deperditam. Hic jam vides, quòd hæc attributio constituit quartam speciem distinctam, ut diximus n. 5. quia reperitur sola sine similitudine, proportione, aut proportionalitate. Non est hic similitudo, ut patet, inter cibum, pulsus &c. non est proportio, quia non est inter terminos ejusdem rationis; non proportionalitas, quia licet cibus, & pulsus dicantur habitu-
do pulsus est habitudo signi. Ergo hic est mera unitas attributionis, & sic 4. species analogorum, quam diffinies sic. *Quorum nomen est commune ratio verò significata est eadem secundam puram attributionem.*

§. II.

Solvuntur, quæ militant contra datam doctrinam.

10. **C**ONTRA hanc doctrinam, quæ posita sunt objici, levia sunt; eis probatur, vel quòd sunt plures species analogiæ. vel pauciores; vel tandem quòd analogia non est benè explicata. Ab hoc ultimo incipientes. Argues primò. Sola univoca possunt diffiniri; quia sola illa conveniunt in genere, quo debet constare diffinitio: sed analogæ non sunt univocæ: ergo analogæ non possunt diffiniri; & consequenter diffinitio data pro analogis, non tenet.

Confirmatur. Vel species analogiæ assignatæ conveniunt univocè in ratione communi analogiæ, vel non? Si primum: ergo ratio communis analogiæ non est analogæ, sed univocæ; & sic non est analogia, sed univocatio: Si secundum? Ergo species il-

illæ non conveniunt generice in ratione communi analogiæ, Patet consequenter, quia genus debet esse ratio univocæ. Nunc sic, sed species, quæ verè species sunt, debent convenire generice, alioquin non forent species; cum solum genus sit divisibile in species, & earum correlativum: ergo perperam species assignatæ à nobis, dicuntur species analogiæ.

Confirmatur secundò. Analogia à nobis explicata, est medium inter univocationem, & æquivocationem: sed hoc medium est implicativum: ergo &-analogia explicata. Probat. min. Inter opposita contradictoriè, & immediate, nullum cadit medium: sed univocatio, & æquivocatio sunt immediate opposita: ergo. Probat. min. Æquivocatio est carentia univocationis: sed univocatio, & ejus carentia, sunt contradictoria, immediate opposita ergo &c.

11. Ad argumentum dicimus illud solutum à D. N. hic loquente de æquivocis, & dicente, quòd licet æquivocum relatè ad sua æquivocata, sit æquivocum, & non possit diffiniri: At ratio communis æquivoci relatè ad æquivocationes est univocæ, & sic diffinibilis. Sic dicimus de analogia, quæ relatè ad analogata, non est univocæ,

nec diffinibilis: ceterum relatè ad species analogiæ univocæ, & diffinibilis est, & sic diffinitur à nobis. In forma distingue minor. sub distinctione data.

Contra hanc solutionem procedit prima confirmatio cui N. M. Villanova respondet Disp. 5. dub. 2. cap. 2. num. 43. quòd ratio communis analogiæ non est univocæ ad species assignatas; quia non dicitur æqualiter de eis, sed primò, & per se de *proportione*, secundò de *proportionalitate*, tertio de *attributione*, quarto de *similitudine*. Hæc doctrina confirmari potest ex P. Augustino ubi supra num. 4 dicente *Proportio* (quod analogiam Græci vocant) &c. En P. N. Proportionem quasi antonomastice vocat analogiam: ergo quia inter omnes species hæc est potissima, & dignissima tali nomine. Et observa in laudata autoritate P. N. quòd pro proportione ponit exemplum *principij* relatè ad cor & fontem. Quod exemplum supra nos dedimus pro proportionalitate: ergo non videtur explicatio nostra conformis P. Augustino.

12. Huic doctrinæ non acquiescimus, quia si æquivocatio est ratio univocæ juxta D. N. ad omnes æquivocationes, ut concedit Villanova

potiori jure analogia ad suas species. Patet Sequela, quia major unitas est in analogis, quam in æquivocis; imò in æquivocis nulla est unitas, nisi nominis: ergo si hoc non obstante ratio communis æquivocationis est univoca ad omnes, cur non ratio communis analogia. Præterea ratio communis analogiæ nequit esse analogica, nisi adsit aliqua causa analogiæ: sed nulla est causa talis: ergo analogica non est, sed univoca. Probat. min. Causæ analogiæ sunt transcendencia, dependentia in ratione communi, inæqualitas, & aliæ de quibus infra. Sed ratio communis analogiæ non transcendit differentias specierum, ut patet; nec una species analogiæ pendet ab alia, ut sit species analogiæ, nec item sunt inæquales in ratione communi, sed in differentiis specificis, modo quo homo, & æquus relatè ad animal: ergo licèt ratio communis analogiæ sit physicè analogica ad suas species, non est analogica logicè, sed univoca, & sic diffinibilis.

Nec obest confirmatio ex P. Agustino, nam ibi S. P. insinuat Græcos instituisse vocem *Analogia* præcipuè ad designandam proportionem; hoc non impedit, quin æquè, aut plus conveniat attributioni.

Nam Latini etiam invenerunt vocem *ens* ad significandum esse creatum, ut advertit Suarius disput. 3. Metaphysicæ; & tamen vox *ens* plus significat esse Divinum, quam creatum. Ad observationem in doctrina P. N. dic, quòd nomen *proportio*, ut idem Suarius ibidem advertit, confunditur cum *proportionalitate*; nò quòd sit idem significatum, nec unica species analogiæ, sed quia aliqui voce *proportio* explicant analogiam, quæ ab alijs dicitur *proportionalitas*. Sic accidit P. Agustino loco laudato, sed non est contra nos, qui more præsentis loquentes, vocamus *principium analogum proportionalitatis*. In forma ad confirmationem primam respondemus, quòd ratio analogiæ est univoca, & est univocatio ad species analogiæ, licèt sit analogica ad sua analogata.

Ad secundam confirmationem nego min. ad probationem ejus, nego min. non enim univocatio, & æquivocatio opponuntur contradictoriè sicut album, & non album; sed contrariè sicut album, & nigrum. Inter contraria cadit medium, non autem inter contradictoria. Univocatio, & æquivocatio sunt extrema positiva, & sic contraria. Inferunt autem op-

positionem contradictoriam, quia nigrum est non album, & æquivocatio est non univocatio. At inter contradictoria illativa cadit medium, ut patet exemplo dato albi, & nigri, inter quæ cadit color medius, scilicet fuscus, aut pallidus.

13. Argues secundò ad probandum species analogiæ esse plures. Transcendètia est vera species analogiæ: at hæc non est supra numerata: ergo species sunt plures. Probat. min. Omnis ratio communis transcendens, est verè analogica, ut dicemus infra: ergo &c. Secundò inæqualitas participandi rationem communem reddit eam analogam: ergo ultra species assignatas datur analogica inæqualitatis.

Respondetur quòd transcendencia non est species analogiæ, sed causa ejus. Idè dic de inæqualitate, quæ si sit orta ex ratione communi, est causa analogiæ, non species ejus, ut dicemus: si verò sit orta ex differentiis, causat analogiam physicam, non autem logicam. Quare hoc solo sit satis Caverò intendenti transcendenciam esse speciem analogiæ, & Suario numerati inter species inæqualitatem.

14. Argues tertio ad

idem fortius. Ens est analogum ad Deum, & creaturas: sed analogia entis non pertinet ad aliquam speciem ex numeratis: ergo sunt plures, quam quatuor. Probat. min. Nam analogia entis non est solius similitudinis, ut patet, quia solus homo est imago Dei, bruta sunt vestigium, & sic imperfectissima similitudo Dei: ceterum ratio entis intrinsecè reperitur in omnibus. Rursus non est analogia proportionis, quia finiti ad infinitum nulla est proportio. Nec est analogia proportionalitatis, quia licèt detur similitudo habitudinis inter esse Dei relatè ad Divinam existentiam, & esse creaturæ relatè ad existentiam creatam, hæc similitudo non explicatur nomine entis, ut dicitur communiter contra Joan. à S. Thoma. Nec est analogia attributionis, quia esse significatum per *ens* non est intrinsecè in solo Deo, sed in creaturis, ut infra patebit: ergo analogia entis ad Deum, & creaturas est quinta species, distincta ab enumeratis.

Hoc argumentum non potest nunc plenè dissolvi, quia pendet ex quaestione infra dissolvenda. Respondemus pro nunc ex dicendis, quòd analogia entis ad Deum, & crea-

turas, est analogia attributionis; sic docet N. Egidius quæst. 7. de ente, & essentia: & est doctrina D. Thomæ 1. par. quæst. 13. art. 5. & 6. & 1. contra Gent. cap. 34. & locis infra allegandis. Ceterum non est rigorosa analogia attributionis, quia creaturæ habent intrinsecam entitatem, etsi attributam enti Divino; nec dicuntur entia, sicut medicina dicitur sana à sanitate sibi extrinseca. Nec oportet assignare speciẽ quin tam, semel quoddam analogia en is reducibilis sit ad unam ex assignatis.

15. Argues tandem ad probandum esse pauciores. Nam imprimis analogia similitudinis est impropria, & potius est æquivocatio, quàm analogia. Rursus analogia attributionis est eadem ac proportio: ergo unicè sunt duæ species proportionis, & proportionalitatis. Antecedens patet ex communi sententia Thomistarum, quæ unicè agnoscit duas species assignatas. Tertio. Analogia proportionalitatis potius est univocatio: ergo si similitudo non est analogia, & attributio reducitur ad proportionem, unica erit species analogiæ, quæ ab aliquibus dicitur proportionis, ab alijs vocatur attributionis. Ante-

cedens docetur à P. Suariorum, Ochamo. Cavero, & Rubio.

Respondemus hoc argumentum indicare varietatem sententiarum ortam ex diversitate in explicanda analogia. Teneat quisquẽ quod velit, & in suo sensu abundet; nobis non licet recedere à sententia P. Augustini, qui libro laudato de Categor. cap. 1. loquens de analogis sub nomine æquivocorum à consilio, dicit *Horum quatuor sunt genera, similitudo, proportio, ab uno, ad unum.* Ergo nisi velis ab Augustino, & ab Aristot. de cujus mente loquitur P. N. recedere, teneris quatuor species analogiæ assignatas propugnari. Accedit auctoritas D. N. Fundatissimi locis datis num. 4. in fine. Suadetque ratione supra insinuata, quam urgemus sic. Analogia est unitas secundum quid, mixta cum diversitate simpliciter; cum sit medium inter univocationem, & æquivocationem, accedens plus ad æquivocationem: ergo tot sunt species analogiæ, quot talis unitatis. At species unitatis mixtæ cum diversitate sunt quatuor, scilicet unitas fundata in similitudine, unitas proportionis, unitas proportionalitatis, & unitas attributionis: ergo quatuor sunt

sunt species analogiæ, ut explicatae sunt.

16. Nec urget in contra argumentum. Ad primum N. M. Villanova dicit similitudinem non esse propriè analogiam, sed æquivocationem à consilio. Potius deberet dicere esse propriè analogiam ob eadem rationem, cum omne æquivocum à consilio sit analogum, & verum medium inter univocum, & æquivocum à casu, quod solum nomen habet commune. Rursus æquivocum à consilio non habet purum nomen commune, sed habet similitudinem, vel aliquam unitatem in re significata, vi cuius à consilio impositum est nomen commune. At quod habet aliquam unitatem in re significata, quantumvis minimam, est verè analogum: ergo æquivocum à consilio, verè analogum est. Rursus. Similitudo si sit summa, qualis est inter individua ejusdem speciei, facit univocationem physicam speciei atomæ; si sit infra summam, ut est inter duas species ejusdem generis, facit univocationem logicam: ergo si sit minima, ut est inter hominem pictum, & verè, inter risum hominis, & præti, facit veram analogiam.


Ad secundum fateor Suariorum, & Thomistarum RR. ana-

logiam attributionis confundere cum analogia proportionis, & unam tantum speciem esse, propugnare. Habet aliquale fundamentum in Aristot. & D. Thomæ, nec difficiliter suaderi posset ex D. N. Fundatiff. At DD. Beati loquantur de aliquibus analogis ubi adunantur proportio, & attributio, v. g. in ente relatè ad substantiam, & accidens. At pro distinguendis speciebus satis est invenire analogiam attributionis puram sine proportione: atqui hæc datur: ergo species distinctæ sunt: Probatum min. Ens ad Deum, & creaturas est analogum attributionis: sed creaturæ ad Deum, & Dei ad creaturam, nulla est proportio, aut certa habitudo, sed incerta, & infinita: adeoque dicitur, quod *Finiri ad infinitum nulla est proportio*: ergo &c.

Ad tertium negamus antecedens, cujus contrarium docetur à Suariorum, & alijs allegatis, quia docent quoddam analogum potest præscindi ab analogatis, & fieri unus conceptus omnibus communis, & præcisus à differentijs. Contrarium infra tenebimus agere de præcisione entis, estque sententia D. N. quàm etiam tenent Thomistæ. Et observa cum N. Villanova, quod

quòd unitas univocorum fit media præcisione objectiva, de qua supra lib. 3. quæst. 6. At unitas analogorum proportionalitatis non fit media

præcisione, sed media computatione unius proportionis cum alia; ex qua resultat similitudo proportionum, quæ est proportionalitas.



QUÆSTIO TERTIA.

Quenam sint causæ analogiæ; & quot conditiones analogorum?

§. I.

Probatur sufficere transcendentiam ad causandam analogiam.

EXPLICATA jam natura analogiæ, & designatis speciebus ejus, causas analogiæ quærimus, ejusque conditiones, ut omnibus vijs nota nobis analogia sit. Quærere causas analogiæ, est quærere causas unitatis mixtæ cum diversitate. Harum primam designamus transcendentiam. Nota quòd prædicatum illud transcendit inferiores differentias, quod intimè includitur in eis, & de illis prædicatur formaliter in abstracto. Hoc modo *ens* dicitur transcendere, ut videbimus, signumque hujus transcendentia est prædicabilitas in abstracto, sit exemplum in homine cujus constitutiva sunt substantia,

corpus, vivens, animal, rationale. Omnia hæc transcendit *ens*, quia valet, *Substantia est entitas; corporeitas est entitas; vita est entitas; animalitas est entitas; rationalitas est entitas*. En de omnibus prædicatur *ens* in abstracto: ergo quia est de essentia omnium, & omnia transcendit. A contrario non valet *Rationalitas est animalitas*, quia animal non est de essentia rationalis, sed illud excludit, & idè ab eo præscindit objectivè, ut dictum est lib. 3. quæst. 6.

Dicimus ergo quòd sola transcendentia sufficit reddere analogam rationem communem. Hæc assertio est expressa Thomistarum cum D. Thoma 10. Metaphys. lect.

7. & quæst. 2. de verit. art. 11. ubi probat *ens* non esse univocum ad sua inferiora, quia illa transcendit. Eandè decet Ægidiani cum D. N. multis locis, sed præcipuè in 2. Sentent. distinct. 3. quæst. 1. art. 3. in principio, ubi probat *ens* non esse genus, nec univocum, quia nullum genus prædicatur de differentijs: sed *ens* prædicatur de differentijs: ergo *ens* non est genus, nec univocum. Loquitur hic de prædicatione in abstracto, quæ indicat transcendentiam: alioquin, ut benè advertit Villanova nil probaret, cum in concreto benè prædicetur genus de differentijs, nam valet *Rationale est animal*. Vide D. N. 1. Sentent. dist. 8. par. 1. quæst. 2. art. 2. & locis infra allegandis pro transcendentia entis. Et P. August. lib. de Categor. cap. 9. ubi dicit substantiam non posse diffiniri, quia non habet genus supra se, eò quòd *ens* non est genus, ut supra arguebat N. B. Ægidius.

2. Probatur à ratione. Sola transcendentia sufficit, ut ratio transcendens sit partim eadem, & partim diversa: ergo sola sufficit causare analogiam. Consequentia tenet ex diffinitione analogorum supra data. Antecedens probatur. In pri-

mis ratio transcendens est in qua conveniunt inferiora, ut patet de ente, in quo conveniunt substantia, & accidens: sed aliunde transcendentia facit quòd inferiora differant per rationem transcendentem: ergo sola transcendentia sufficit &c. Probatur min. Inferiora, quæ differunt per suas differentias, differunt per omne illud, quòd est de conceptu essentiali differentiarum: sed transcendentia facit, quòd ratio transcendens sit de conceptu essentiali differentiarum: ergo facit, quòd inferiora differant per rationem transcendentem.

Confirmatur. Ratio univoca est pura ratio conveniendi; & ratio analogica est simul ratio conveniendi, & disconveniendi: sed ratio transcendens est simul ratio conveniendi, & disconveniendi: ergo ratio transcendens est ratio analogica, sicque sola transcendentia sufficit, &c. Probatur min. Ratio, quæ non excludit rationes differendi, sed includit differentias, est simul ratio conveniendi, & disconveniendi: sed ratio transcendens non excludit differentias: sed includit: ergo. Probatur min. Nemo potest excludere quòd est sibi essentialis: sed ratio transcendens differentias est de essen-

essentia illarum, & illæ sunt essentialiter inclusæ in ratione transcendenti, ut infra constabit loquendo de ente: ergo.

3. Contrariam sententiam tenent Scotistæ cum suo Doct. pro qua citantur Suarez, & alij, forsan quia tenent rationem entis præcindere à suis differentiis, de quo infra. Pro sententia contraria argues sic: Licet natura Divina transcendat relationes, non sequitur, quod natura Divina sit ratio differendi unam Personam ab alia, quæ differunt per solas relationes: ergo licet ratio analogæ entis v.g. transcendat differentias hominis, & leonis, non sequitur, quod ratio entis communis ad utrumque, sit ratio differendi: quare transcendentia non facit rationem esse conveniendi, & disconveniendi, nec consequenter esse analogam.

Communis solutio distinguit duas transcendentias. Unam realem & physicam; alteram logicam & rationis. Prima datur solum in Divinis, quia consistit in eo, quod natura Divina sit de conceptu essentiali relationum, & tamen licet realiter multiplicentur relationes, non tamè natura Divina. Hoc solum datur in Divinis, quia ibi so-

lum est mysterium Trinitatis, consistens in hac reali transcendentia. Altera, quæ vocatur Logica consistit in eo, quod ratio transcendens sit de conceptu inferiorum, & multiplicetur ad multiplicationem eorum. Tale est ens, & omnia transcendentia creata. Hoc notato, concedimus antecedens, & negamus consequentiam, quia conclusio & probatio nostra tenet in transcendentibus logicis, & rationis; non in realibus. Quod si hujus quæras rationem, dicimus eam esse mysterium Trinitatis; nam sicut ex identificatis unam nequit multiplicari, non multiplicato alio; & tamen in Divinis multiplicantur Personæ, & non natura: sic in transcendentibus.

4. Argues secundo. Ratio animalis transcendit hoc, & illud animal: & tamen ratio animalis non est analogæ: ergo transcendentia non causat analogiam. Minor pater, quia animal est genus, & sic est ratio univoca. Major est certa, quia ratio animalis prædicatur in abstracto de hoc, & illo animali. Aliqui concedunt rationem animalis transcendere hoc, & illud animal. Sed immerito, quia differentia hujus, & illius animalis, sunt fin-

singularitates eorum: sed animal non transcendit tales singularitates; hæc enim est falsa, *Singularitas hujus animalis est animalitas*: ergo animal non est transcendens ad hoc, & illud animal. Quare respondemus negando maj. Ad probationem dic, quod animal prædicatur de hoc animali, sed non de differentia hujus animalis, ut ostensum est.

Argues 3. Ratio substantiæ, quæ ponitur in prædicamento est univoca, cum sit genus, & omne genus sit univocum logicè: sed ratio substantiæ transcendit differentias ultimas: ergo transcendentia non sufficit causare analogiam. Minor probatur: substantia prædicatur formaliter de ultimis differentiis; valet enim *Rationale est substantia, irrationale est substantia*: ergo quia transcendit.

5. Pro solutione observa, nomen *substantia* significare aliquando substantiam completam, hoc est constantem ex materia & forma, quæ faciunt compositum substantiale completum. Aliquando significat substantiam incompletam, qualis est vel sola materia, vel sola forma. Aliquando significat substantiam in communi, includentem completam, & incompletam. Primum prædicamentum, quod

est genus substantiæ, est substantia completa, quia hæc sola ponitur directè, & in recta linea prædicamentali; substantiæ autem incompletæ ponuntur ad latus. Igitur ratio substantiæ, quæ est genus, non transcendit, quia non prædicatur de differentiis; non enim valet *Rationale est substantia completa*: quare ad argumentum concessa maj. negatur minor. Ratio ergo quæ transcendit, est substantia vel incompleta, vel communis ad completam, & incompletam: ceterum hæc non est genus, nec prædicamentum; de hac loquitur minor, cum major sit de sola completa: quare consequentia nil valet.

6. Argues 4. Transcendentia facit quod inferiora magis conveniant in ratione transcendenti, quam in non transcendenti: sed in non transcendenti pure conveniunt: ergo in transcendenti non facit quod conveniant partim, & disconveniant, quod est de ratione analogæ. Probatur antecedens. Magis conveniunt homo, & equus, in ratione entis transcendenti, quam in ratione animalis non transcendenti: ergo. Probatur antecedens. In ratione entis conveniunt etiam per differentias *tribunalitatis* & *irrationabilitatis*, quæ sunt entia; non

fic in ratione animalis, in qua differunt per tales differentias.

Confirmatur. Si in ratione entis transcendenti homo, & equus convenirent, & disconvenirent, conceptus entis foret metaphysicè compositus ex ratione conveniendi, & ratione disconveniendi: sed hoc est falsum; cum conceptus entis simplicissimus sit: ergo ratio entis transcendens non est ratio conveniendi, & disconveniendi; & consequenter transcendens &c.

Respondetur disting. maj. facit quod magis convenient extensivè, concedo, intensivè, nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Ratio transcendens facit quod convenientia hominis cum equo se extendat etiam usque ad differentias, ad quas non se extendit convenientia rationis univocæ, ut argumentum ostendit: quare est major convenientia extensivè; sed non intensivè, quia convenientia in ratione non transcendens est pura sine disconvenientia; quam non habent prædicata transcendentia.

Ad confirmationem nega sequelam maioris. Licet enim convenientia summa, & disconvenientia sint duo conceptus, vel unus com-

positus ex genere, & differentia; at disconvenientia, & convenientia infra summam possunt adunari in eodem simplicissimo conceptu. Tale est ens, & omne prædicatum transcendens, quod non est ratio summè conveniendi, sed partim, & mixtè cum disconvenientia.

§. II.

Dependentia in participanda ratione communi est sufficiens causa analogiæ.

7. **H**ÆC conclusio est expressa in P. Augustino locis infra allegandis pro analogia entis ad Deum, & creaturas. Est etiam D. Thomæ 1. p. quæst. 13. art. 5. & quæst. 4. art. 3. ubi ex dependentia creaturæ à Deo in ratione entis probat ens esse analogum ad Deum, & creaturas. Docetur etiam à N. Fundat. Doct. q. 11. de ente, & essentia §. Ostensio quod, ubi ait: *Prima divisio entis; & prima analogia ejus est secundum causam, & causatum, & secundum esse purum, & participatum, quæ dicuntur analogicè: prima enim facie dividimus ens in ens per essentiam, & ens per participationem, & dicimus quod ens dicitur analogicè respectu utriusque.*

Obi

Observa quod dependentia unius ab alio in participanda ratione communi, potest nasci ex ipsa ratione communi, vel ex ratione differentiali. Exemplum primum habemus in ente, quod ex ipsa ratione communi entis petit esse à se in Deo, & deinde ad creaturam dependenter à Deo. En dependentia ista refertur in ipsa ratione communi entis, & ex ea nascitur. Exemplum secundum est in filio, qui pendet à suo patre ut recipiat esse animalis. At hæc dependentia non oritur ex ratione animalis, quia hæc non petit esse primo in nro independenter, & secundo & dependenter in alio. Nascitur ergo dependentia ista ex differentiali conceptu filij, qui petit recipere à patre suum esse, & cum dependentia causari à sua causa. Conclusio nostra procedit à prima dependentia; non autem de secunda, alias nulla daretur ratio communis causas & effectus, quæ non esset analogæ.

8. Probatur ergo conclusio à ratione sic. Ut ratio communis sit univoca, & non analogæ, debent inferiora esse unum sine distinctione in ratione communi: sed si inferiora dependent in participanda ratione communi,

non sunt unum sine distinctione in ratione communi: ergo non sunt unum univocè, sed analogicè, & sic dependentia causat analogiam. Maior patet ex dictis, minor probatur. Dependentia essentialiter petit duos, inter quos versatur; quare essentialiter importat dualitatem, & distinctionem: ergo si inferiora &c.

Confirmatur. Analogia est aliqualis convenientia cum disconvenientia: sed quando unum dependet ab alio in participanda ratione communi, datur convenientia cum disconvenientia: ergo ex vi dependentiæ datur analogia. Probatur min. In primis datur convenientia, ut patet, cum ratio communis, entis v.g. sit in utroque, scilicet Deo, & creatura. Deinde datur disconvenientia, quia differunt in modo habendi, quia in Deo habetur à se, & independenter; in creatura ab alio, & dependenter.

9. Contra hanc conclusionem argues. Actus vitalis convenit univocè cum potentia vitali: & tamen pendet à potentia in participanda ratione vitalitatis: ergo dependentia non causat analogiam. Confirmatur. Lux diaphana pendet essentialiter à luce Solis: & tamen con-

convenit univocè cum illa, ergo idem. Secundò species impressa pendet ab objecto: & tamen convenit univocè cum eo: ergo. Tertiò Causa univoca convenit univocè cum suo effectu in esse specifico: & tamen effectus pendet à causa in tali esse, quod recipit ab ea: ergo &c.

10. Ad argumentum respondetur dist. maj. Actus vitalis convenit univocè cum potentia vitali, univocè in ratione vitalis, nego maj. univocè in ratione qualitatis, concedo maj. & concess. min. neg. conseq. Dicitur actus vitalis ille, qui recipitur in ea potentia, à qua nascitur, ut intellectio in intellectu, volitio in voluntate, qui actus dicuntur vita, quæ est *motus à se, & in se*, idest actio à principio, & recepta in eodem principio. Pendet ergo actus vitalis à potentia pro vitalitate, quia ratio vitalitatis ex se petit esse in potentia primò, & in actu dependenter à potentia. Ceterum ratio vitalis est analogica ad potentiam, & actum analogia attributionis, quia sicut sanitas est in animali intrinsicè, & in cibo causaliter, & extrinsicè, sic vitalitas est intrinsicè in actu vitali, qui est vita; & in potentia extrinsicè, ut in causa efficiente

actus vitæ. Ratio qualitatis est univoca ad potentiam, & actum vitalem, quia hæc non petit esse primò in potentia, & secundò in actu, sed ex differentijs utriusque nascitur, quòd actus sit qualitas dependenter à potentia, unde dependentia hæc non causat analogiam in ratione qualitatis, ut notatum est num. 7.

Ad primam confirmationem nego min. quia lux est in Sole realiter, & in diaphano intentionaliter; quare non univocè, sed analogicè conveniunt in ratione lucis. Similiter dic ad secundam: quia species, & objectum non univocè, sed analogicè conveniunt, eo quòd esse cognitum est in objecto realiter, & in specie intentionaliter. Ad tertiam nota, quòd causa univoca est quæ producit effectum sibi similem in specie, ut homo hominem, equus equum; causa æquivoca est quæ producit effectus varios, & dissimiles, ut Sol aurum, herbam, poma, metalla, &c. Hoc notato conc. maj. & dist. min. effectus pendet à causa in tali esse, dependet dependentia orta ex ratione communi, in qua conveniunt, nego min. dependentia orta ex conceptu differentiali effectus, concedo min. & nego conseq. Quia conclusio nostra procedit de-

dependentia orta ex ratione communi, ut num. 7. notatum est.

§. III.

Designantur aliæ causæ analogiæ.

II. INTER Causas analogiæ numeratur à D. Nostr. ubi supra inæqualitas in participanda ratione communis quare cum ratio entis perfectiori modo sit in Deo, quam in creaturis; perfectiusque participetur à substantia, quam ab accidente; inde probat D. Nostr. rationem entis esse analogam ad sua inferiora. Hæc ratio, quæ non multum differt à præcedente, habet eam limitationem, quam num. 7. notavimus, scilicet, quòd inæqualitas oriatur ex ratione communi, nam si ex differentijs oriatur, causat analogiam physicam, non logicam, de qua nunc. Id patet in animalitate, quæ perfectiori modo est in homine, quam in brutis: ceterum, quia hæc inæqualitas oritur ex differentijs rationalitatis, & irrationalitatis, causat solam analogiam physicam.

Formatur ratio D. Nostr. Ibi datur analogia, ubi datur convenientia inferiorum

cum disconvenientia: sed ubi ratio communis inæqualiter participatur, datur convenientia cum disconvenientia; ergo ex inæqualitate causatur analogia. Minor patet, quia inferiora ut participant rationem communem, conveniunt; ut autem participant inæqualiter, disconveniunt. Hinc habet contra Suárezium, quòd inæqualitas non est species analogiæ, sed causa ejus.

Consonat hæc ratio præcedenti; quia quòd Deus est, & creatura participant inæqualiter rationem entis, oritur ex eo, quòd Deus habet à se rationem illam, creatura verò illam participat dependenter à Deo: quare ubi datur dependentia in ratione communi, necessariò datur etiam inæqualitas in ea participanda, & sic utraque ratio probativa coincidit.

12. Quarta ratio, autem causa analogiæ sumitur ex diversa potentialitate. Pro qua suppose cum D. Nostr. in 1. sent. dist. 20. q. 1. art. 1. quatuor esse ordines rerum. Primus eorum, quæ constant ex materia, & forma, ut lapis, metalla &c. Secundus eorum, quæ habent materiam organizantem, ut homo, & omnia viventia. Tertius eorum, quæ nullam habent materiam,

am, sed habent aliquam potentialitatem, ut Angeli, qui carent omni materia, sed habent in essentia sua potentialitatem ad existentiam. Quæ artus eorum, qui nec habent materiam, nec ullam potentialitatem, ut Deus, Persona Divina. Hoc notato, erit ratio D. Nost.

Quæ differunt genere, non conveniunt univocè, sed analogicè; sed quæ differunt potentialitate, differunt genere; ergo quæ differunt potentialitate, solum conveniunt analogicè; & consequenter diversitas in potentialitate, causat analogiam. Major patet, nam quæ conveniunt univocè, conveniunt in genere; cum non sit possibilis minor convenientia univoca, quam generica. Minor etiam patet ex Aristot. 1. de Cælo dicente, Quæ differunt materia, differunt genere, & inde probatur quod corruptibile & incorruptibile differunt genere; intellige nomine materiae potentialitatem.

Hinc est, quod ratio entis est analogica ad Deum; & creaturas, quia in Deo est summè actualis; in creaturis verò est potentialis. Insuper Angeli, & homines, resque aliæ corporeæ, conveniunt solum analogicè in ratione entis; nam in Angelis est

solum potentialitas in ordine ad existentiam; in hominibus verò, & rebus corporeis, præter illam, habent materiam, quæ est potentialitas physica in ordine ad formam.

Colliges, quod primum prædicamentum substantiæ non comprehendit Angelos, & substantias incorporeas; tam propter dicta lib. 3. q. 6. de Angelis ubi non datur præcisio objectiva: cum propter doctrinam præsentem D. Nost. Nam prædicamentum est genus; & genus est ratio univoca; sed ratio substantiæ non est univoca ad corpoream, & incorpoream; cum sit analogica ob diversam potentialitatem, ut ostensum est; ergo substantia non est generis ad Angelos, & res corporeas, & sic Angeli non sunt in prædicamento substantiæ. Quid autem intelligatur nomine substantiæ incorporeæ in articulo Porphyriana locò citato explicatum est.

§. IV.
Explicantur conditiones analogorum.

13. **Q**UATVOR conditiones communiter assignantur pro analogiæ proportionalitatis, totidè & oppositæ pro analogiæ attributi-

tributionis. Pro primis hæc. Prima quod ratio significata per nomen sit in omnibus intrinsicè; Secunda quod non sit una numero, sed multiplex; Tertia quod unum analogatum non debeat diffiniri per aliud; Quarta quod possit aliquomodo abstrahi conceptus aliquis omnibus communis. Omnia patent in hoc analogo principium. Nam ratio principij significata, est intrinsicè in corde, fonte, & patre. Rursus non est una in eis, sed multiplex, & in quolibet distincta, v. g. in corde principium operum vitalium, in patre principium filiorum &c. Quæ principia diversa sunt. Rursus: Pater in ratione principij non diffinitur per ordinem ad cor, fontem &c. nec à contrariò, sed univocè principium filij. Tandem hæc ratio principij potest saltem præcisione formali concipi, ut una in omnibus, & explicatur conceptus ille communis hac voce principium.

Per oppositum Analogiæ attributionis petunt primò quod ratio significata sit intrinsicè in uno analogato solum; Secundò quod sit una numero in omnibus; Tertiò quod analogata minus principalia diffiniantur per ordinem ad magis principale. Quarto quod nequeat ab omni-

bus abstrahi conceptus eis communis. Hæc clarè patent exemplo dato in sano. Sanum significat sanitatem, quæ solum est intrinsicè in animali principali analogato, extrinsicè verò in cibo, pulsu, & urina. Rursus sanitas significata, est unica numero in omnibus, quia est sanitas unice animalis. Tertiò si velis diffinire pulsum sanum, debet fieri sic, pulsus sanus est signum sanitatis animalis; En ubi diffinitur analogum minus principale per ordinem ad magis principale. Tandem nequit conceptus sanus abstrahi communis omnibus analogatis, quia solum fit abstractio ab eis in quibus est intrinsicè forma: sed sanitas non est intrinsicè in omnibus; sed in uno: ergo nequit abstrahi ab omnibus conceptus eis communis.

De his sigillatim disputat N. M. Villanova; & ad verbum adducit doctrinam N. D. q. 1. de ente & essentia, quam suo loco advocabimus. Citat pro contraria sententia Suárezium, Rubium, & alios. At revera Suárezius in Metaphisica disp. 28. Sect. 3. etsi verbis contradicat; tunc tamen pro Egidianæ sententia, quæ est etiam D. Thomæ, militat, docens, quod ratio entis est analogica attri-

attributionis ad Deum, & creaturas, quam sententiam infra propugnabimus. Negat tamen has condiciones reperiri in tali analogia, cuius ratio dubitandi, eni facilliter proposita.


Ratio entis non est in solo Deo intrinsecè, sed etiam in creatura; alioquin, ut benè arguit D. Thomas q. 7. de Potentia art. 7. contra Rabbi Moysem, si solum nomen esset commune Deo, & creaturis, nihil Divinum posset ex creaturis demonstrari, quod est contra Apost. ad Rom. Rursus inter Deum, & creaturam nulla esset similitudo, quæ ex parte creaturæ debet fundari in intrinseca eitate. Rursus: Creatura non haberet esse factum, & sic non esset creatura. Ergo creatura habet esse intrinsecum, & idè prima conditio attributionis non valet hic. Nec secunda, quia dato quod in Deo, & in creatura sit esse intrinsecum, non est unum esse, sed duo, siquæ ratio significata non est una numero. Inde evertuntur reliquæ condiciones, quæ in Samo sunt, exemplificatæ, nec possunt tenere hic.

Ob hæc, & alia distinguit duas attributiones analogorum, primam rigorosam in qua verificantur illæ con-

ditiones num. 13. explicatæ, & tale est *Sanum*, de quo sapius Arist. & cum eo DD. interpretes. Alteram minus propriam, in qua ratio significata est intrinsecè in omnibus analogatis, ceterùm est in minus principalibus cum dependentia, & attributione ad principale analogatum. Tale dicit esse ens relatè ad Deum, & creaturas, & de hoc negat habere tales condiciones.

15. Nobis artidet ex parte hæc explicatio, & est D. N. consona, sed cum hoc addito. Quod ens ad Deum, & creaturas est analogum duplici analogia attributionis, propria, & minus propria. Nam creatura est ens simpliciter, & est ens secundum quid. His enim vocibus significatur in Scripturis, dum aliquando dicitur *nihil*, aliquando *aliquid*. Est ergo ens simpliciter eitate sibi extrinseca, quæ in Deo solo est intrinsecè. Hoc modo ens est analogum attributionis proprium, & cum conditionibus assignatis. At est etiam intrinsecè ens secundum quid, & hoc modo est analogum attributionis, quia tale esse est attributum Deo; sed est attributio impropria, quia deficiunt illæ condiciones supra explicatæ pro analogis attributionis, ut notatum est ex Suarior. His non

non immoramur hic, quia sensu doctrina nostra data est reddibit sermo infra, & in hoc in Summulis p. 2. quæst. 3.



QUÆSTIO QUARTA.

An ens transcendat omnes inferiorum differentias?

§. I.

Defenditur sententia affirmativa.

ENS dupliciter sumitur, videlicet *Nominaliter, & participialiter*. Primo modo significat essentiam; secundo modo dicit existentiam. Non est sermo in præsentia de ente participiali, nam certum est hoc modo non transcendere differentias inferiorum; cum enim transcendentia sit essentialis inclusio, quæ signatur per prædicationem formalem in abstracto, hæc non valet *Rationalitas est existentia*, quare nec valet *Rationalitas est entitas participialis*: quo fit ut ens participiale non sit transcendens. Est ergo quæstio de ente nominali, ut dicit essentiam, quæ cum juxta P. Augustinū lib. 12. de Civ. Dei cap. 2. *Ab eo quod est esse vocetur essentia*,

est quæstio, in qua.

2. Dicimus quod ens transcendit omnes differentias inferiorum. Hæc assertio est communis contra Scotistas: videturque expressa in P. August. loco laudato de Civit. Dei cap. 2. ubi notato, quod sicut ab eo quod est sapere dicitur sapientia, ita ab eo quod est esse dicitur essentia, dicit: *Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summè sit, & idè immutabilis sit: rebus, quas ex nihilo creavit, esse dedit, sed non summè esse, sicut ipse est: & alijs dedit esse amplius, alijs minus; atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit*. En Deus est essentia, vel ens nominale; en etiam res omnes creatæ ex nihilo, sunt ens nominale; non summum, sed magis, vel minus juxta gradus suæ essentiæ: ergo nihil est, quod essentia non sit, vel ens

nominalis in abstracto. Ergo ens tale, vel essentia, transcendit omnia. Sed expressius lib. 1. de Doctrina Christi. cap. 1. Quod nulla res est, omnino nihil est: sed differentia entis non sunt nihil: ergo sunt res, & ens. Idem habet lib. de Magistro cap. 2. dicens: Nihil quid aliud significat, nisi id quod non est, quod autem non est, nullo modo esse aliquid potest. Differentia non sunt nihil, ut patet: ergo sunt ens, res, entitas, vel essentia.

Idem docuit D. Thomas quaest. 1. de Verit. art. 1. dicens: *Enti nihil potest addi extraneum per modum quo differentia additur generi; quia quaelibet natura vel essentia est essentialiter ens.* En genus non transcendit differentias, quia non includit essentialiter eas, nec sunt ei intraneae, sed extraneae, & addunt quid extraneum supra genus, quare haec est falsa, *Rationalitas est animalitas.* Sed à contrario ens ita includitur in differentiis, ut nulla differentia addat aliquid supra ens. quod non sit essentialiter inclusum in ente; unde valet, *Rationalitas est entitas, irrationalitas est entitas;* in quo denotatur transcendentia entis.

Tenuit idem N. Fundamentals. Doct. multis locis, sed praecipue in 1. Sentent. dist. 8. quaest. 2. art. 1. ubi ait:

Quod non eodem modo comparantur praedicamenta ad ens, & ea, quae sunt generis, ad genus: Quia quae sunt in genere, sunt extra rationem generis &c. Sed praedicamenta non addunt aliquam perfectionem supra ens, ut hic de additione loquimur, quia sic additum est extra rationem ejus, cui fit additio: sed nihil est, quod non participet ente. Haec verba coincidunt cum allegatis D. Thomae, quare eodem modo suadent sententiam nostram.

3. A ratione probatur sic. Ens sive in concreto, sive in abstracto praedicatur formaliter de qualibet differentia rerum: ergo transcendit omnes differentias, & in eis essentialiter includitur. Patet consequentia, quia si de qualibet praedicatur, quaelibet differentia est entitas: sed ens transcendit omnem entitatem: ergo & omnem differentiam. Probatur antecedens, si ultimae differentiae non essent formaliter entitas, essent formaliter nihil, cum inter ens, & nihil, quae contradictorie opponuntur, non detur medium. Ut enim ait P. August. capite laudato in fine, *Ei quippe, quod est; non esse contrarium est:* ergo cum quaelibet differentia sit, ei nihil, & non esse contrarium est: sed quod habet non esse contrarium, est essentialiter ens:

er

VI. §. I. 451
ergo quaelibet differentia est essentialiter ens.

Confirmatur 1. Id est formaliter ens, quod est possibile formaliter: sed quaelibet differentia est formaliter possibilis: ergo quaelibet est formaliter entitas. Minor probatur. Illud est formaliter possibile, quod excludit formaliter contradictionem; sicut illud est formaliter impossibile, quod formaliter includit contradictionem: sed quaelibet differentia excludit formaliter contradictionem: ergo &c.

Explicatur. Illud est formaliter ens, quod excludit formaliter nihil: sed quaelibet differentia excludit formaliter nihil: ergo quaelibet est formaliter ens. Probatur min. Quaelibet differentia excludit formaliter suum contradictorium, v. g. rationale excludit carentiam rationalitatis: sed carentia rationalitatis, & cujuscumque differentiae, est nihil: ergo quaelibet &c. Major patet, quia unum contradictorium non excluditur à rerum natura formaliter, nisi per positionem alterius contradictorii.

Confirmatur 2. Verum, & intelligibile, quae sunt passionis entis, transcendunt ultimas differentias entis: ergo etiam ens. Consequentia

VI. §. I. 451
patet à paritate, & à ratione: cum nequeat enti denegari, quod conceditur ejus passioni, alioquin in aliqua differentia daretur veritas sine entitate, quod repugnat. Antecedens probatur. Quaelibet differentia formaliter ratione sui est intelligibilis; quis enim neget quod rationale ex se est intelligibile, ut contractivum animalis?

4. Ad haec omnia respondent Scotistae, quod duplex datur ens, unum *quid*, aliud *quale*. Primum dicitur substantivè, secundum adjectivè: intelliges terminos, si memoria teneas dicta à nobis lib. 4. in definitione generis, & differentiae. Hoc notato, docent quod differentiae non sunt ens *in quid*, & substantivè, quatenus dicit illud, quod potest realiter existere; & sic ens *in quid* non transcendit differentias. Concedunt differentias esse ens *in quale*: hoc est adjectivè, quatenus sunt aliquid adjacens enti: ceterum ens *in quale* non est transcendens, cum non sit ratio communis ullomodo differentijs.

Moventur ad sententiam istam tenendam, quia differentia est unice, & praecise ratio differendi; & sic non includit aliquid, quod sit ratio conveniendi: ergo non

includit ens, alioquin per ens conveniret una differentia cum alijs, & non esset pura ratio distinguendi. Hac ratione usi sumus lib. 4. quæst. 8. ad suadendum, quòd differentia infima non includit subalternas; sed rationes pro hoc allegatæ tenent pro univoca convenientia, & disconvenientia, quæ sunt tales simpliciter; secus pro analogia, de qua est sermo hic.

5. Hæc solutio impugnatur, tum quoad se, tum quoad motivum, nam movetur Scotistæ ex falso motivo. Licet differentia sint simplices, & ratio distinguendi, non tamen taliter, ut non admittant aliquam convenientiam saltem analogam: ergo non sequitur, quòd differentia non includant ens, quo analogicè convenient. Probaturs antecedens. In principijs Scotistarum differentia convenient in eo quòd sint ens *in quale*: rursus in eo quòd sint differentia; denique in eo quòd sint intelligibiles: ergo non taliter differentia sunt rationes differendi, ut excludant à se omnem convenientiam.

Rursus. N. Egidius in 1. Sentent. dist. 1. quæst. 1. art. 11. notavit, quòd etiam si reperiantur aliqua ita unum, ut in eis non sit diversitas: non

tamen est possibile aliqua esse ita diversa, ut in eis non reperiaturs aliqua unitas. Quare D. Dionys. 13. de Divinis nom. ait: *Nec enim est multitudo non participans ab uno*, supple unitatem, quæ sola ab uno potest participari. Quod prosequitur D. N. ibidem sic, quia quæ sunt multa accidētibus, sunt unum subjecto: quæ sunt multa numero, sunt unum in specie, & actualitate: quæ sunt multa speciebus, sunt unum genere, & potentialitate: & quæ sunt multa generibus, sunt unum analogia. Ergo differentia non possunt ita esse rationes differendi, ut excludant omnem convenientiam, etiam analogam.

6. Secundò impugnatur solutio secundum se. Implicat, quòd differentia sint ens *in quale*, & quòd non sint ens *in quid*: ergo implicat, quòd ens non transcendat omnes differentias. Probaturs antecedens. Id quod est ens *in quale*, est determinatio entis, ut sit in tali determinata perfectione entitativa: sed sic determinare solum potest id, quod est ens *in quid*: ergo. Probaturs min. Id, quod non est perfectio determinata de linea entis *in quid*, nequit constituere ens in determinata perfectione entitativa; nam *Nemo dat quod*

quod non habet, maximè in genere causa formalis: ergo solum potest dare perfectio- nem entis *in quid*, quod ex se est ens *in quid*.

Vergetur. Implicat quòd differentia sit id, quo ens constituitur in determinata perfectione entis, & quòd ipsa sit aliquid, & perfectio *ut quod*: ergo implicat, quòd sit ens *in quale*, & non sit ens *in quid*. Probaturs antecedens. Quod in se non est aliquid, & perfectio *ut quod*, in se formaliter est nihil: sed quod in se est nihil, implicat, quòd constituat ens in specie determinata entis: ergo.

7. Vidimus aliquando datam solutionem alijs terminis explicari. Dicebatur quòd differentia entis sunt ens *ut quo*, non tamen *ut quod*. Est dicere differentias esse id, quo constituitur ens in ratione entis; non tamen ipsas esse in se ens *ut quod*. En exempla. Intellectio constituit nos intelligētes *ut quod*; ipsa tamen non intelligit *ut quod*. Amor est id, quo Petrus constituitur amans *ut quod*; at verò amor non est amans *ut quod*, sed *ut quo*. Anima rationalis constituit compositum corporeum: attamen ipsa non est *ut quod* formaliter corporea, sed *ut quo*: ergo poterunt differentia esse ens *ut quo*, id est

id, quo constituitur ens in ratione talis, quin sint formaliter *ut quod* entia.

Hæc solutio solis verbis differt à Scotica impugnata, quare eisdem rationibus oppugnatur. Exempla potius suadent oppositum. Retorquebis illa sic: Omne *quo* fundatur in *quod*, & non stat sine eo: ergo nequit esse ens *ut quo*, illud quod in se formaliter est nihil *ut quod*. Probaturs antec. exemplis datis. Intellectio non esset *ut quo* intelligens, si non esset *ut quod* intellectio. Immò si amor non esset *ut quod* amor, & *ut quod* aliquid; item si anima non esset formaliter *ut quod* spiritua- lis, non posset amor constituere amantem, nec anima corporeum: ergo pariter, nisi differentia sint aliquid *ut quod*, non poterunt *ut quo* constituere ens.

8. Dices. Nos lib. 3. q. 7. §. 1. explicantes constitutum modi, diximus cum D. N. quòd modus non est nihil, nec ens in recto, sed obliquitas entis, & ens in obliquo: ergo eisdem principijs poterunt Scotistæ dicere differentias esse entia in obliquo, & in *quale*, non in recto, & in *quid*.

Respondemus nullam esse paritatem. Quia modus non est constitutus entis in determinata perfectione entitativa:

tativa, sed est sigillatio entis, ut ibi cum P. August. & N. Fund. D. explicatum est. Quod ergo non constituit ens, non debet esse ens; & sigillatio entis benè fit per obliquitatem entis, quia nō dat, nec constituit entitatem. At differentia constituit ens, quia constituit essentiam, quæ juxta P. August. laudatum hīc, & allegatum, dicitur ab esse. Immo ex prædicatis constitutivis essentia, nullum perfectius differentia, à qua sumitur actualitas specifica; unde nullum præ differentia constituit essentiam, & ens nominale: ergo debet esse ens ut *quod*, & in recto; nec facit paritas adducta de modo.

§. II.

Solvuntur argumenta contraria.

9. ARGVES primò: Per ultimam differentiam hominis præcisè differt, & non convenit cum alijs per illam; ergo illa differentia non includit ens. Patet conseq. Quia, si rationale includeret ens, etiam irrationale illud includeret; unde rationale, & irrationale convenirent in ratione entis; et sic in ratione entis rationale esset ratio conveniendi

hominem cum bruto. Antecedens prob. Si homo per ultimam differentiam cōveniret cum bruto, deberet dari alia differentia, per quam ab illo differret, & cū de illa differentia esset eadem difficultas, an includeret ens, daretur processus in infinitum in assignandis differentijs: ergo, ne detur, dicendum est, quod homo per ultimam differentiam taliter differt à bruto, ut per illam minimè cum illo conveniat.

Confirmatur: Ultima differentia est conceptus omninò simplex: ergo solum est ratio differendi, & consequenter non includit ens, quod est ratio conveniendi. Cōsequenter probatur. Si ultima differentia esset ratio cōveniendi, & disconveniendi, foret conceptus compositus ex ratione conveniendi, & ratione disconveniendi: ergo si est simplex, solum est ratio disconveniendi.

10. Hoc argumentum apertè instatur in sententia contraria, nam apud contrarios omnes differentia sunt ens *in quale*, vel ut *quo*: item omnes sunt cognoscibiles, & conveniunt in ratione communi differentia: ergo vel debent dicere, quod conceptus differentia ultimæ non est simplex, vel licet sit simplex, non est

est tamen pura ratio disconveniendi, cū in relatis conveniant.

Respondetur secundò neg. antecedens, cujus falsitas constat ex dictis num. 5. cum D. Dionys. & D. N. Ad probationem dist. anteced. si homo conveniret per differentiam cum bruto, si conveniret univocè, concedo, si analogicè, nego anteced. & conseq. convenientia univoca est totalis, & simpliciter talis; quare ut removeatur, debet excludi per differentiam superadditam generi. At verò convenientia analogica est cōvenientia aliqualis, mixta cum disconvenientia: unde ipsa convenientia analogica est disconvenientia; quare quæ conveniunt analogicè, vi ejusdem conceptus differunt sine aliquo superaddito.

Ad Confirmationem concedimus quod differentia est conceptus simplex; nego tamen quod sit solum ratio disconveniendi. Ad probationem conseq. nego antecedens. Nam licet ratio conveniendi univocè, faciat compositionem cum ratione disconveniendi; non tamen ratio conveniendi analogicè: quia ad compositionem requiritur quod unus conceptus excludat alium, sic se habet univocus cōveniendi excludens differentias, secus

analogus. Hujus ratio data est jã, quia univocus est totalis ratio conveniendi; analogus est simul ratio conveniendi, & disconveniendi.

11. Argues secundò: Ratio communis non includitur in ratione determinante; animal enim non includitur in rationali: sed ratio entis determinatur per differentias, quales sunt *per se*, & *in alio*, quibus determinatur ens ad substantiam, & accidens: ergo in differentijs non includitur ens.

Confirmatur primò: Ens non est de essentia perfectitatis; ergo non transcendit differentias. Probatur antecedens. Perfectitas nō diffinitur per ens: ergo. Probatur anteced. Perfectitas est conceptus superadditus, & adveniens enti: sed nihil diffinitur per illud, cui a dvenit: ergo.

Confirmatur secundò: Perfectitas non diffinitur per solum ens: ergo diffinitur per ens & aliquid aliud: sed hoc aliud est differentia entis: ergo differentia entis non est ens, sed aliquid aliud. Tertiò: Modus non est res, cujus est modus, sed est determinatio rei: sed perfectitas est modus entis: ergo non est ens, sed modus entis.

12. Hoc argumentum fundatur in difficultate explicandi quomodo ens descendit

dit ad sua inferiora. Videmus enim quòd animal descendit ad hominem, & brutum per additionem conceptus differentialis, scilicet per *rationalis*, & *irrationalis*: unde homo aliquid aliud est præter animal, nam etiam est rationale, quod est quid superadditum generi animalis. Contrarij volūt quòd sicut animal descendit ad hominem per rationalitatem perfectionem superadditam animali; sic ens descendat ad substantiam per perfectitatem, ut perfectionem enti superadditam; quare docent quòd perfectitas est perfectio, & non est ens. Contra hoc expressè militant D. Thomas, & B. Ægidius laudati docentes quòd *prædicamenta nihil addunt supra ens, & quòd enti nihil potest addi extraneum*. Militat & P. August. ubi suprà docens: *Quod nulla res est, omnino nihil est*: quare si perfectitas non est ens, non erit perfectio, sed erit omninò nihil.

Dicendum ergo quòd ens descendit ad substantiam, & accidens, per suas differentias, scilicet per perfectitatem, & inalienitatem: ceterùm istæ differentiarum nihil addunt enti, nisi majorem expressionem. Nam sicut *animal rationale* nil addit supra hominem, nisi majorem expressionem, quia solum explicat id, quod homo implicat: sic perfectitas, & inalienitas

sunt modi, aut differentiarum entis, explicantes quòd implicatur in ente; quare enti non addunt nisi majorem expressionem. Hæc doctrina est D. Thomæ & B. Ægidij locis laudatis: ex qua.

1. Ad argumentum respondeo quòd ratio communis univoca & generica, non includitur in ratione determinante; nam determinatur per veram, & propriam contractionem, & additionem: talis est ratio animalis contracta per rationalitatem. At ratio analogica, quæ solum determinatur per majorem expressionem, debet necessario includi in ratione determinante; talis est ratio entis, quæ contrahitur per perfectitatem non addentem nisi majorem expressionem.

Dices. Rationale stricte contrahit animal: ergo stricte contrahit rationem entis propriam animalis. Sed quia stricte contrahit animal, addit aliquid supra animal: ergo si stricte contrahit rationem entis, propriam animalis, aliquid addit supra ens animalis proprium. Responderetur concessio toto discursu, qui non est contra nos. Nos loquimur de ratione entis in communi, quæ est analogica: replica procedit de ratione entis propria animalis, quæ est univoca, sicut animal:

mal: quare licet hæc contrahatur per veram additionem, secus illa, quæ solum contrahitur per majorem expressionem.

Ad primam confirmationem, nego antecedens, ad probationem, nego antecedens: ad probationem dic, quòd perfectitas est modus superadditus enti quoad explicitum, sed non quoad implicitum, quia solum addit majorem expressionem. Ad secundam confirmationem dic, quòd perfectitas diffinitur per ens, & aliquid aliud quoad explicitum, non verò quoad implicitum. Sic homo non diffinitur per *homo*, sed per aliquid aliud; attamen hoc aliud, scilicet *animal rationale*, solum est aliud quoad explicitum, non quoad implicitum. Ad ultimum dic, quòd modus, qui est major expressio rei, non distinguitur à re cuius est modus: talis est perfectitas respectu entis.

14. Argues tertio. Petrus est magis similis Paulo, quam equus homini: sed si ens transcederet omnes differentias, non esset hoc verum: ergo ens non est transcendens. Probatur minor. Si ens transcederet differentias omnes, homo, & equus convenirent in ratione animalis, & rationalis, & irrationalis,

& insuper in differentiis individualibus: sed Petrus, & Paulus in hoc solum conveniunt: ergo &c. Probatur major. Differentiarum individualis, & rationale, & irracionale per nos sunt entia transcendens ab ente: sed homo, & equus conveniunt in ente: ergo &c.

Confirmatur ex alio inconvenienti. Quidquid est ens, causatur à Deo: ergo vel malitia peccati non est ens, vel causatur à Deo. Sed hoc secundum non potest dici: ergo dicendum, quòd malitia est aliquid contentum sub ente, quod tamen non est ens; & sic ens non transcendit omnia inferiora.

Confirmatur 2. Si ens esset de conceptu essentiali rationalis, tunc nec distingueretur ab eo distinctione excludentis, & exclusi; nec item rationale differeretur nisi per ens: sed in definitione rationalis non ponitur ens; aliunde distinguitur ab eo distinctione excludentis, & exclusi: ergo ens non transcendit rationale. Minor quoad primam partem est certa, quoad secundam probatur sic. Ideò animal distinguitur à rationali distinctione excludentis, & exclusi, quia respiciunt diversa connotata; scilicet animal sensationem, & ratio-

nale discursum : sed etiam ens & rationale respiciunt diversa connotata ; nam rationale respicit discursum , ens verò dicit ordinem ad existentiam : ergo distinguuntur distinctione excludentis , & exclusi .

15. Ad argumentum respondeo disting. maj. Petrus est magis similis Paulo & c. extensivè , nego maj. intensivè , concedo maj. & sub eadem distinctione , nego min. & consequentiam . Nec aliud convincunt probationes , nisi quòd sicut Petrus & Paulus conveniunt in omnibus per ens , sic etiam homo , & equus . At Petrus & Paulus conveniunt univocè , & simpliciter in ratione generica , & differentiali , & in differentiis individualibus per ens conveniunt analogicè , & secundum quid . Quo fit , ut conveniant simpliciter in duobus , & secundum quid in uno . Sed homo , & equus convenientes solum univocè in ratione generica animalis conveniunt simpliciter in uno solum , & in reliquis secundum quid . Quare in convenientia simpliciter sunt inæquales ; licèt in extensiva , & secundum quid sint æquè convenientes .

Ad primam confirmationem dic , quòd malitia peccati non causatur à Deo : at tamen nega , quòd continetur sub ente , & sit aliquid .

Nihil certius in P. Augustino quàm quòd peccatum pro formali est nihil : unde supra illud Joan. 1. *Sine ipso factum est nihil* , addit P. N. *id est peccatum* . Ergo quia peccatum pro formali est nihil , & non ens & sic non continetur sub ente . Conformiter ad hæc docent alij SS PP. peccatum pro formali non consistere in positivo : cujus contrarium cum Cajetano docent aliqui RR. sed difficulter evadunt difficultatem explicandi quomodo non causetur à Deo malitia , cum Deus causa sit omnis entis positivi .

Ad secundam confirmationem dic , quòd licèt ens sit de conceptu essentiali rationalis , non ponitur in ejus diffinitione , quia in diffinitionibus solum ponuntur prædicata univoca , non autem transcendentia : ens autem est prædicatum transcendens . Ad aliud de distinctione nego quòd ens distinguatur à rationale , distinctione excludentis , & exclusi ; ad probationem hujus , neg. causalem , quæ non est data ab arguente . Causalis est hæc , scilicet quòd ordo animalis ad sensationem non est de conceptu essentiali ordinis ad discursum . Secus in nostro casu ; nam ordo entis ad existentiam est de conceptu essentiali ordinis rationalitatis ad discursum .

QUÆSTIO QUINTA.

Verum ens sit analogum ad Deum, & creaturas ad substantiam, & accidens ?

§. I.

Deciditur questio quoad Deum, & creaturas.

I. SUPPONIT hæc quæstio divisionem hæc primam entis in creatum , & in increatum quæ N. Ægid. vocat primam analogiam entis : sed quærimus an ratio entis communis Deo & creaturis sit analogica ? Negant aliqui , docentes esse purè æquivocam . Ita Rabbi Moyse citatus , & impugnatus à D. Thoma . Pro eadem allegatur Aureolus . Sed cujuscumque sit hæc sententia falsissima est , & cum D. Thoma quæst. 7. de Potent. art. 7. impugnatur sic : Si ens foret purè æquivocum ad Deum , & creaturas , ratio significata per nomen ens , solum esset in Deo . quare nulla creatura foret intrinsecè ens , sed sola voce diceretur esse : at hoc est contra Apostol. ad Rom. docentem , ex esse creaturarum nos devenire in cognitionem esse Divini . Rursus nulla creatura esset Deo similis similitudine fundata in entitate intrinseca . Tandem

nulla creatura haberet esse factum . Quæ omnia absurda sunt : ergo & ponere ens purè æquivocum ad Deum , & creaturas . Vide dicta q. 3. hujus lib. num. 14 .

Negant etiam esse analogum ens ad Deum , & creaturas , qui putant esse illis univocum . Refertur Scot. 1. Sentent. dist. 3. quæst. 2. §. *Ad questionem* , cum quo Scotistæ allegati à Merinero . Ex alijs Arriaga , & aliqui DD. Societ. ex nostris Sierra , & Ariminensis , licèt hic in 1. distinct. 8. quæst. 3. non agat de ente , sed de alijs perfectionibus .

Affirmativa sententia est P. August. D. Thomæ , B. Ægidij , cum quibus Thomistæ omnes , & DD. nostri , quos allegat , & sequitur N. M. Villanova disput. 5. dub. 7. cap. 1. cum his dicimus ens esse analogum ad Deum , & creaturas .

2. Probatum t. ex M. P. Augustino lib. de Categ. cap. MMM 3

cap. 5. ubi docet ens ad Deū, & creaturas esse æquivocum à consilio; sed ex dictis patet quòd juxta Aristot. & P. August. analogia dicuntur æquivoca à consilio: ergo ens ad Deum, & creaturas est juxta Sanctissimum P. analogum. Ibidem cap. 7. insinuat tale ens non esse purè æquivocum, vel fortuito æquivocum, nam dicit: *Fortuito æquivoca sunt, cum quodam casu simile quis alteri nomen imponit: At creaturæ non dicuntur entia à casu, sed à consilio, quia habent esse simile esse Dei, quæ similitudo explicatur nomine ens: ergo ens non est purè æquivocum, sed verè analogum ad Deum, & creaturas.*

Rursus eodem lib. cap. 9. negat ens tale esse univocum, quia negat substantiam habere genus; quod haberet, si ens univocum foret. Tandem lib. 5. de Trinit. cap. 2. docet, quòd esse perfectiùs convenit Deo, quàm creaturis. Hic autem nedum insinuat ens esse analogum eis, sed rationem probativam analogiæ, scilicet inæqualem participationem rationis communis, de qua infra.

Sed expressiùs docet sententiam nostram lib. 7. Conf. cap. 11. Deum alloquens sic: *Inspexi cetera infra te, & vidi nec*

omnino esse, nec omnino non esse; esse quidem, quia abs te sunt, non esse autem, quia id quod est non sunt; id enim verè est quod incommutabiliter manet. Ex quo sic. Eo modo se habet ens ad Deum, & creaturas, quo est unum ad Deum, & creaturas; sed unitas entis ad Deum & creaturas non est unitas pura, sed mixta cum distinctione; quare non est unitas univoca, sed analogia, ut constat ex dictis quæst. 2. à num. 4. ergo ens est analogum ad Deum, & creaturas. Probatur min. Unitas entis erit pura respectu eorum, quæ purè sunt, quod enim non est, non participat unitatem entis, quod est, & quod purè & omnino non est, non participat purè, & omnino unitatem entis; sed creaturæ juxta P. August. nec omnino sunt, nec omnino non sunt: ergo unitas entis ad Deum, & creaturas non est pura, sed mixta cum diversitate.

Clariùs. Ratio entis est ratio conveniendi eis quæ sunt, & ratio disconveniendi eis quæ non sunt; sed solus Deus est omnino; creatura autem juxta S. P. partim est, & partim non est: ergo relatione ad creaturas ratio entis non est pura ratio conveniendi, sed etiam ratio disconveniendi. At ratio conveniendi mix-

mixta cum ratione disconveniendi, est ratio analogia, ut constat ex definitione analogorum, & ex dictis quæst. 2. hujus libri: ergo ratio entis analogia est &c.

3. Probatur 2. ex D. Thoma 1. contra Gent. cap. 32. dicente: *Relinquitur ergo nihil de Deo, & rebus alijs univocè predicari.* Quod alibi sæpè docet: at quæst. 7. de Potentia, art. 7. probat ens non esse æquivocum: ergo restat esse analogum. Idem docet B. Ægidius quæst. 1. de Ente, & essentia, & quæst. 11. §. *Ostendo quod dicit: Prima divisio entis, & prima analogia ejus, est secundum causam, & causatum; secundum esse purum, & participatum, & infra: Prima enim facie dividimus ens in ens per essentiam, & per participationem.* Ecce ens analogum ad Deum, & creaturas; immò hæc est prima analogia ejus, quia est prima divisio rationis analogæ in sua analogata.

4. A ratione probatur ex dictis tota quæst. tertia præcedenti. In ente communi Deo, & creaturis adsunt omnes causæ analogiæ: ergo ob omnes illius causas ens est analogum ad Deum, & creaturas. Probatur antecedens. Causæ analogiæ sunt transcendentia, dependentia in participanda ratione com-

muni; inæqualitas in participando rationem communem, & diversitas potentialitatis: at omnes istæ causa apparēt in ente relatè ad Deum, & creaturas: ergo &c. Major patet ex quæst. 3. Minor facile ostēditur per partes.

Et primò quoad transcendentiam. Nam nulla est formalitas in Deo, aut in creatura, quæ non sit ens; sicut nulla est quæ non sit aliquid, & formaliter excludat nihilū: ergo quia ens est transcendēs omnes differentias Dei, & creaturarum. Vide dicta quæst. 3. n. 3. & ea repone hic.

Quantum ad dependentiam: Creatura non solum secundum rationem talis entis pendet à Deo; sed etiam secundum rationem communem entis: ergo ratio communis entis importat dependentiam creaturæ à Deo in ipsa ratione communis & hæc est causa secunda analogiæ, ut probatum est. Probatur antecedens. Nullum est prædicatum in creatura, quod non sit creatum, productum, & ab alio (ut docet Fides) sed omne creatum est dependens, ut patet: ergo nedum ratio talis entis in creatura, sed ratio entis communis in ea reperta est dependens à Deo: quare adhuc in ratione communi entis dicit dependēntiam.

Urgetur: Omne esse creaturæ est dependens: ergo ne dum in ratione talis entis, sed in ratione entis importatur dependentia creaturæ à Deo. Antecedens patet, quia omne esse creaturæ est ab alio & sic dependens. Cōsequētia probatur. Nā si creatura secundum rationē communem entis non dependeret, jam haberet secundum aliquem conceptum esse independens, & secundum talem conceptum foret ens à se, quod est contra Fidem: ergo cum secundum omnem conceptum & secundum omne suum esse sit ab alio, & dependens, dicendum est, ipsam dependere, ut est ens, & quod dependentia creaturæ à Deo est etiam in ratione communi entis. Hæc causat analogiam, ut q. 3. probatum est: ergo ratio entis est analoga ad Deum, & creaturas.

5. Quantum ad inæqualitatem. Nemo dubitat ens inæqualiter dici de Deo & creaturis, quia de Deo dicitur simpliciter, & summè; de creatura mutabiliter; vide dicta hic ex P. August. num. 1. At hæc inæqualitas non reluctat solum in differentiis Dei, & creaturæ, sed in ratione communi entis: ergo cum inæqualitas in ratione communi causet analogiam, ratio entis erit analoga ad Deum, & creatu-

ras. Probatur minor. Primò, quia ratio communis entis in Deo est summū esse; ratio verò entis in creatura non est summū esse: ergo inæqualitas reluctet etiam in ratione communi entis. Secundò, ratio communis entis in Deo est independens, in creaturis est dependens; cum nullum prædicatum in Deo sit, quod sit ab alio, aut in creatura, quod sit à se; sed inæqualitas oritur ex aseitatem, & dependentia: ergo si in ratione communi apparet dependentia in eadem reluctet inæqualitas.

Quantum ad potentialitatem: Quæ nullo genere conveniunt, si conveniant, conveniunt analogicè: sed Deus & creatura conveniant in ente, & non conveniunt genere: ergo ratio entis in qua conveniunt est analoga. Major patet ex dictis q. 3. num. 11. Nam non est possibilis convenientia univoca, quæ sit minor quàm generica. Minor probatur primò, quia si convenirēt genericè in ente, jam Deus esset compositus ex genere, & differentia, quod negatur à Theologis ob summam Dei simplicitatem, & actualitatem. Secundò: Quæ differunt potentialitate, differunt genere juxta Arist. 1. de Cœlo, juxta quem inde probatur: Quod corruptibile, & incorruptibile dif-

ferunt genere; at magis differt & distat Deus à creaturis, quàm creaturæ corruptibiles ab incorruptibilibus: ergo si hæc non conveniunt in genere, minus Deus & creatura. Hæc minor est de Fide, & constat, quia creaturæ omnes & si incorruptibiles possunt anihilarī, nec sunt essentialiter suū esse; secus Deus; qui solus habet immortalitatem, ut dicit Scriptura ad ostensionem suæ immutabilitatis.

§. II.

Deciditur questio quantum ad substantiam, & accidens.

6. SICUT prima analogia entis, & prima distinctio est in creaturam & in increatam; ita secunda distinctio entis creati est in substantiam & accidens. Hæc conveniunt in ratione entis creati, de qua quærebatur, an esset analoga? Respondemus affirmativè cum DD. citatis conclusione præcedente, & est expressa sententia M. P. N. August. explicantis Aristotelem lib. de Categorijs cap. 9. ubi dicit sic: *Sed usia* (intellige substantiam, quam Græci vocant *usiam*) *quoniam secundum artem definiti non poterat, quæ præcipit, ut definitio, quo possit tendi la-*

tius, à genere sumat exordium, ipsa autem usia genus non habet &c. En substantia non habet genus supra se, quo possit diffiniri, sed si ratio entis ei communis esset univoca, jam substantia haberet genus, quo conveniret cum accidentibus: ergo si non habet juxta S. P. idè est quia ens non est univocum, sed analogum ad substantiam & accidens.

Confirmatur ex S. P. qui docet rationem entis inæqualiter participari per creaturas: lib. 12. de Civ. Dei cap. 2. ait: *Cum enim Deus summa essentia sit, hoc est summè sit, & incommutabilis sit, rebus quas ex nihilo creavit, esse dedit. sed non summè esse, sicut ipse est: & alijs dedit esse amplius, alijs minus, atque ita naturas essentiarum gradibus ordinavit.* Ecce ens descendit inæqualiter ad creaturas, quibus Deus dedit esse, alijs plus, alijs minus: ergo nedum accidens, & substantia inæqualiter participant rationem entis, sed etiam ipsæ substantiæ. At inæqualitas in ratione communi causat analogiam, ut q. 3. probatum est: ergo juxta S. P. & veritatem ratio entis est analoga ad substantiam & accidens; imò & ad ipsas substantias.

7. Dices: Hæc inæqualitas non est in ratione communi entis, sed in partialibus differentiis, quæ non causat ana-

analogiam, ut patet in animalitate hominis, quæ perfectior est animalitate equi, quin obstat univocationi, quia illa major perfectio in homine nascitur ex differentia rationalitatis, non ex ratione communi animalis. Talis est inæqualitas creaturarum quoad esse; & patet ex auth. allegata S. P. Nam dicit, quod Deus dando esse inæquale, ordinavit naturas creaturarum, & quasi distinxit: sed distinctio, & ordinatio distinctiva oritur ex differentiis: ergo inæqualitas creaturarum quoad esse ens oritur ex differentiis. Hæc non causat analogiam, ut patet.

8. Sed contra. Nam hæc inæqualitas oritur ex ratione communi entis: ergo est talis ut causet analogiam. Probatur antecedens. Illa inæqualitas oritur ex aliquo, quod formaliter, & essentialiter est ens vel entitas: ergo oritur ex ratione communi entis. Antecedens patet, quia quod non est formaliter ens, est nihil: & à nihilo non potest oriri inæqualitas habendi esse. Rursus: Illa inæqualitas est in perfectione entitativa; & sic non potest sumi, nisi ab eo quod est formaliter ens. Consequenter etiam patet; quia si quodcumque causans inæqualitatem illam est ens, jam ens causat illam inæqualitatem.

Huc reponere aliam probationem ex dictis. Nam ratio transcendens ultimas differentias est ratio analogica: sed ratio entis transcendit ultimas differentias substantiæ, & accidentis: ergo est analogica ad substantiam & accidentem. Consequenter tenet: maj. probata est q. 3. §. 1. Minor etiam probata est tota q. 4. Omitterimus auctoritates D. Thomæ & B. Ægidij, quia locis datis & alibi sæpè docent nostram sententiam.

9. Quæres: An ratio entis completi sit analogica ad omnia prædicamenta? Dicuntur entia completa, quæ ponuntur directè in prædicamento, ut homo, quantitas, calor: incompleta sunt, quæ non directè, sed ad latus, & indirectè ponuntur in prædicamento, v.g. materia, forma, caput, manus, & omne ens parziale. Suprà actum est de ente communi completo, & incompleto; nunc est sermo de completo. Et ut videas differentiam utriusque nota has propositiones: *Per seitas est ens: Per seitas est ens completum.* Prima est vera, & secunda falsa, quia ens ut sic, est commune omni enti, & transcendit quamcumque differentiam; sed ens completum non transcendit differentias, quare differentia substantiæ non est ens completum. De hoc quærimus nunc, & cum

certum sit non esse transcendens, quærimus, an sit analogum ad omnia prædicamenta?

Respondemus affirmativè cum P. Aug. D. Thoma, & B. D. locis datis, ubi de mente Arist. docent prædicamenta esse genera suprema: sed si ratio entis completi foret univoca ad prædicamenta, esset eis genus omnium supremum & prædicamenta essent genera sub altera enti completo: ergo tenendum est, quod ens completum non est univocum ad omnia prædicamenta. Adde quod ex opposito sequeretur, quod substantia haberet genus, scilicet, ens completum; quo posset secundum artem logicam diffiniri. Hoc est contra P. Aug. de mente Aristotelis id negantem cap. 9. lib. Categ. vide num. 6.

10. Quæres secundò: An ratio accidentis sit analogica ad omnia prædicamenta accidentium? Supponimus, quod ratio communis accidentis præscindētis à completo, & incompleto est analogica ad omnia accidentia: ratio est clara ex dictis. Nam accidens sic est non minus transcendens inferiorum differentias, quam ens relatè ad omnia entia: sed quoniam ens est sic transcendens, est ratio analogica ad omnia entia: ergo & accidens sic

transcendens est analogum ad omnia prædicamenta accidentis. Hinc non procedit dub. de accidenti sic communi, sed de ratione accidentis completi, quæ certè transcendens non est; quia de differentia qualitatis v.g. est falsum dicere, quod sit accidens completum, sicut & quod ens completum sit.

Dicendum tamen cum DD. suprà laudatis, quod accidens completum est ratio analogica ad 9. prædicamenta. Probatur. Quia si foret ratio univoca, esset genus supremum ad 9. prædicamenta. Quo fieret, ut novem prædicamenta accidentium non essent genera suprema; item solum darentur duo prædicamenta suprema, scilicet substantia completa, & accidens completum. At hoc est contra Aristot. & communem sententiam: ergo &c. Adde quod accidentia omnia completa perficiunt substantiam, vel intrinsecè, ut quantitas, qualitas, & relatio, vel extrinsecè & modaliter, ut sex ultima prædicamenta, sed perfectio in essentia, & existentia non conveniunt univocè in ratione perfectionis: ergo nec accidentia in ratione accidentis completi perficiuntur.

§. III.

Solvuntur argumenta contra omnes assertiones.

II. **C**ONTRA omnes assertiones positae generale argumentum est, quod tota inaequalitas & dependentia inferiorum entis, substantiae, & accidentis cōpleti, nascitur ex differentiis, non autem ex ratione communi: sed analogia solum causatur, quando datur inaequalitas, aut dependentia in ratione communi: ergo in ente &c. non est analogia ad sua inferiora. Major non facile probatur à Scotistis, nisi argumentis quibus probatur, quod ratio entis potest praescindi ab inferioribus; in ratione autem sic praescisa nulla est dependentia, nec apparet inaequalitas. Rursus: Ratio, quae potest ab inferioribus praescindi univoca est logicè, etsi physicè sit analoga: at ratio entis potest praescindi ab inferioribus & idè dic de ente completo & cōpleto accidenti: ergo rationes istae sunt univocae. Minorem probant multis, de quibus infra q. ultima hujus libri.

Hoc argumentum solvitur ex doctrina danda, dum negemus praescisionem en-

tis perfectam, quae necessaria est ad univocationem. Interim dic, quod ex praescisione entis non probatur apud omnes DD. univocatio; quia P. Suarius in Metaph. disp. 28. admittit ens praescindere ab inferioribus, & negat esse univocum. An autem procedat cōsequenter in utroque, nostrum non est in praesenti decidere. Ipse tamen utrumque conciliat dicens, quod in ratione sic praescisa, apparet analogia, & inaequalitas, & dependentia; quia ratio illa petit inaequaliter descendere ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens, & cum dependentia unius ab alio, quae non nascitur purè ex differentiis, sed petitur à ratione cōmuni, ut ad inferiora descēdat. Quid quid sit de isto modo dicendi probabili, nostra sententia cum M. P. Aug. D. Thom. & B. Aegid. negat praescisionem entis perfectam, ut videbimus: quare ex illa nullum est hoc argumentum pro univocatione entis.

Argues secundò contra primam conclusionem. In linea entis Deus est mensura creaturarum; sed mensura debet esse ejusdem rationis cum mēsurato: ergo Deus & creatura sūt ejusdè rationis in esse entis, & consequenter univocè conveniunt in illa. Confirmatur

tur primò: Nil cognoscitur, nisi per aliud quod sit ejusdem rationis cum illo; sed per esse Dei cognoscuntur creaturae à Deo: ergo Deus in esse entis est ejusdem rationis cum creaturis. Confirmatur secundò: Primum in uno quoque genere debet esse maximè unum, sed in genere intelligibile ens est primum: ergo ens est univocum: Minor constat ex 1. Physic. in princip. ubi Arist. ait. Quod primò quod intelligitur ab intellectu est ens.

Confirmatur tertio: Ens est objectum intellectus & Metaphysicæ, sed intellectus est unus unitate univoca (idè dic de Metaph.) ergo etiam ejus objectum. Patet consequentia. Nam habitus, & potentia sumunt suam unitatem ab objecto; & cum nemo det quod nō habet, si intellectus ab objecto habet unitatem univocam, ens, quod est objectum intellectus, erit unum unitate univoca.

Confirmatur quartò. Diverfitas orta ex differentiis non tollit univocationem rationis communis; sed diversitas Dei, & creaturarum, oritur ex differentiis, scilicet ex ratione finiti, & infiniti, quae sunt differentiae Dei, & creaturarum: ergo ratio entis est univoca, ad Deum, & creaturas.

Ad argumentum dic; quod Deus in esse entis non est mēsuram homogenea creaturarum sed & heterogenea: sola homogenea petit esse ejusdem rationis cum mēsurato. Si quæras cur Deus mensura sit heterogenea? Dicimus quia infinite excedit esse creaturarum, quod mensurat.

Ad primam confirmationem dic, quod ut unum cognoscatur in alio, debet esse illud aliud æquale, vel excedēs. Deus cognoscit creaturas in sua essentia Divina eminenter contentas: quare esse Dei non est æquale, & ejusdem rationis cum creaturis cognitis, sed eas excedens.

Ad secundam confirmationem dic ibi contineri duo principia, quae egent explicitatione; alterum est hoc *Primum in unoquoque genere est maximè unum*. Si sermo est de primo simpliciter primo, est verum. At hoc primū non est ens in communi, sed est Deus, qui est simpliciter primum ens, ex cujus participatione reliqua sunt entia; & prima veritas ex cujus participatione reliqua sunt vera; & eodem sensu est primum intelligibile simpliciter. De hoc concedimus, quod est maximè unum; sed nil contra nos, nec in favorem arguentis. Si ta-

men illud principium intelligitur de primo cognito ordine potentialitatis; quia nostra cognitio incipit ab universalioribus prædicatis; hoc modo ens est primum, quia est universalius ad omnia; sed non est maximè unum; immò est unum unitate analogâ, quæ infima est inter unitates, cum sit conjuncta cum diversitate. Quare illud principium intellectum nõ de primo simpliciter, sed de primo ordine potentialitatis est falsum in primo sensu. Major est vera, sed minor non est ad rem, quia ens in communi non est primum simpliciter. In secundo sensu major est falsa, & sic nil cõcludit contra nos.

Ad tertiam confirmationem Nostr. M. Villanov. adducit N. B. Ægidij doctrinã 1. Poster. textu 41. ut ostendat, quod unitas analogâ objecti non obstat unitati univocæ scientiæ, & potentiæ. Eandem doctrinam tradit D. N. in 1. distinct. 36. quæst. 2. art. 1. Nec aliam solutionem invenies apud alios DD. solutio verissima est, & de mēte Aristot. qui docet objectum Metaphysicæ esse ens, ut ens; cum tamen apud ipsum Metaphysica sit una unitate perfecta; ens verò unitate imperfecta, & analo-

ga. Quomodo ergo ens dat Metaphysicæ unitatem perfectam, quam non habet? In hoc est difficultas: sed juxta principia Thomistica solvitur difficultate æquali, vel majori in Logica, quæ ab objecto habet unitatem realem; cum tamen apud hanc sententiam objectum Logicæ sit ens rationis, quod talem unitatem non habet. Restat hoc explicare quomodo sit.

Dicimus quod objectum solum extrinsecè terminando dat unitatem; non verò intrinsecè. Quia unitas scientiæ non sumitur intrinsecè ab objecto, sed ab ordine, quem dicit ad objectum. Ordo Metaphysicæ ad ens, est unus unitate perfecta, & sic evadit una scientia unitate perfecta. Sic Logica non specificatur intrinsecè juxta Thomistas, ab ente rationis, sed ab ordine quem dicit ad tale ens. Hic ordo est realis, & unus unitate reali. Et sicut ens rationis intrinsecè non habet unitatem realem, quam det Logica, habet tamen extrinsecè, quia potest terminare realem ordinem scientiæ ad ipsum. Ita ens, quod intrinsecè non habet univocationem, habet illam objectivè, & extrinsecè, quia licet in se sit ratio analogâ potest terminare ordinem scientiæ, perfecte.

fecta unitate gaudentis.

Ad quartam confirmationem disting. maj. Orta ex differentiis inclusis in ratione communi, nego majorem; non inclusis in ratione communi, concedo majorem: sed in hoc sensu, nego min. & consequentiam. Magis perfectum est animal hominis, quàm animal equi; quia in homine identificatur cum rationalitate, secus in equo. At quia hæc inæqualitas oritur ex differentiis, rationale, & irrationale; & istæ differentiæ non includuntur in animali, sed excluduntur, ut diximus lib. 3. quæst. de præcisione objectiva: idè hæc inæqualitas orta ex differentiis, sic exclusis, non tollit univocationem logicam animalis. In ente nõ sic. Nam diversitas Dei, & creaturæ in ratione entis, licet oriatur ex differentiis finiti, & infiniti: at istæ differentiæ essentialiter includuntur in ente, nec potest ab eis præcindi perfecte, ut dicemus. Quare in ipsa ratione communi apparet unitas cum diversitate, & hæc est sola unitas analogorum.

15. Argues 3. contra secundam conclusionem. Accidens in ratione entis non dependet à substantia: ergo ratio entis est univoca ad utrumque. Probatur antece-

dens. Quod convenit accidenti in quantum ens, convenit omni enti: sed dependere à substantia, non convenit omni enti; cum substantia sit ens, nec dependeat à se ipsa: ergo. Confirmatur. Accidens non est ens metaphoricè, nam verè existit, & operatur: ergo est simpliciter ens, & sic univocè.

Ad argumentum respondetur primò omisso antecedenti neg. consequentiam. Nam cum plures sint causæ analogiæ, ablata dependentia accidentis à substantia, remanet transcendentia, quæ sufficit se sola causare analogiã. Adde nos probasse hanc analogiam cum P. August. ex inæquali participatione entis: ergo dato quod accidens non dependeat à substantia, ut sit ens, remanet ens analogum. At quoniam plures probant analogiam istam ex dependentia, quia accidens non est ens, sed entis ens: idè pro eis respondemus 2. neg. anteced. ad probationem disting. maj. Quod convenit accidenti, in quantum ens pro explicito, convenit omni enti, concedo maj. accidenti in quantum ens pro implicito, nego maj. Dependere à substantia pertinet ad implicitum entis convenientis accidenti, non verò ad explicitum: & idè non

sequitur, quod conveniat omni enti. Ad confirmationem dic nos non negare, quod accidens sit intrinsecè ens; negamus quod sit ens simpliciter, quia est tale secundum quid, quod non obest, ut existat, & operetur. Adde quod numquam est æquale substantiæ: ergo inæquale est ens; & sic tenet ratio nostræ secundæ conclusionis.

16. Argues quartò contra quartam conclusionē, nam contra tertiam nil est speciale. Ratio substantiæ completæ est univoca ad omnes substantias completas; & idèd ponitur pro primo genere supremo in arbore prædicamentali: ergo licèt ratio accidentis communissima sit analogà, quia transcendens; at ratio accidentis completi, quæ non transcendit, erit univoca, & sic genus supremum, sicut substantia.

Confirmatur. Omnia accidentia taliter conveniunt in ratione accidentis completi, ut unum non dependeat ab alio in participanda ratione communi; Rursus cum hæc non sit ratio transcendens, ut fatemur; nec inæqualiter participetur ab inferioribus, non est caput, unde probetur talē rationem esse analogam: ergo refutat, quod univoca sit ad novem prædicamenta.


17. Ad argumentum respondemus neg. consequentiam, & omisiss alijs, quæ nullam ferè ostendunt disparitatem, dici eam esse, quod substantia est completa ante suas differentias corporeitatis, & incorporeitatis, cum antecederet sit ens per se, & intelligatur completa per perfectitatem. Hinc fit quod substantia ante differentias completa sit univoca, & idèd genus supremum. At accidens non intelligitur completum ante suas differentias prædicamentales, sed per illas: nam completur per ordinem ad substantiam, cui inhæret, & quam perficit: sed prædicamenta distinguuntur per diversum modum perficiendi substantiam: ergo per differentias prædicamentales completur accidens, non ante eas. Ergo ratio accidentis completi includit differentias novem prædicamentorum, & sic non est una perfectè, sed habet unitatem mixtam cum diversitate, quæ est propria analogorum, ut dictum est.

Ad confirmationem dic, quod accidentia completa unum non dependet ab alio, nec ei attribuitur: at ambo dependent à tertio, ad quod attribuantur, quia scilicet dependent à substantia, cui attribuantur, ut quæstione sequenti dicemus. Sic ens Petri non de-

dependet ab ente Pauli & tamen est eis analogū ens; quia utrumque pendet à Deo, ad quem dicit attributionem, ut videbimus.

Ex dictis colliges optimè Arist. assignasse decem prædicamenta, quæ sunt genera omnium suprema, scilicet substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, ubi, quando, situs, & habere. Ratio ex dictis est, quia illa sunt genera

suprema, quæ non habent aliud genus supra se: sed enumerata non habent genus supra se: ergo sunt genera suprema. Probatum minor. Genus est ratio univoca: sed enumerata non habent supra se rationem univocam; quia solum habent supra se rationem entis, & novem ultima rationem accidentis completi, de quibus probatum est, non esse univoca: ergo &c.



QUÆSTIO SEXTA.

Qua analogia sit analogum ens ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens?

§. I.

Referuntur sententiæ cum suis fundamentis.

I. **NOLLEM** de hac re specialem quæstionem instituere, sed obiter nostram sententiã insinuare, ut plerique RR. faciunt; eò maximè, quia dubiū hoc multum habet de nomine, ut videbimus. At quoniam apud aliquos familiæ nostræ controversia est de legitima mente Doctoris Nostri, sicut & apud Thomistas potest esse de sententiã D. Thomæ circa hoc; idèd cum nostro Villa-

nova quæstionem præsentem instituo.

Prima sententiã dicit in ente relatè ad Deum, & creaturas esse solam analogiam proportionalitatis. Ita Cayetanus de Ente, & essentia q. 3. & Magist. S. Thoma in Logica q. 13. & 14. Probatum hæc sententiã ex D. Thomæ q. 1. de Veritate art. 11. ubi loquens de scientiã relatè ad Divinam, & creatam, videtur admittere in ea solam analogiam propor-

portionalitatis. Et urgetur, nam ibi S. Doctor sapius docet scientiam nostram esse similem scientiæ Dei: hæc similitudo est proportionalis, aut proportionum. Tum, quia similitudo petit duo extrema, & quod in utroque sit ratio fundans similitudinem; quare si creatura est similis Deo in scientia, scientia erit in Deo, & in creatura intrinsecè: quod arguit quod nomen scientia non est analogum attributionis, sed proportionalitatis, cum ratio analogica per attributionem sit tantum in uno intrinsecè, & in reliquis extrinsecè. Tum secundò, quia inter analogica attributionis non est similitudo; cibus enim non est similis animali in sanitate: ergo si inter scientiã Dei, & nostram est similitudo fundans analogiam, erit analogia solius proportionalitatis.

2. Et confirmatur. Nam licet Deus non sit similis creaturæ in ratione entis; creatura autem est similis Deo: at hæc similitudo causat analogiam solius proportionalitatis, non autem proportionis: ergo ens est analogum solius proportionalitatis ad Deum, & creaturas. Major patet ex Scriptura, quæ negat Deum similem creaturis; nam Isaia 40. dicitur: *Cui similem fecistis*

Deum? Supple Deum, qui nulli similis est. De creaturis sæpè dicit factas ad similitudinẽ Dei. Et observa quod aliquando Scriptura negat creaturas similes, ut in Psalmis sæpè dicitur: *Deus quis similis tibi.* Quasi diceret *Nullus*, ut loco laudato observat D. Thomas; iuxta quem exponitur Scriptura de similitudine perfecta, dum negat; & de imperfecta dum astruit. Nulla creatura est perfectè Deo similis, at omnes sunt imperfectè similes, quia aliquid participant de esse, in quo Deo assimulantur, licet imperfectè. Et sicut homo non dicitur similis suæ imagini, sed imago dicitur similis homini; quia facta est ad similitudinẽ ejus; ita Deus non est similis creaturæ, quia non est factus, sed creatura facta ad similitudinẽ Dei, est, & dicitur Deo similis.

Minor principalis probatur. Similitudo creaturæ ad Deum in ratione entis nullam dicit attributionem, vel proportionem: ergo dicit solam proportionalitatem. Consequentia patet, & antecedens probatur. Primò: Quia vera analogia attributionis petit quod ratio significata sit in uno tantum intrinsecè, & in alijs extrinsecè. Ita constat ex dictis hic q. 3. num. 13. & est expressa doctrina D. Thomæ

1. 1. q. 10. art. 3. ad 3. & 1. p. q. 16. art. 6. ad 4. & 4. Metaph. lect. 1. Idem docetur à B. Egídio q. 1. de Ente & essentia, & locis infra assignandis. At ratio entis, qua creatura est similis Deo, non est intrinsecè in solo Deo, sed in creatura; alioquin creatura non esset intrinsecè aliquid, nec intrinsecè similis, quod patet esse falsum: ergo similitudo creaturæ ad Deum &c.

Secundò probatur antecedens. Si similitudo creaturæ ad Deum in ratione entis diceret attributionem, esset vel quia creatura denominatur extrinsecè ens ab entitate Dei; vel quia dicitur ab entitate propria, quæ attribuitur entitati Dei: at uterque modus ponitur vel superflue, vel repugnanter: ergo similitudo illa est analogia solius proportionalitatis sine attributione. Probatur minor quoad primam partem. Nã si creatura est intrinsecè ens ratione propriæ entitatis, ut quid eget dici ens entitate Dei, sibi extrinsecæ? Hoc sanè videtur superfluum. Rursum, & est implicatorium. Nam similitudo creaturæ ad Deum solum potest fundari supra entitatem intrinsecam creaturæ; nam hæc sola est similis entitati Dei. Dato ergo, quod creatura dicatur extrinsecè ens ab entitate Dei, in ea non est

similis, sed idem: quia similitudo entitatum petit duas entitates denominantes; entitas verò Dei est una, dum Deum intrinsecè, & creaturam extrinsecè denominat. Ergo repugnanter, & otiosè ponitur similitudo creaturæ ad Deum analogica per attributionem.

Quoad secundam partem probatur minor. Vt creatura per suam intrinsecam entitatem dicatur ens, non requiritur quod entitas creaturæ attribuat Deo: ergo hujusmodi attributio superflua est. Probatur antecedens primò. Nam dato, quod creatura habeat entitatem, licet hæc non attribuat Deo, dicitur tamen ens: ergo. Secundò: Licet creatura non possit habere esse, nisi participatū à Deo, at non dicitur ens, quia habet esse participatum, sed quia habet esse: ens enim est id quod est: quod autem res sit per participationem, vel à se, non facit ad ens, sed ad tale ens: ergo ut creatura per suam intrinsecam entitatem dicatur ens, non requiritur quod entitas creaturæ attribuat Deo. Tertiò: Vt accidens sit ens, non requiritur, quod suum esse attribuat substantiæ, sed quod absolute habeat esse: ergo idem, ut creatura &c. Quartò: Nam licet Philosophus di-

cat accidentia esse entis entia, & per attributionem ad substantiam, hoc solum denotat quod esse principaliter convenit substantiæ, quam accidenti; quare solum denotat analogiam proportionalitatis: ergo relatè ad Deum idem denotatur in locutionibus Arist. & SS. PP.

3. Secunda sententia affirmat ens esse solum analogum attributionis ad Deum & creaturas. Ita M. N. Villanova qui citat Didacum à Jesu, Suarium disp. 28. Metaphysicæ sect. 3. & disp. 32. sect. 4. Rubium hic, & N. B. Egidium 4. Metaphysicæ q. 4. & 1. Sent. dist. 8. q. 1. art. 1. De Suario dicam infra. Quantum autem ad N. Doctorem suaderetur de ejus mente hæc sententia à Villanova. Primò, quia locis datis dicit accidentia habere tam minimam entitatem, ut ab ea non possint accidentia dici ens, sed per attributionem ad substantiam. Idem docet de creaturis relatè ad Deum; idque confirmat D. Noster ex illo Isaia 40. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram te.*

Secundò, quia loco dato de Ente, & essentia Doct. N. approbat verba illa Philosophi 4. Metaphysicæ cap. 2. textu 1. *Ens quidem multis modis dicitur, sed ad unum, & ad unam naturam aliquam, & non equivocè: sed*

quomodo salubre ad sanitatem. At Medicina, pulsus, cibus, dicuntur salubres per attributionem ad sanitatem animalis; & ea analogia est purè attributionis: ergo analogia entis juxta N. B. D. de mente Arist. est purè attributionis.

A ratione probatur ex Egidio Nostro. Quia creaturæ non dicuntur entia simpliciter ratione entitatis, sibi intrinsicæ, sed ratione entitatis, quæ est in Deo: ergo dicuntur entia per attributionem ad Deum. Consequentia est bona, & antecedens probatur; quia entitas creaturarum non est entitas simpliciter, sed debilis, & ita propinqua non enti, quod potius sunt non entia, quam entia.

Secundò: Nam dato, quod creaturæ dicantur entia propter entitatem, quæ est in eis, non dicuntur propter entitatem illam in se, sed propter entitatem illam attributam alteri, scilicet Deo: hoc patet, nam semper dicuntur entia ab alio, & per participationem. Idem discutit cum Doctore Nostro de substantia, & accidenti, quia accidens est ens in alio, & entis ens.

4. Probat secundò excludendo alias sententias. Et quidem quod non sit analogum proportionalitatis patet. Quia finiti ad infinitum nulla est pro-

proportio: sed creatura est ens finitum, Deus autem ens infinitum: ergo ens non est eis analogum proportionalitatis. Consequentia tener, minor est de fide, & major est Arist. 8. Physicorum textu 14. & docetur à D. Thoma, & B. Egidio multis locis, & habetur ut veritas nota apud omnes.

Et confirmatur. Nam proportio juxta Euclidem solum datur inter ea, quæ sunt ejusdem generis, & rationis: sed Deus, & creatura non sunt ejusdem generis, ut patet: ergo unius ad alterum non datur proportio. Hæc ratio idem probat de ente relatè ad substantiam, & accidens, quæ sunt primò diversa, nec conveniunt in aliquo genere. Ceterum dato quod inter substantiam & accidens daretur proportio; secus inter Deum, & creaturam: Ratio est, quia proportio est unius ad alterum certa habitudo: sed inter substantiam, & accidens, finita, datur certa habitudo per ordinem ad terminum, quo finitur ens creatum; secus relatè ad Deum, qui nullo termino finitur: ergo &c.

Probat tertio impugnando analogiam proportionalitatis inter Deum, & creaturas. Primò: Quia nulla intervenit similitudo inter Deum relatè ad suum esse, & creaturam

relatè ad esse creatum: ergo nulla est proportionalitas, aut similitudo proportionum. Antecedens probatur. Quia Deus ita respicit suum esse, ut sit formaliter & in abstracto suum esse; creatura non sic, sed modo contradictorio: ergo potius sunt dissimiles; quam similes. Secundò: Quia dato esse aliquam similitudinem, ut in his propositionibus: *Sicut Natura Divina se habet ad suum esse: ita natura creata se habet ad suum.* At hæc similitudo non explicatur nomine entis; sed ad analogiam proportionalitatis hoc erat necessarium: ergo ens ad Deum, & creaturam, non est analogum proportionalitatis.

5. Contra: 3. sententia docet ens analogum esse utraque analogia proportionalitatis, & proportionalitatis. Ita Ferrar 1. contra Gen. cap. 34. Est est sententia antiquorum Thomistarum. Eam docuit Fonseca 4. Metaphysicæ q. 1. Sect. 7. & novissimè cum RR. Bajora q. 7. art. 6. & probatur. Quia proportionalitas datur quando ratio significata per nomen est intrinsicè in omnibus analogatis: sed significatum entis reperitur intrinsicè in Deo, & creatura; in substantia, & accidente: ergo ens est analogum ad ea analogia proportionalitatis. Iam

verò quòd etiam sit analogū attributionis, probatur ex D. Thoma 4. Metaphysicæ lect. 4. & lib. 11. lect. 3. ubi analogiam entis dicit esse sicut analogiam sani: at sanum est analogum attributionis ad animal, cibum, pulsum &c. ergo & ens ad Deum, & creaturas. Probat etiam ratione, quæ coincidit cum ratione B. Aegidij, data num. 3.

§. II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

6. **D**IXIMVS in principio quæstionem istam multum habere de nomine: hoc tibi patebit facile, si nobiscum notes ea, in quibus omnes DD. conveniunt, & in quo differant. Omnes conveniunt quòd creatura est intrinsecè ens, & dicit ordinè ad suam existentiam; cum qua proportionatur, sicut esse Divinum proportionatur cum existentia Divina. Istæ duæ proportionales Dei, & creaturæ ad suas existentias, sunt similes. Quæstio est: An similitudo harum proportionum sit proportionalitas, nec ne? Affirmat Mag. S. Thoma cum DD. 1. sententiæ; negat M. Villanova cum DD. 2. sententiæ.

DE ANTEPRÆDIC.

Quæstio, & lis est de voce: An illa similitudo vocanda sit proportionalitas, an non? Imò revera nulla est quæstio, quia Villanova num. 311. concedit posse dici proportionalitatem lato modo, non stricto: At DD. citati non tenent esse strictam proportionalitatem, sed latam, sicut non conveniunt inter Deum, & creaturam similitudinem strictam, sed latam: ergo in re conveniunt.

Rursus. Omnes conveniunt in eo quòd esse creaturæ est quasi non esse relatè ad Deum, ut dicitur Isaia 40. Item quòd tale esse est à Deo & propter Deum: & quòd in hac acceptione solus Deus est ens simpliciter, creaturæ autem intrinsecè sunt nihil, & solùm dicuntur extrinsecè entia ab entitate Dei. Ergo in hoc sensu nemo negare potest quòd ens est analogum attributionis, sicut sanū. At quoniã apud omnes creaturæ est intrinsecè ens, licèt debile, & mutabile, quæstio est: An ab hoc esse dicatur ens, & quomodo dicatur? Vel Respondet M. Villanova quòd ab illo esse non meretur vocari ens; quia est debile: alij negant: quæstio est etiam de voce, & de merito vocis: in qua Villanova concedit posse dici ens creaturam ab illo esse, sed non ab illo

QUÆSTIO VI.

illo in se sumpto; sed attributo ad Deum. Quod si negetur à DD. 1. & 3. sententiæ, contentio erit de nomine.

7. In quæstionibus de voce, indaganda est vis verborum, & intentio imponentis nomina. Et quidem, ut observavit D. Thoma tam nomen *ens*, quàm cetera cõmunia Deo, & creaturis, ut *Scientia, providentia, potentia, substantia* &c. Primò inventa sunt ad explicandas perfectiones creatas. Ratio est, quia res nominamus, sicut concipimus: at primò concipimus res creatas, quàm perfectiones Divinas; quia juxta Apostolum per ea quæ facta sunt, ducimur in cognitionem invisibilem: ergo sapientes primò inventores horum nominum, intenderunt exprefare perfectiones creatas.

Hinc fit, ut attentata intentione imponentis nomina, ly *ens* primò dicitur de creatura. Cui adde quòd nomen *ens* dicit concretum ex subjecto, & existentia, quare est idem ac *habens esse*: hoc modo proprius dicitur de creatura, quàm de Deo, qui potius vocatur *esse* in abstracto, quàm *ens*. Imò in hoc sensu negant Deum esse *ens*, S. Dionys. cap. 5. de Divin. nom. & 5. de Mystica Theolog. & M. P. N. August. lib. 3. de Trinit.

cap. 10.

8. Et quoniam nomina adinventata explicant perfectionem sine imperfectione, v. g. *scientia* dicit cognitionem certam per causam, nec dicit imperfectiones scientiæ creatæ; idè talia nomina quoad rem significatam prius, & principalitè conveniunt Deo, quàm creaturis. Ratio Divi Thomæ est; quia nomina explicantia perfectionem sine imperfectione, ei primò conveniunt, cui convenit perfectio sine imperfectione: at in solo Deo est esse, scientia, potentia, &c. sine imperfectione: ergo quoad rem significatam prius, & principalitè conveniunt illa nomina Deo.

Hinc est, quòd nomen *ens* per se primò dicitur de Deo Exodi 3. ubi habetur: *Ego sum, qui sum*: quòd juxta Septuaginta vertitur *Ego sum ipsum ens*. Nec sumitur *ens* concretivè, ut dicebamus, nam licèt ex modo significandi, & ex intentione imponentis, ita significet, non refunderetur illa imperfectio in rem significatam: quare idem est dicere *Deus est ens*, ac *Deus est ipsum esse*. Hinc jam vides ènt omnia nomina, quæ de Deo & creaturis dicuntur, dicuntur analogicè, ut S. Thoma

& B. Egidius suprà laudati docent. Nam sub nulla consideratione dicuntur aequè primò de Deo, & creaturis. Si enim attendas ad rem significatam, priùs & propriè dicuntur de Deo, quàm de creaturis: quia nulla creatura habet perfectionem puram sine mixtione imperfectionis: at nomen dicit perfectionem sine imperfectione: ergo nomen propriè dicitur de Deo, & impropriè de creatura: ergo dicitur analogicè quidquid de utroque dicitur.

Si tamen primam intentionem imponentis attendas, priùs dicitur nomen de creatura, quàm de Deo. Immo in hoc sensu nullum est nomen conveniens Deo, ut de ente dictum est: & sic vel purè æquivocè dicitur de Deo, vel analogicè, ut constat ex dictis.

Ostenso ex ipsis vocibus quoad rem significatam, & quoad intentionem significantis, ens esse analogum ad Deum, & creaturas; circa quæstionem præsentem mens D. Thomæ incerta est, ut vidimus in Sententijs S. Doctorum allegatum jam dicere, analogiam esse proportionalitatis, jam attributionis. Eò moventur ad utramque defendendam Bajona, & alij. De mente B. Egidij idem erit

dubium, si loca conferas, quàm more D. Thomæ loquitur de scientia Dei, & nostra in 1. Sentent. & de ente quæst. 1. de Ente & essentia, ubi admittit disparitatem ad sanum, quòd hoc dicit sanitatem in uno solùm intrinsecè; secus ens, quòd dicit esse intrinsecum Deo, & creaturis. Ad quòd reponit sic: *Dici potest quòd est quasi omninò simile ut ad propositum facit.* Propositum illius quæstionis est, negare plura principia simpliciter prima: quòd probat ex analogia entis, quòd de Deo solo dicitur simpliciter.

10. Nostra ergo sententia est, quòd ens propriùs dicitur analogum attributionis, quàm proportionis, & proportionalitatis: ceterùm analogia hæc attributionis non est propria, sed impropria. Hæc sententia est D. Thomæ, & B. Egidij, qui locis datis analogiam entis explicant analogia sani: sed sanum est propriè analogum attributionis: ergo inter species analogiæ datas, propriùs enti convenit analogia attributionis.

Quòd autem non sit propria, probatur. Quia attributio propria dicit rem significatam in uno solùm intrinsecè, & in alijs extrinsecè: at ratio entis, dicit esse, quòd non

non est in solo Deo intrinsecè, sed in creaturis: ergo analogia attributionis entis, propria non est, sed impropria. Nec mireris; quia nulla species analogiæ convenit propriè enti, Deo & creaturis communi. Non proportio, aut proportionalitas, ut bene ostendit M. Villanova, ubi suprà num. 4. Non etiam attributionis, ut hac ratione patet: ergo nulla species propriè. Quare quærendum est, quæ minùs impropriè, aut magis propriè conveniat enti sic communi, & dicimus esse analogiam attributionis.

11. Probatur ex M. P. August. nostra sententia, qui 7. Confes. cap. 11. loquens Deo sic ait: *Inspexi cetera infra te, & vidi nec omninò esse, nec omninò non esse: esse quidem, quia abs te sunt; non esse autem, quoniam id, quòd es, non sunt; id enim verè est, quòd incommutabiliter manet.* En juxta S. P. creaturæ sunt, & non sunt: sunt aliqualiter; non sunt vero esse incommutabili, sed à vero esse, & per attributionem ad verum esse, *Quia abs te sunt.* Ergo ens de creatura dicitur per attributionem ad Deum: & non per propriam, *Quia nec omninò non sunt; & propria attributio petit non esse intrinsecè nisi in uno analogato.*

Confirmatur ex commu-

ni regula analogorum, quæ dicitur, *Analogum per se sumptum, stat pro famosiori.* Ergo ens absolute prolatur, stat pro analogato principaliori: sed tale est Deus, & verum esse incommutabile: ergo ens dicit tale esse. At hoc esse solùm est intrinsecè in Deo; in creaturis autem extrinsecè, & per attributionem: ergo analogia entis absolute prolatur, est propriùs attributionis. Ceterùm quoniam ens non significat tantùm illud esse, sed omne esse etiam debile, & hoc est intrinsecè in creatura: idè non est attributio propria, sicut in sano, quòd significat solam sanitatem, animali convenientem intrinsecè.

Hoc modo Exodi 3. dicebatur à Moyse *Qui est, misit me ad vos.* Absolute probatum est *qui est;* & sic stat pro solo Deo, qui solus verè, & incommutabiliter est. Hoc etiam modo *Sanctus, Bonus, Sapiens, & Immortalis,* & alia nomina; quæ communia sunt Deo & creaturis, absolute prolata stant pro solo Deo, qui Sanctus, Bonus, Sapiens, & Immortalis est simpliciter, & per essentiam.

12. Jam verò quòd inter omnes species analogiæ sola attributionis propriùs conveniat Deo & creaturis; pro-

probatur 1. quia attributio explicat esse creaturæ *ab alio*, & *ad aliud*; at proportio, vel proportionalitas solum dicunt esse, in quo creatura dicit proportionem, vel similitudinem cum esse Dei: sed ratio entis creati proprius explicatur per *Esse ab alio*, & *ad aliud*, quam per *esse*: ergo analogia entis ad Deum & creaturas proprius est attributionis.

Explicatur. Esse creaturæ est esse ab alio, in quo duo dicuntur, scilicet *esse*, & *ab alio*. At licet in primo sit proportio, aut proportionalitas; secus in secundo: attributio verò est in primo, & secundo: ergo attento esse creaturæ, ejus analogia proprius est attributionis. Minor patet. Quia in *ab alietate* non proportionatur creatura cum esse Dei à se, nec est ei similis, sed dissimilis. At verè attribuitur Deo tum per esse, tum per abalietatem, ut certum est.

Secundò. Quia cum proportio sit relatio mutua, sicut similitudo & proportionalitas; ubi implicat relatio mutua, implicat proportio, & proportionalitas. Sed Scriptura negat Deum esse similem creaturis, ut vidimus n. 2. nec esse Dei proportionatur cum esse creaturæ, licet

forisam esse creaturæ dicat proportionem ad esse Dei; ergo nisi impropijsimè, non potest dari proportio, aut proportionalitas inter Deum & creaturam. At attributio propriè datur, quia non est mutua, sed non mutua; & sicut creaturæ propriè sunt ab alio; sic propriè sunt ad Deum: quare attributio propriè invenitur in ente, & sic proprius quam aliæ species analogiæ.

Tertiò. Quia creatura possunt dici ens sine proportionem, aut proportionalitate: non autem sine attributione: ergo proprius eis convenit attributio. Probatur antecedens. Hæc propositio *Creatura est ens*, sumpto ente in sua strictiori significatione pro ente simpliciter juxta dictatum. 8. est propositio vera: sed ens simpliciter solum extrinsecè convenit creaturæ, & idè est purum analogum attributionis, sicut *sanum*, sine ulla proportionem, aut proportionalitate: ergo creatura potest dici ens sine proportionem, aut proportionalitate. Jam autem, quòd nullomodo dicatur ens sine attributionem, probatur. Nam dicta propositio intellecta de esse creato, debet intelligi de esse *Ab alio*, & *ad aliud*: at hæc est attributio: ergo nullomodo po-

potest creatura dici ens sine attributionem.

13. Hanc sententiam docuit Suarius disput. 28. Metaphysicæ sect. 3. ubi num. 14. distinguit duas attributiones. Prima est in qua ratio analogæ solum est intrinsecè in uno: ut *sanum*. Altera est, in qua ratio significata per nomen, est intrinsecè in omnibus, sed in uno absolutè, in reliquis cum ordine & attributionem ad principale analogatum. Sicut ens creatum dicit entitatem, quæ intrinsecè est in substantia, & accidentem: ceterum in substantia est absolutè; in accidentem autem est cum ordine & attributionem ad substantiam; quia accidens est ens, quatenus perficit substantiam, & eam afficit, & idè est *entis ens*.

Hinc colligit varias differentias utriusque attributionis. Prima est, quòd in attributionem prima non potest diffiniri analogatum minus principale, quin sit per principale analogatum, v. g. nequit diffiniri Medicina sana, nisi dicendo, quòd est effectrix sanitatis animalis. Et hoc docet D. Thom. 1. p. quæst. 13. art. 6. At secunda attributionem non petit hoc: nam teste D. Thom. quæst. 2. de Veritate art. 11. scientia creata

benè potest diffiniri sine ordine ad incretam. Omittimus alias differentias, quas vide loco laudato: ubi concludit Suarius, quòd ens ad Deum & creaturas est analogum attributionis, secunda attributionem, non autem prima, quòd affirmat etiam de ente relatè ad substantiam, & accidens.

Hinc jam vides Doct. istum esse pro nostra sententia, quia ex his duabus attributionibus secunda non est propria, quia illi non convenit præcipua proprietas analogiæ attributionis, scilicet quòd ratio significata sit intrinsecè in uno tantum: ergo tenet Doctor iste quòd analogia entis ad Deum & creaturas, ad substantiam & accidens est attributionis, sed non propria. Hæc est sententia nostra: immò & D. Thomæ, & B. Ægidij, nec non Arist. & SS. PP. ut apud Suarium invenies.

§. III.

Expenduntur aliæ sententiæ

14. **R**ESTAT expendere fundamenta pro alijs sententijs: Ad fundamenta primæ sententiæ quæ habentur num. 1. respondemus, & quantum ad authoritatem D. Thomæ q. PPP

2. de Veritate art. 11. dicimus ibi S. Doctorem directe probare scientiam esse analogam ad creatam, & increatam. Quærens autem quali analogia? Solas duas assignat, scilicet proportionis, & proportionalitatis. Primam concedit substantiæ, & accidenti, & negat Deo & creaturis, quia proportio est *Vnius ad alterum certa habitudo, & determinata*. Hæc determinatio non datur in Deo, qui nullo termino finitur: bene verò in entibus creatis substantia & accidente. Vide dicta num. 4. At quoniam proportionalitas non petit istam determinatam habitudinem, ideò concedit S. Doctor in scientia Dei & creaturæ analogiam proportionalitatis. Inde nil contra nos. Primò, quia S. Thom. non agit de proportionalitate absolute, sed comparative ad proportionem, & docet quòd proportionalitas non habet repugnantiam determinationis, quam habet proportio; & idem dicimus nos, qui majorem repugnantiam invenimus in applicanda specie proportionis, quam proportionalitatis. Secundò, quia in solutione ad primum docet, quòd similitudo nostræ scientiæ ad Divinam non est mutua: atqui proportionalitas est similitu-

do mutua, ut patet in patre, fonte, & fundamento, quæ assimilantur mutuo in ratione principij: ergo proportionalitas de qua D. Thom. non est stricta, sed lata. Talem non negamus.

Ad primam rationem, concedo quòd ibi D. Thom. concedit scientiam nostram esse similem scientiæ Dei; nego tamen quòd hæc similitudo sit proportionalitas stricta, quia non est similitudo mutua, ut vidimus ex D. Thoma. Hæc proportionalitas lata proprius est attributio, quam proportionalitas, ut probatum est num. 12. Nec obstant duo objecta in prima ratione, scilicet quòd attributio non petit rem significatam esse intrinsecè in omnibus, sed in uno. Rursus in analogis attributionis unum non est simile alteri. Non obstant hæc; nam primum solum est verum in attributione propria, secus in impropria, ut dictum est. Secundum est expressè contra D. Thomam qui in corpore articuli laudati dicit, *Sanum dicitur de urina, & animali ex eo quòd urina habet aliquam similitudinem ad sanitatem animalis*. Ergo juxta D. Thomam etiam in analogis attributionis unum est simile alteri. Immo ex quo S. Doctor scientiam nostram simili-

lem scientiæ Dei concedit, non probatur proportionalitas opposita attributioni, sed opposita proportioni, quam ibi excludit. Et sic articulus ille pro nobis est.

15. Ad confirmationem positam num. 2. respondemus, & primò notamus, quòd ibi confunditur proportio cum attributione: at non bene, quia ut vidimus ex D. Thoma inter Deum & creaturam, non datur proportio, bene tamen attributio. Aliquando autem utraque coincidit, ut in ente relatè ad substantiam & accidens, quæ habent proportionem, & certam unius ad alterum habitudinem, cum finiuntur termino determinato; rursus accidens attribuitur substantiæ. Hic ratione materiæ idem est attributio, ac proportio; sed ex terminis diversæ sunt, & patet in Deo & creatura, quæ sine proportionem habent attributionem. Hoc notato, concedo maj. cum doctrina ibi data, quæ est D. Thomæ loco citato in solutione ad primam, & disting. min. Similitudo causat analogiam solum proportionalitatis, similitudo mutua, concedo min. similitudo non mutua, nego min. quia hæc potius causat attributionem, ut patet exemplo hominis picti, &

veri. Nam sunt similes non mutuo, & ideò homo non est analogum proportionalitatis, sed attributionis, quia pictus dicitur homo per attributionem ad verum hominem, cujus est imago. Urina juxta D. Thomam est similis sanitati animalis, sed non vice versa; & ideò hæc similitudo potius facit ad attributionem, quam ad proportionalitatem. Cum ergo similitudo Dei & creaturæ in prædicatis analogis sit non mutua: ideò potius est attributio, quam proportionalitas.

Ad probationem min. nego antecedens de attributione. Ad primam eius probationem, disting. antecedens analogia attributionis petit rem significatam esse in uno solum intrinsecè, strictæ attributionis, & propriæ, concedo; omnis attributionis etiam improprie, nego antecedens. Nec aliud docent S. Thom. & B. Egidius locis datis, ubi concedunt analogiam entis esse attributionis; cum tamen certum sit quòd esse est intrinsecè in creatura. Hæc ergo analogia entis non est attributionis pura, quam explicavimus hic quæst. 2. num. 9. sed est mixta cum aliquo de proportionalitate: sed quia hoc non est similitudo

mutua, sed non mutua; & plus habet de attributione, quàm de similitudine; idèd vocatur à nobis attributio impropria; à Suario verò distinguente duas attributiones, dicitur attributio secunda, in qua res significata est intrinsecè in omnibus analogatis.

Ad secundam probationem antecedentis, concedo majorem, quoad utramque partem, negoq̄ minorem. Ad probationem minoris quoad primam partem dic, quòd licèt creatura sit intrinsecè ens, non superfluè dicitur extrinsecè ens ab entitate Dei. Nam creatura licèt per sua prædicata sit intrinsecè possibilis, dicitur, & non superfluè, possibilis extrinsecè ab omnipotentia Dei: utriusque ratio est, quia sic denotatur, quòd ab esse Dei venit in creatura esse intrinsecum ejus: & quòd sunt entia participatione primi entis. Quæ veritas inter selectiora principia habetur apud Sapiètes, & Philosophos. En nostra positio non est superflua. Nec etiã est repugnans; nam licèt creatura non sit similis Deo ratione entitatis Dei, sibi extrinsecè attributæ; est tamen similis ratione suæ debilis entitatis: sed hæc etiã habetur intrinsecè cum attri-

butione ad Deum, ut sapiùs dictum est.

16. Ad probationem minoris quoad secundam partem, nego antecedens. Ad primam probationem antecedentis, dic quòd arguens implicat in terminis: implicat enim ponere entitatem intrinsecam in creatura, & quòd hæc entitas non attribuat Deo; sicut implicat talis entitas, quin sit à Deo, & quin sit participatio primi entis. Ad secundam probationem ejusdem antecedentis, nego antecedens, & omnes implicitas probationes. Arguens distinguit in entitate creaturæ hæc duo, scilicet *esse*, & *ab alio*: hæc forsan distincta non sunt, sed dato distingui, *ly esse*, est prædicatum participatum, productum, & ab alio; cum sit de fide quòd omnia prædicata creaturæ sunt producta à Deo, qui illam ex nihilo fecit. Ergo adhuc data illa distinctione, *ly esse*, à quo creatura dicitur *ens*, est esse ab alio, & ad aliud: ergo taliter Deo attribuendum, ut non possit creatura dici ens sine attributione ad Deum, cujus contrarium intendebat arguens.

Ad tertiam probationem antecedentis respondeo primò, admissio antecedenti, nego consequentiam, quia am-

pli

plius pendet creatura à Deo, quàm accidens à substantia. Nullum enim est prædicatum in creatura quod non sit ab alio, & ad Deum. At in accidente potest ratio communis entis præscindere à substantia, à qua forsan accidens solum pendet per differentiale prædicatum in alietatis. Respondeo secundò, nego antecedens, quia nec accidens potest habere esse, nisi afficiendo substantiam: ergo nec potest esse ens, nisi attributione ad substantiam. Ad quartam probationem antecedentis, nego antecedens. Nam mens Philosophi explicantis analogiam entis ad substantiam & accidens, satis clara est pro analogia attributionis, ut patet ex verbis datis num. 3. in eodem sensu loquantur DD. & SS. PP. Quare nil contra nos.

Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 3. di-

QUÆSTIO SEPTIMA.

Utrum deus conceptus entis perfectè præcisus ab inferioribus?

§. I.

Quibusdam notatis probatur præcisio imperfecta entis.

NVlla inter quæstiones hujus libri difficilior, licèt nulla sit quæ certius ista

ex dictis decidatur. Rem, natura sua obscurissimam, reddiderunt difficilliolem DD. varijs

dicimus omnia esse pro nobis; hoc solo notato ex dictis §. antecedenti, quòd attributio entis ad Deum & creaturas; substantiam, & accidens, non est ita pura & stricta sicut in sano, & salubri. Habet enim aliquid de proportionalitate, ut dictum est num. 15. Ad doctrinam nostri Villanovani, quæ habetur num. 4. contra alias sententias, illam plenè admittimus, quia est Nostri Egidij & D. Thomæ locis datis, & eisdem fundamentis tales improbamus sententias.

Ad fundamenta 3. sententiæ, quæ habentur num. 5. dicimus, quòd quatenus suadent ens analogum attributionis, sūt pro nobis. Quatenus contendunt simul ponere analogiam proportionalitatis ratione similitudinis; sunt contra nos, ceterum patet solutio ex dictis contra 1. sententiam, maximè num. 14. & 15.

rijs placitis, & sententijs, quæ vel solùm referre operosum est, & inutile. Vide Suarium in Metaphysica disp. 2. per totam, plenè deditum in referendis, & refellendis aliorum placitis: vide etiam N. M. Villanova in Antepredicamentis disp. 5. ubi tūmo labore, ac studio, aliorum dicta congerit, & impugnat. At ni fallimur, laudabis laborem, sed nullum ferè fructum percipies, quia in presenti materia plus curandum est explicare, & suadere quid teneamus, quàm aliena placita exponere, solvere, & impugnare.

Nota 1. ex dictis lib. 3. q. 6. duplicem esse conceptum, scilicet formalem, & objectivū. Formalis est actus intellectus, quo cognoscitur objectum: objectivus est ipsum objectum cognitum. De utroque procedit quæstio, sed tota difficultas est in objectivo. Nam conceptus formalis est unus, vel plures ab objecto: ergo si de ente datur unicus conceptus objectivus, dabitur unicus formalis. Quapropter tota quæstio erit de objectivo, & interdum sermo de formali.

Nota secundò ex dictis q. citata, quòd præcisio est duplex, scilicet formalis, & objectiva. Formalis est, quando ex identificatis unum cognoscitur clarè, & aliud confusè. Objectiva est, quando ex identificatis unum cognoscitur, secus aliud adhuc confusè. De utraque præcisione potest disputari in ente: sed ex discursu dicendorum videbis DD. loqui de objectiva præcisione, quia tota difficultas est: An possit concipi ens sine differentijs pro implicito? Vel an conceptus objectivus entis excludat objectivè differentias suas, sicut animal objectivè excludit rationale, & irrationale? Hæc exclusio, & præcisio objectiva est. Et fortassis aliqui impugnant præcisiones objectivas, dum sermo est de gradibus metaphysicis; & eas tenent dum in presenti est sermo de ente, quod est satis mirabile.

Nota tertio quòd præcisio objectiva est duplex: una perfecta, altera imperfecta. Præcisio imperfecta est solùm pro explicito: perfecta autem est pro explicito, & pro implicito. Sit exemplum in hac voce *ens*. Ista non explicat aliud, nisi esse; at non explicat esse Divinum, vel creatum; substantiale, vel accidentale, nam hæc omnia implicitè sūt in ente, sed non explicitè, quia *ens* non explicat illa omnia, sed solùm esse. Hoc modo conceptus objectivus *ens*, non explicat illa, & sic præscindit ab

eis

eis pro explicito: hæc dicitur præcisio objectiva imperfecta. Vox *animal* perfectè præscindit à *rationali*, & *irrationali*, tum pro explicito, quia non explicat illas differentias; tūpro implicito, quia solùm essentialia animalis includit, & illæ differentia non sunt de essentia animalis, ut lib. 3. q. citata probatum est; quare conceptus animal nec pro implicito dicit differentias.

Quæstio est de præcisione perfecta, non de imperfecta, quam R.R. Thomistæ non negant, quidquid sit de antiquis, cum quibus agit Suarius loco citato. Quare quærimus: An sit possibilis cōceptus objectivus entis, ita perfectè præcisus à differentijs, ut nec pro implicito sint in eo conceptus? Affirmant Scotistæ cum suo Doct. Subtili, putantes quòd ens est univocum ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens. Eis adhærent plures ex Societate, ut Suarius, Arriaga, Hurtado, Oviedo, & alij, quorum non omnes propugnant univocationem entis. Negant Thomistæ ferè omnes cum D. Thomas; nec non Egidiani cum B. Doct. quorum catalogum invenies apud Villanova, cui adde M. N. Gavardi q. 5. de Antepredicam. art. 1.

3. Ut ad difficiliora

properemus, leviora decidenda sunt. Dicimus primò quòd ens objectivè imperfectè præscindit à differentijs. Probat, Præcisio objectiva imperfecta, est cognitio expressa alienius rationis communis, non cognitio expressè differentijs, & inferioribus illius: sed dum cognoscimus *ens*, non cognoscitur expressè Deus, aut creatura; substantia, vel accidens; ergo concipimus ens objectivè imperfectè præcisum à differentijs. Major patet ex num. 2. Minor probatur. Eo cognoscimus res, quo eas nominamus; vel è contra, eo modo nominamus res, quo eas concipimus: sed dum dicimus *ens*, non dicitur expressè Deus, aut creatura, substantia, vel accidens: ergo dum cognoscimus ens &c.

Confirmatur. Potest quis esse certus, quòd aliquid sit ens, & ignorare an sit substantia, vel accidens: ergo *ens* cognitum in isto casu, est conceptus objectivus dicens esse, in quo conveniunt substantia, & accidens; non tamen dicit expressè eorum differentias. Ergo *ly ens* dicit rationem communem imperfectè præcisam ab inferioribus. Si alias rationes pro hoc desideres, vide Suarium loco citato sect. 1. Nec aliud probant, nisi istam conclusionem & illationes,

quas ex ea ponemus. Si quid autem ultra adducit pro præcisione perfecta, infra dissolvitur.

4. Inferes 1. Quòd potest cognosci ens pro explicito, quin cognoscatur pro implicito. Probatur ex dictis. Nam dum cognoscimus *ens*, non cognoscimus id quod ignoramus: sed aliquando quis certus est de eo, quod res sit ens, ignorat tamen an illa sit substantia, vel accidens: ergo licet substantia, & accidens includantur in ente, cognoscitur tunc explicitum, sed non implicitum entis.

Urgetur. Licet explicitum entis objectivè non excludat implicitum, ut §. sequenti probabimus, at cognitio terminata ad explicitum, non est necessitata terminari ad implicitum: ergo potest cognitione imperfecta cognosci explicitum entis sine implicito. Probatur antecedens. In Deo nulla datur distinctio excludentis, & exclusi, sed penes implicitum, & explicitum, ut lib. 3. dictum est; quare sicut ens includit omnium differentias; sic quodlibet prædicatum Divinum includit omnia Divina. Et tamè potest cognosci Deus ut unus, quin cognoscatur ut trinus; & constat ex Gentilibus, qui Deum unum cognoverunt, sed ignorarunt Dei

Trinitatem: ergo licet explicitum entis &c.

Et ratio utriusque est. Nam idèd Gentiles cognoscètes Deum Vnum, non cognoverunt, ut Trinum, quia res creatæ ducentes in cognitionem Dei primæ causa, ducunt in cognitionem Unitatis, & non Trinitatis implicitæ in unitate: at etiam per species confusas, & imperfectas, receptas per sensus, ducimur in cognitionem rei ut *ens* est, non tamen ut creatæ, vel increatæ, ut substantia, vel accidens est; quare certi de eo quòd res est ens, ignoramus an sit substantia, vel accidens: ergo potest nostra cognitio attingere explicitum entis, quin cognoscat implicitum ejus.

5. Nec in isto casu datur præcisio objectiva perfecta entis pro explicito ab ente pro implicito. Tum, quia eodem modo est hic præcisio, ac in exemplo dato cognitionis naturalis Dei: & tamen ibi unitas cognita non præscindit objectivè perfectè à Trinitate. Tum etiam, quia utrobique præcisio non oritur ex meritis objecti, quia scilicet unum excludat objectivè aliud; sed nascitur ex imperfectione cognitionis, quæ attingens explicitum, non penetrat implicitum. Quapropter cognitio si foret adæquata, non posset

cognoscere Unitatem Dei sine Trinitate; nec explicitum entis sine implicito: cognoscit tamen, quia inadæquata est, & inadæquatè cognoscit. Hinc fit ut præcisio ista expliciti ab implicito, potiùs dicenda est præcisio formalis, quàm objectiva; quia refunditur potiùs in imperfectionem cognitionis, quàm in distinctionem ex parte objecti inter formalitates cognitæ, & non cognitæ.

Dices: Saltem confusè cognoscitur implicitum entis, dum cognoscitur explicitum; cum implicitum sit de essentia expliciti; & nihil possit cognosci sine eo quod est de ejus essentia. Respondeo: quòd implicitum entis est de essentia expliciti pro implicito, sed non pro explicito. Est dicere quòd explicitum entis, scilicet *esse*, habet essentialiter includere differentias inferiorum, quia illas transcendit, ut dictum est q. 4. At non habet essentialiter illas explicare, ut patet ex dictis hic. Cognitio autem entis pro explicito, debet cognoscere quidquid essentialiter dicit ens pro explicito, non autem quidquid essentialiter dicit pro implicito. Implicitum entis non est de essentia explicita entis, sed de essentia entis implicita: quare non est necesse quòd cogni-

tio expliciti sit semper cognitio impliciti; maximè si sit cognitio imperfecta, & inadæquata, ut in præsentia. Hoc patet in hac prædicatione *substantia est ens*; hic prædicatur explicitum entis & quidquid explicitè est de essentia entis: at non prædicatur quidquid implicitè est de essentia entis; quia *in alietas* est de essentia implicita entis, & hæc non potest prædicari de substantia, quæ est ens per se.

6. Colliges secundò: Quòd datur conceptus formalis entis non ultimatus, qui est unus. Probatur. Quia, ut in Summulis dictum est; conceptus non ultimatus est conceptus, quem formamus de voce: sed audito nomine *ens*, aliquidem de voce ista formamus conceptum; & hic non est multiplex, sed unicus: ergo de ente potest esse conceptus unicus formalis non ultimatus.

Colliges 3. Quòd etiam datur conceptus formalis ultimatus entis, qui est unus. Probatur. Quia conceptus ultimatus est ille, qui non solum est cognitio vocis, sed transit ad cognoscendum significatū per vocem: sed audito nomine entis, cognitio nostra non sistit in voce, sed transit ad cognoscendum significatum vocis *ens*, scilicet cognoscit *esse*,
QQQ quod

quod per ens significatur: item hoc cognoscit unica cognitione, ut patet: ergo datur conceptus formalis ultimus entis, qui est unicus.

7. Sed observa, quod conceptus iste formalis, quem dicimus unicum, est entis pro explicito, non autem entis pro implicito. Primum patet ex dictis, quia dum imperfectè præscindimus ens, cognoscimus ens pro explicito, & non cognoscimus explicitè differentias: sed ens non explicans differentias, est objectum explicitè unum & unicum: ergo conceptus formalis ultimus, quo noscimus ens pro explicito, est unus & unicus.

Secundum autem probatur. Quia de ente pro implicito nequit haberi unicus conceptus formalis: ergo conceptus formalis ultimus unicus, qui habetur, est entis pro explicito; non autem entis pro implicito. Antecedens probatur. Unitas conceptus formalis non stat sine unitate conceptus objectivi: sed conceptus objectivus entis pro implicito non est unus, sed multiplex juxta multipliciter differentiarum, quæ essentia. Inter includuntur in ente, ut patet ex q. 4. & infra ostenditur: ergo de ente pro implicito nequit haberi unicus

conceptus formalis. Consequentia est bona, minor ex nostris principiis certa. Major ab omnibus admittitur, quia unitas potentiae, & actus, sumitur ab unitate objecti.

Confirmatur ratione Ægidiana, quam in præfati adducit M. Villanova. Plura, ut plura non possunt in unum convenire. Sed implicitum entis sunt ejus inferiora, quæ sunt plura, ut plura: ergo nequeunt convenire in una cognitione taliter, ut per unicum conceptum formalem attingantur. Consequentia est bona: minor vera. Nam Deus est ens à se, independens, absolutum, & per essentiam creatura est ens ab alio, dependens, respectivum, & per accidens: sed ens à se, & ab alio dependens, & independens; per essentiam, & per accidens, sunt plura, ut plura; quia includunt differentias, per quas non conveniunt, sed sunt primo diversa. Iam verò major, quæ à N. Ægidio & à pluribus habetur ut primum principium, ex quo plures, utilesque deducuntur conclusiones solum eget explicatione. Plura, ut plura, sunt plura ut diversa, & in ea ratione, in qua differunt: sed quæ differunt non possunt convenire per eam rationem, per quam differunt: ergo licet plura possint in unum convenire, non tamē ut plura.

Di.

8. Dices: Quando distribuimus ens in sua inferiora, aliquem conceptum prius formamus de ente, quod distribuimus: atqui distribuimus ens pro implicito, hoc est distribuimus implicitum entis: ergo possumus aliquem conceptum formalem formare de implicito entis.

M. Villanova dicit quod pro tali distributione formamus conceptum aggregativum inferiorum entis; non autem conceptum præcisivum. Ratio primi est, quia ad conceptum aggregativum non obstat diversitas & pluralitas inferiorum, sed potius requiritur essentialiter; nam quæ solum sunt unum per aggregationem, necessario sunt diversa & plura: ergo cum inferiora entis sint plura & diversa, sunt unum per aggregationem. Ratio secundi est, quia ad unitatem plurium in conceptu præcisivo, requiritur quod illa plura conveniant in aliqua unitate formali: sed plura ut plura, non habent talem unitatem; alioquin ut plura sunt convenirent, quod est impossibile: ergo inferiora entis, quæ plura sunt, ut plura nequeunt habere unicum conceptum præcisivum.

Hinc fit quod audito nomine *ens*, formas de implicito ejus eundem conceptum,

quem formas audito nomine *exercitus*, de ejus implicito. Cognoscis enim diversos milites, & duces unitate aggregationis, non autem unitate præcisionis. Sic juxta laudatum Magistrum formas conceptum de implicito entis dum audis vocem *ens*.

At dicere poteris conformius ad dicta, quod distributio entis non fit de implicito, sed de explicito, fit tamen in inferiora contenta pro implicito. Est dicere, quod ratio distributa, non est implicitum entis, sed explicitum ejus: inferiora verò in quæ distribuitur, sunt implicitum entis. Hoc patet, quia distributio entis fit sic: *esse*, aliud est à se, aliud ab alio: aliud per se, aliud in alio, aliud absolutum, aliud relativum. Atqui in hac divisione ratio distributa est *esse*, & hoc est explicitum entis; inferiora verò & differentia per quas, & in quas distribuitur, latebant implicitè in ente: ergo conceptus entis, qui desideratur pro distributione, non est conceptus de implicito, sed de explicito entis; nam hoc distribuitur, non illud. Atqui de explicito entis datur unicus conceptus formalis, ut probatum est: ergo datur, quid, quid requiritur, nec necessarius est conceptus adhuc ag-

gregativus impliciti entis:

Confirmatur. Distributio entis fit juxta D. Thomam, & B. Ægidium, modo quo descensus, & contractio entis: sed juxta BB. DD. contractio entis ad substantiam, qualitatem &c. fit per solam majorem expressionem, non autem per additionem: ergo cum major expressio sit solum differentiarum, quæ latebant implicitè, distributio fit in inferiora, quæ latebat, sed fit expliciti, quod non latebat, & cui fit additio expressionis differentiarum latentium.

10. Habes ex doctrina hujus §. omne quod probat Suarius loco citato, quia non amplius conveniunt rationes ejus, quàm quòd detur unicus conceptus formalis, & unicus objectivus entis pro explicito; & quòd in isto explicito conceptu non appareat aliqua differentia inferiorum entis. Omittimus rationes ejus, ne longius abeamus: perpende benè doctrinam istam, & vide Suarj disputationem, hoc solum evincentem. At nil contra præcipuam doctrinam nostram, & Thomistarum RR. qui concedentes præcisionem entis imperfectam, & negantes perfectam, non premuntur argumentis suadentibus solum unitatem conceptus entis pro explicito.

Et observa. Quòd licet conceptus entis pro explicito sit unus, & nulla in eo explicito cognoscatur differentia, non est univocus, nec pura ratio conveniendi, quare nequit esse genus. Ratio est; quia ratio univoca, & generica debet esse una explicitè, & implicitè; ideòque lib. 3. q. 6: diximus, quòd animal excludit formaliter suas differentias, alioquin non esset pura ratio conveniendi. Atqui ens, licet explicitè sit unum, non est unum implicitè, sed plura, quia implicat in se essentialiter differentias omnium entium, ut dicemus: ergo non est ratio univoca, & generica, sed analogica. Et hoc intendunt tantum Ægidiani, & Thomistæ.

§. II.

Probatur impossibilis præcisio perfecta entis à suis differentijs.

11. **D**ICIMVS: Implicat conceptus entis perfectè præcisus à suis differentijs. Ita Thomistæ, Ægidiani, & ex Societate Vazquius, Rubius, & alij. Probatum primò ex P. August. sic: Nihil potest perfectè præscindi ab eo quod est de ejus essentiali

essentia: sed differentia entis sunt de essentia ejus, & è contrà, cum ens transcendat omnium entium differentias: ergo ens non potest perfectè præscindi à differentijs inferiorum. Major constat ex dictis lib. 3. q. 6. circa præcisionem objectivam. Minor suadetur omnibus autoritatibus Pat. August. adductis hìc quæst. 4. num. 2. quibus mente S. Parentis probatum est, quòd ens transcendit inferiorum differentias.

Confirmatur ex eodem S. P. lib. de Categ. cap. 2. Vbi loquens de æquivocis, & analogis, asserit: *In his unum nomen est, verum si ad diffinitionem, vel ad interpretationem nominis redeas, invenies illa disparia.* Ex quo sic. Ab his, quæ secundum suam diffinitionem, vel rationem formalem important pluralitatem rerum disparium, aut diversarum, nequit abstrahi unus conceptus perfectè præcisus: sed ens est hujusmodi juxta P. Augustinum: ergo ab inferioribus entis nequit abstrahi conceptus perfectè præcisus. Major est certa, nam quòd convenit alicui secundum suam diffinitionem & rationem formalem, convenit ei essentialiter; quare si ita convenit pluralitas, disparilitas, & diversitas, nequit ab ea præscindi, & fieri con-

ceptus unus perfectè præcisus. Minor etiam patet ex S. P. Primò, quia ens numeratur inter analogica juxta S. P. ut vidimus q. 3. num. 2. & in hac autoritate dicit de analogis, quòd secundum suam diffinitionem & essentiam, important disparilitatem & diversitatem. Secundò, quia si ens non esset tale, & posset perfectè præscindi à differentijs, foret univocus ille conceptus, & sic esset genus ad substantiam, & alia prædicamenta. Hoc negat P. August. de Categ. cap. 9: cujus verba dedimus supra q. 5. num. 6. ergo ens est analogum, in cujus essentia importantur disparilitas, pluralitas, & diversitas, à qua nequit perfectè præscindi.

Probatum 2. conclusio ex D. Thoma q. 1. de Veritate ar. 1. ubi ait: *Enti nihil potest addi extraneum per modum quo differentia additur generi, quia qualibet natura, vel essentia, est essentialiter ens.* Eodem modo loquitur B. Ægidius. Sententiarum dist. 8. q. 2. art. 2. dicens: *Quòd non eodem modo comparantur prædicamenta ad ens, & ea, quæ sunt generis ad genus &c. sed prædicamenta non addunt aliquam perfectionem supra ens.* Quapropter juxta utrumque B. Doctorem *Ens secundum se non spectat aliquid ad hoc, ut sit substantia, quantitas &c.* Verba sunt D. Thomæ 8. Metaphysicæ lect. 7. sed

sed solam majorem expres-
sionem ejus, quod implicite
est in ente. Nunc sic. Ens ne-
quit perfecte præscindi ab eo,
quod est de ejus essentia; sed
differentiæ entis sunt de essen-
tia ejus juxta utrumque B. D.
ergo de mente utriusque ne-
quit dari conceptus entis, per-
fecte præcisus à differentijs.

12. Ex his probatur
conclusio à ratione. Nihil po-
test perfecte præscindi ab eo
quod est de ejus essentia: sed
differentiæ omnium entium
sunt de essentia entis: ergo ab
eis nequit ens perfecte præ-
scindi. Major admittitur à cō-
trarijs, & suadetur exemplis.
Quia rationalitas est de essen-
tia hominis, nequit homo
præscindi perfecte à rationali-
tate. Sic nec animal à princi-
pio sentiendi, & idem de alijs.
Cujus ratio est; quia si non
cognoscitur essentiale rei, non
cognoscitur res; si res non co-
gnoscitur: ergo nec cognosci-
tur præcisivè. Minor autem
primò probatur eis rationibus
quibus quæst. 4. probata est
transcendentia entis.

Probatur 2. minor. Quod
non est superadditum essentia
entis, est de essentia entis: sed
differentiæ entis non superad-
dunt aliquid ad essentiam en-
tis: ergo sunt de ejus essentia.
Major patet, quidquid non est
de essentia hominis, ei adjun-

ctum, aliquid superaddit; &
videti potest in omni materia.
Jam verò quoddam differentiæ ad-
ditæ enti, nihil ei superaddant,
docetur à BB. Doct. laudatis,
& suadetur sic. Quidquid sunt
differentiæ, est aliquid, & sic
ens: sed ens non superaddit
enti, ut patet: ergo differen-
tiæ non addunt supra ens.

Confirmatur. Demus ens
præcisum à differentijs, ut vo-
lunt contrarij, tunc ens esset
præcisum, & non esset præci-
sum: sed esse, & non esse, re-
pugnat: ergo repugnat præci-
sio entis perfecta à differentijs.
Minor cum consequentia te-
net, & major probatur. De-
mus ens præcisum à differen-
tijs; tunc differentiæ sine ente,
ab eis præciso, non essent ens:
ergo essent nihil, quod solum
est præcisum ab ente: ergo ens
præcisum à differentijs, esset
præcisum à nihilo: sed ens
præcisum à nihilo, non est præ-
cisum, sed est ab eo realiter
negativè distinctum: ergo ens
sic præcisum, non esset præci-
sum.

Explicatur. Ens præscin-
dens à differentijs, vel præscin-
dit ab ente, vel præscindit à
non ente: patet hoc, quia dif-
ferentiæ vel sunt ens, vel non
ens. Sed ens ab ente nequit
præscindere; quia nequit à se-
ipso præscindere, nec concipi
sine sibi essentialibus; ens autem

QUÆST. VII.

§. II.

495

tem est essentielle enti commu-
ni: ergo ens præscindens à dif-
ferentijs, præscindit à nihilo:
& hoc est chimæra. Tum quia
differentiæ non sunt nihil, cū
sint constitutivæ entis prædica-
mentalis. Tum quia entis à
nihilo non datur præcisio, sed
realis distinctio: præcisio au-
tem est solum inter identifi-
cata; nihilum autem cum en-
te nequit identificari.

13. Dices forsan.
Quod ens est de essentia infe-
riorum, sed non è contra, quia
differentiæ non sunt de essen-
tia entis: quare licet differen-
tiæ non possint ab ente præ-
scindere, quia manerent ni-
hil; ens autem potest à diffe-
rentijs præscindi, & de hoc
est quæstio, non de præcisio-
ne differentiarum ab ente. Di-
ces secundò quod differentiæ
sunt ens in *quale*, & non in
quid, quare ens præscindit ab
eis, nec præscindit à nihilo: sed
ab ente in *quale*, quod non te-
pugnat, sed potius convenit
enti in *quid*. Hac secunda so-
lutio quæ est contrarijs fami-
liaris, impugnata est q. 4. n.
6. ibi vide impugnationes, ne
eadem reputamus.

Contra primam solutio-
nem sic. Nullum est præscindi-
bile ab eo quod est impræscin-
dibile ab ipso: sed juxta so-
lutionem differentiæ sunt in-
præscindibiles ab ente; ergo

ens est impræscindibile à diffe-
rentijs. Major patet, quia ego
non possum separari ab eo,
quod est à me inseparabile:
ergo nec præscindi ab impræ-
scindibile; quia præcisio est
quædam separatio per ratio-
nem. Rursus differentiæ entis
sunt ens; alioquin forent ni-
hilum, ut arguebamus: sed
ens est de essentia entis: ergo
differentiæ sunt de essentia
entis. Quare eisdem rationi-
bus, quibus probatur quod
ens est de essentia inferiorum;
probatur quod inferiora
sunt de essentia entis.

Hinc pro consequentiâ
doctrinæ notabis, quod lib.
3. q. 6. diximus prædicata su-
periora præscindere ab infe-
rioribus, sed inferiora non
præscindunt à superioribus.
Hic autem docemus sine hoc
discrimine, tam impræscindi-
bilem esse rationem entis su-
periorē ab inferioribus, quàm
à contrario. Hoc videtur in-
consequenter dictum, sed non
est sic. Quia in ente non ha-
bet locum illud discrimen,
eo quod tam ratio superior
est de essentia inferiorum,
quàm sunt inferiora de es-
sentia entis superioris. Unde
est mutua ex omni parte ra-
tio negandi præcisionem. At
in univocis non est ratio mu-
tua, quia superiora nec inclu-
dunt, nec supponunt inferiora:

ceterum inferiora includunt superiora, & ideo ab eis non præscindunt.

Dices. Animal est de essentia hominis, & equi: & tamen præscindit ab eis: ergo licet ens sit de essentia inferiorum, poterit ab eis præscindi. Respondeo primò, quòd animal non præscindit à speciebus, sed à differentijs, *rationale, & irrationale*, de quorum essentia non est. Respondeo secundò, quòd præscindit ab homine, quia reduplicata in eo rationalitate, non est de essentia hominis. At ens est de essentia inferiorum sub quacumque reduplicazione.

14. Probatur 2. conclusio à ratione. Nam si ens perfectè præscindit à differentijs, erit sic præcisum ratio univoca ad omnia inferiora: & consequenter erit genus ad omnia: sed hoc est contra veritatem: ergo & quòd perfectè præscindat &c. Minor constat, quia si ens esset genus ad inferiora, esset genus relatè ad Deum, & sic esse Dei foret compositum ex genere, & differentia, quòd repugnat summæ simplicitati Dei. Tum etiam foret genus ad omnia prædicamenta, quòd negat P. August. cap. 9. Categ. cum Arist. & communi sententia. Major autem probatur. Et quidem tota ratio negandi,

quòd genus sit ens, est quia ens non est univocum, sed analogum; quare si ex præcisione sequitur univocatio, sequitur quòd ens sit genus.

Univocatio probatur sic: Conceptus perfectè præcisus à differentijs, præscindit ab omni ratione differendi: sic præscindere est univocari: ergo conceptus sic præcisus est univocus. Major patet, quia differentia est ratio differendi: quare præscindere ab omni differentia, est præscindere ab omni ratione differendi. Minor patet etiam, nam univocatio est convenientia pura sine ratione disconveniendi, ut dictum est q. 1. nom. 3. sed ratio præscindens ab omni ratione differendi, est pura ratio conveniendi sine ratione disconveniendi; alioquin si includeret rationem disconveniendi, non præscinderet ab omni ratione differendi: ergo sic præscindere, est univocari.

15. Respondebis cum Suario, qui propugnât præcisionem entis, & negat univocationem, quòd ens sic præcisum non est univocum, quia petit inæqualiter descendere ad inferiora. Si enim foret ratio univoca, non peteret talem inæqualitatem. Respondebis cum alijs, ens præscindere à differentijs, quia ista non

non sunt de essentia entis: at ens non est univocum, quia est de conceptu essentiali differentiarum.

Sed contra primam solutionem sic. Nulla est ratio univoca, quæ non petat inæqualiter descendere ad inferiora: ergo semel præciso ente à differentijs, petere inæqualiter descendere non tollit univocationem ejus. Probatur antecedens. Nulla est ratio univoca, & generica, quæ non petat descendere per differentias distinctas: sed differentia sunt inæquales, quia constituunt speciem, & species sunt inæquales in perfectione: ergo &c. Hoc patet exemplo animalis, quòd præcisum est ratio univoca, & generica: & tamen petit inæqualiter descendere ad hominem, & equum, per differentias *rationalis, & irrationalis*, quæ inæquales sunt: quin ista inæqualitas obstat univocationi rationis præcisæ.

Rursus: Ens præcisum petens inæqualitatem, vel petit illam ratione differentiarum, à quibus præscindit, vel ratione sui, & independenter à differentijs. Si primum? Ergo non obstat univocationi. Patet consequentia, quia inæqualitas orta ex differentijs, non obstat univocationi logica, ut dictum est supra. Si

secundum? Ergo ratio entis non est perfectè præcisæ à differentijs. Patet consequentia. Quia ens ratione sui, sicut non est ratio differendi, sed ratio conveniendi; sic nec est ratio inæqualitatis inferiorum, quæ non stat sine diversitate; eum nemo sit sibi ipsi inæqualis, sed alteri: ergo si præcisæ petit inæqualitatem, signum est, quòd non est perfectè præcisæ à differentijs, sed latet implicitè ratio inæqualitatis.

16. Contra secundam solutionem vide dicta hic n. 13. & urge rationes hic, & quæst. 4. factas, quibus æquè probatur, quòd differentia sunt de essentia entis, ac quòd ens est de essentia inferiorum. Rursus. Si juxta solutionem ens est de conceptu essentiali differentiarum: ergo differentia sunt essentialiter ens: at ens est de essentia entis: ergo differentia sunt de essentia entis: & sic vel non potest ens ab eis præscindi; vel si præscindit, erit ratio univoca. Urgetur. Quòd non obstat præcisioni perfectæ, non obstat univocationi: sed quòd ens sit de essentia differentiarum, non obstat præcisioni: ergo nec univocationi. Minor est doctrina solutionis: & major probatur. Quòd non obstat puræ convenientiæ si-

ne disconvenientia, non obstat univocationi, quia juxta dicta quæst. 1. num. 3. univocatio est pura convenientia sine disconvenientia: sed quod non obstat præcisioni perfectæ ab omni differentia, & ratione disconveniendi, non obstat puræ convenientiæ; quia præcisio talis reddit conceptum purum ab omni disconvenientia: ergo &c. Hoc modo impugnabis faciliè omnes alias solutiones, quas omittimus; nam eis volunt contrarij conciliare perfectam præcisionem à differentijs cum analogia rationis præcisæ. Hoc est impossibile; nam da quamcumque disparitatem: si hæc non obstat præcisioni ab omni differentia, non obstat univocationi, & præcisioni ab omni ratione differendi.

§. III.

Solvuntur argumenta contraria.

17. **S**IT primum argumentum, desumptum ex nostris principijs. Ideò lib. 3. quæst. 6. diximus quòd animal objectivè præscindit à rationali, quia in sensu formali hæc est mala consequentia *Est animal: ergo est rationale*: sed etiam hæc

DE ANTEPRÆDIC.

est mala *Est ens: ergo est substantia, vel ens per se: ergo ens objectivè præscindit à differentijs non minus, quàm animal à rationali.*

Confirmatur. Ideò hæc est mala consequentia *Est ens: ergo est substantia*; quia hic arguitur à superiori ad inferius affirmativè: sed si ens dicit pro implicito substantiam, non est superius ad substantiam: ergo vel est bona consequentia, vel dicendum quòd ens non includit substantiam; sed ab illa objectivè perfectè præscindit.

18. Respondeo ex cõmuni regula analogorum ab omnibus admiffa, qua dicitur *Analogum per se sumptum stat pro famosiori*. Quare cùm in ratione analogata entis Deus sit analogatum principalius; ideò quando dicitur absolutè *ens*, intelligitur Deus. Consonat huic doctrinæ quod suprà dictum est, scilicet Exodi 3. per hæc verba *Ego sum qui sum*; significatur Deus: & Moyles dixit Israëlitis: *Qui est, misit me ad vos*, idest Deus. Ergo hæc est bona consequentia *Est ens: ergo est Deus*. Ergo hæc est bona: *Est ens: ergo est substantia*, si modo quo ens absolutè dicit Deum; substantia dicat Divinam substantiam. Vt ergo benè inferas substantiam creatam, argues sic: *Est ens creatum:*

QUÆST. VII.

ergo est substantia creata. Nam consequens benè infertur ex antecedenti juxta regulam datam, quia antecedens, & consequens supponunt pro eodem principaliori analogato: & talis est substantia relatè ad ens creatum.

At verò hæc est mala consequentia *Est ens creatum: ergo est accidens*. Quia antecedens supponit pro substantia principaliori analogato, & ex substantia malè infertur accidens. Ex his respondemus in forma ad argumentum negando min. Negamus quòd sit mala consequentia ab ente ad substantiam, si intelligas Divinam. Si tamen intelligas creatam, est mala consequentia, quia consequens, & antecedens nõ supponunt pro eodem, sed pro diversis; scilicet antecedens pro Deo, & consequens pro creatura. Jam vides quòd licet sit illa mala consequentia non sequitur quòd ens præscindat à differentijs modo quo animal à suis. Disparitas est clara: nam ab animali non valet consequentia ad rationale, nec ad irrationale. At verò ab ente absolutè prolato valet consequentia ad Deum: & ab ente creato valet consequentia ad substantiam creatam; unde nec ens objectivè præscindit à Deo & creaturis; nec ens

creatum à substantia, & accidenti.

Ad confirmationem nego quòd illa consequentia sit mala, nam est bona juxta doctrinam communem pro analogis. Ad veritatem & rectitudinem consequentiæ sufficit, quòd consequens, & antecedens supponant pro eodem. Cùm ergo *ens*, & *substantia*, absolutè prolata, sint analogata, quæ supponunt pro Deo famosiori analogato; ideò ibi nõ arguitur à superiori ad inferius affirmativè, sed ab æquali ad æquale. Si verò diceres *Est ens: ergo accidens*, esset mala consequentia, non quia arguis à superiori ad inferius, sed quia consequens, & antecedens non supponunt pro eodem, sed pro diversis.

19. Dices: Ens solùm cognitum pro explicito, est superius ad substantiam: ergo ab ente sic cognito ad substantiam erit mala consequentia, & arguitur à superiori ad inferius affirmativè. Sed hinc probatæ sunt à nobis præcisiones objectivæ lib. 3. ergo ex inde tenemur eas admittere in ente. Respondeo quòd explicitum entis est superius ad substantiam; & quando ex eo arguitur affirmativè ad substantiam, malè arguitur; nec est recursus ad regulam

datam analogorum, quæ solum probat, & tenet de analogis attento implicito. At nil contra nos, quia cognitio solum expliciti est præcisio objectiva imperfecta, ut dictum est §. 1. Hæc probatur per replicam istam, non autem præcisio perfecta; quia ad istam oportebat assumere, quod cognito ente pro implicito, ab illo ad substantiam est mala consequentia, sicut cognito animali pro implicito, ab illo ad rationale est mala consequentia. At hoc non assumitur in replica; alioquin coincideret cum argumento, jam soluto per regulam analogorum.

20. Secundum argumentum huic affine, est præcipuum fundamentum sententiæ contrariæ. Formatur sic. Hæc est vera prædicatio, *Substantia est ens*: sed non esset vera, si ens, quod prædicatur, includeret differentias: ergo ens præscindit objectivè à differentiis. Minor probatur. Prædicatum essentialiter includens aliquid repugnans subjecto, nequit de subjecto affirmari; ideò enim hæc est falsa, *Equus est homo*, quia homo includit rationalitatem, equo repugnantem: sed accidens nequit convenire substantiæ: ergo si ens includeret essentialiter inferiorum diffe-

rentias, scilicet substantiæ, & accidentis, non esset vera hæc prædicatio, *Substantia est ens*.

Confirmatur 1. Si accidens esset de essentia entis, quando ens prædicatur de substantia, de illa etiam prædicaretur accidens: sed de substantia nequit accidens prædicari: ergo ens, quod prædicatur de substantia, non includit accidens, sed ab eo præscindit. Major constat ex illo principio, explicato quæst. 1. hujus libri num. 8. *Quando quidpiam prædicatur, de quopiam &c.*

Confirmatur 2. Quando animal prædicatur de homine, prædicatur etiam de illo substantia, corpus, vivens, & alia, quæ continentur pro implicito in animali: ergo quando de substantia prædicatur ens, prædicabitur accidens, quod in ente continetur implicitè. Hoc nequit dici: ergo quia ens prædicatum non continet differentiam accidentis, sed ab ea præscindit. Adde, quod ex nostra sententia sequitur res omnes prædicari ad invicem, v.g. Deus de creatura, & creatura de Deo; nam in nostris principiis in ente essentialiter includuntur Deus & creatura: ergo cum ens prædicetur de quolibet, de quolibet prædicantur omnia, quod est falsissimum.

Ma-

21. Magister Noster Villanova plures in hoc argumento observat fallacias: sed quoniam difficilius est explicare in quo consistant, quam eas dissolvere; ideò brevitati, & claritati consulens, ad argumentum respondeo negativè ad probationem, distinguendo maj. prædicatum includens &c. si adæquatè prædicetur secundum explicitum, & implicitum, concedo maj. si inadæquatè solum prædicetur secundum implicitum, nego maj. & consequentiam. Quando ens prædicatur de substantia, prædicatur adæquatè explicitum entis; non tamen adæquatè implicitum illius. Cum ergo in ente pro implicito, contineatur substantia, & accidens; ideò de substantia prædicatur pars impliciti entis, non totum implicitum ob rationem argumenti. Nec datur paritas in exemplo arguentis: nam homo tam pro implicito, quam pro explicito repugnat equo; & ideò est falsa illa prædicatio, *Equus est homo*. Secus in nostro casu.

Ad primam confirmationem nego maj. ad probationem dic illud principium esse verum in prædicatis, quæ adæquatè prædicantur de inferioribus, & adæquatè descendunt ad illa. Non est tale ens, quod inadæquatè præ-

dicatur de substantia, & inadæquatè descendit ad illam; quatenus scilicet includit perfectitatem; non autem ut etiam includit inaliètatem. Et si dicas, ex hoc sequi quod hæc prædicatio, *Substantia est ens*, non erit superioris de inferiori, sed æqualis de æquali, quia ly *ens* dicit *ens per se*, quod est æquale substantiæ. Respondeo concedendo sequelam juxta dicta hinc in solutione primi argumenti. Vel dic quod ens pro explicito, & ex modo significandi, est superius ad substantiam, quod sufficit, ut sit prædicatio superioris de inferiori juxta dicta hinc num. 19.

22. Ad secundam confirmationem nego consequentiam. Nam animal est prædicatum univocum, & univocè semper prædicantur adæquatè tam secundum explicitum, quam secundum implicitum. E contra autem analogæ, & transcendentia, quæ inadæquatè solum prædicantur secundum implicitum. Ratio hujus est, quia univocam nullam differentiam includunt, & ob id adæquatè prædicantur de inferioribus: Sed analogæ includunt differentias, quia sunt rationes conveniendi, & disconveniendi; & ideò nequeunt adæquatè convenire inferioribus, sed inadæquatè.

quatè secundùm implicitum. Exemplum adest in essentia Divina, quæ includit Paternitatem, Filiationem, & Spirationem, & tamen non convenit Patri essentia Divina secundùm omnia, quæ includit; aliàs conveniret Patri Filiationem: sed convenit Patri essentia Divina secundùm quod inadæquatè includit propria Patris, scilicet Paternitatem.

Ad ultimum dic, quòd licèt ens prædicetur de quolibet inferiori, quia tamen non prædicatur secundùm adæquatam implicitum; ideò non sequitur quòd de quolibet ente prædicentur omnia, quæ in ente continentur. Unde nego sequelam, quia dum ens prædicatur, solum affirmatur de subiecto, id quod continetur in ente, cujus est capax subiectum. Sic dum dicitur *Petrus est animal*, non prædicatur de Petro omne animal, sed solum illud, quod cum Petro identificatur. Vide dicta lib. 3. quæst. 5. de conservatione universalis in actuali prædicatione.

23. Argues 3. Ens potest præscindi ab eo, quod non est de illius essentia: sed differentia entis non sunt de illius essentia: ergo ab eis potest præscindere. Minor probatur. Si differentia entis essent de illius essentia, præ-

dicarentur de eo, de quo prædicatur ens: sed hoc esse falsum apparet in substantia, de qua prædicatur ens, & non prædicatur in aliteras, quæ est differentia entis: ergo.

Confirmatur primò. Quàdo dicitur *Substantia est ens*, non dicitur *substantia est aliquid*, quod essentialiter est substantia, & accidens: ergo ens non includit essentialiter inferiora. Confirmatur 2. Id, quod est posterius, non est de essentia prioris: sed differentia entis sunt posteriores ente: ergo non sunt de essentia illius, & consequenter ab eis præscindit Minor probatur. Nam valet sic, *Est substantia: ergo est ens*. Non autem valet, *Est ens: ergo est substantia*. Sed hoc ideò est, quia ens est prius, à quo non valet subsistendi consequentia: ergo differentia entis sunt posteriores ente.

Tertiò. Nemo potest constitui per opposita: sed modi entis *per se, & in alio*, sunt oppositi: ergo nequit per illos constitui ens; nec esse de illius essentia. Quartò. Quando intellectus est certus de uno conceptu, & incertus de alio; tunc illi conceptus distinguuntur, & præscindunt objectivè: sed potest quis esse certus de eo, quòd aliquid sit ens; quin sciat, an sit substantia, vel accidens: ergo &c. Pro-

batur min. Nam Philosophi antiqui certi erant de eo, quod quantitas est ens; incerti verò an esset substantia, vel accidens. Quintò. Membra dividenda non sunt de essentia divisi, ut patet in rationali & irrationali respectu animalis: sed differentia entis sunt membra dividenda ens: ergo non sunt de essentia eius; quare ab eis præscindit.

24. Ad argumentum nego min. ad probationem, disting. maj. differentia debet prædicari de eo, de quo prædicatur ens, & modo quo prædicatur ens, concedo maj. aliter, nego maj. Ens includit substantiam, & accidens, sed non prædicatur adæquatè secundùm omne, quod includit, sed inadæquatè, scilicet de substantia, ut includit substantiam; de accidente, ut includit accidens. Hoc modo concedimus etiam prædicari distributivè differentias inclusas: sed nil contra nos & veritatem.

Ad 1. confirmationem disting. antecedens. Quando ens prædicatur &c. non dicitur aliquid, quod essentialiter est substantia, & accidens, quod essentialiter pro implicito; nego antecedens; quod essentialiter pro explicito, concedo antecedens; & nego consequentiam. Ens quod præ-

dicatur de substantia, non est pro explicito substantia, vel accidens, neutrum enim explicat. Attamen pro implicito est essentialiter utrumque; ita ut si velis diffinire implicitum entis, hoc fiat per substantiam, & accidens. Ad 2. confirmationem nego. quòd ens sit prius substantia, nam ab illo ad substantiam valet consequentia, ut in primo argumento dictum est, vel dic, quòd est prius pro explicito non autem pro implicito.

Ad 3. confirmationem dic, quòd ratio analogæ cum simul sit ratio conveniendi, & disconveniendi, necessariò debet constitui per opposita, ut tamen inter se proportionaliter, vel attributaliter convenientia. Talis est ratio entis respectu inferiorum. Ad 4. dic, quòd tales conceptus debent distingui objectivè perfectè, vel imperfectè. Ceterum in ente distinguuntur solum imperfectè, quia unus includit alium formaliter, cum sit de essentia illius. Quare ab illo præscindit objectivè imperfectè, ut §. 1. explicatum est; non autem perfectè. Ad ultimum dic, id esse verum de ratione univoca, non autem de analogæ, & transcendentis, dum dividitur: & ratio entis analogæ, & transcendens est, ut uni-

cedimus lib. 4. agentes de specie prædicabili, ubi arborem Porphyrianam descripsimus, disponendo prædicata hominis superiora, & inferiora juxta ordinem, quem servat inter se. Primò & supra omnia, posita est *substantia*, postea *corpus*, postea *vivens* &c. Hæc coordinatio prædicatorum, quæ de homine prædicabilia sunt, disposita taliter, ut quædam supra, quædam subtrus sint, vocatur prædicamentum hominis. Et quia de quolibet ente formari potest eadem distributio, & coordinatio prædicabilium; de quolibet potest formari prædicamentum.

At in præsentī prædicamentum sumitur pro genere omnium supremo: juxta quã acceptionem prædicamentum diffinitur ab omnibus *genus supremum*. Quapropter per inde est dicere decem esse categorias, decem prædicamenta, ac decem genera omnium suprema, in quibus quidquid est, & habet rationem entis, collocatur. Vocantur genera, quia sunt rationes univoce conveniendi; & ob id *ens* prædicamentum non est, quia non est univocum, ut patet ex libro præcedenti. Dicuntur suprema; quia supra se non habent aliud genus. Nam, ut constabit, prædicamenta

solum habent supra se *ens*; sed *ens* genus non est defectu univocationis.

Ista genera omnium suprema, sunt *Substantia*, *quantitas* &c. de quibus infra. De illis tractant Metaphysicus, & Logicus, licet sub diversa ratione. Metaphysicus agit de illis, ut entia sunt in rebus natura; Logicus autem, ut suscipiunt secundas intentiones generis, speciei, differentie, & similibus. Hinc dicitur quod Logicus, & Metaphysicus agunt de omni ente licet sub diversa ratione formali. Ratio primi est, quia utraque scientia agit de prædicamentis, & in eis collocatur aliquomodo quidquid sub ente continetur. Ratio secundi constat ex discrimine assignato.

2. Explicata essentia prædicamenti, restat exponere quas condiciones requiratur, ut aliquid in prædicamento collocetur. Sed prius notandum est cum Doct. nostro in 1. Sentent. dist. 8. par. 2. quæst. 1. art. 3. quod tripliciter potest aliquid poni in prædicamento, videlicet *directè*, *indirectè*, & *reductivè*. Illud ponitur *directè*, quod ponitur in recta linea prædicamentali: hujusmodi sunt omnia genera usque ad speciem infimam, v. g. *Substantia*, *corpus*, *vivens* &c.

sensibile, *rationalè*, vel *homo*. Dicitur recta linea in arbore prædicamentali illa, unde veluti rami prodeunt differentie dividentes, quæ sunt ad latus dextrum, & sinistrum lineæ rectæ. Ponitur *indirectè*, quidquid ponitur ad latus, & non ratione sui, sed ratione generis, divisi per differentias. Hujusmodi sunt *corporea*, *animata* &c. Dicitur tandem poni *reductivè*, quod vel est ens incompletum, & partiale, ut materia, & forma; vel est modus entis, ut existentia, subsistentia, unio, punctum, & alia. Hæc enim reductivè spectant ad illud prædicamentum, in quo ponitur ens, cujus sunt partes, & modi. V. g. unio partium substantiæ ad prædicamentum substantiæ reductitur: punctum, quo partes quantitatis copulantur, ad prædicamentum quantitatis. Ultra hos modos essendi in prædicamento, adest alter qui soli Deo convenit, & est *esse efficienter* in omni prædicamento, quia cum sit omnium entium causa, pertinet effectivè ad omnia prædicamenta.

Præcipua intentio DD. est explicare quid ponatur *directè* in prædicamento, inde enim apparet quid *indirectè*, quid reductivè ponatur. Hinc dicimus cum communi sententia plures esse condiciones

ad hoc requisitas, quæ sequenti conclusione comprehenduntur. Ut aliquid ponatur *directè* in prædicamento debet esse *ens reale positivum*, *finitum*, *incomplexum*, *univocum*, *completum*, & *per se*. Adde pro substantia debere esse *concretum*, sed pro accidentibus *abstractum*. Assertio est communis, & probatur explicando singulas condiciones.

3. Prima conditio est, quod sit *ens reale positivum*. Per hanc excluduntur entia rationis, & negationes entis realis. Docetur ab Aristot. 5. Metaphys. cap. 4. ubi primò dividit ens in reale, & rationis; & postea ens reale subdividit in decem prædicamenta. Probatur à ratione. Nam ens rationis non est substantia, quia non existit per se: insuper nec est accidens, quia non perficit substantiã. Est tamen ratio sub qua Logica tractat de Prædicamentis, ut dictum est.

Secunda conditio est, quod sit *finitum*. Hæc negatur à paucis illis, qui putant Deum collocari in prædicamento substantiæ. De hoc infra: sed interim probatur hæc conditio. Quia quidquid ponitur in prædicamento constat genere, & differentia; sed ita constans, est ens finitum: ergo quidquid ponitur in prædicamento, de-

bet esse ens finitum. Major patet, & minor est certa; primò, quia constans genere & differentia, non est summè simplex, sed compositum; infinitum autem est summè simplex. Secundò. Quia differentia determinat speciem ad esse determinatum sub genere: determinatio autem, & finitio, idem sunt. De hoc infra.

4. Tertia conditio, quòd sit ens incomplexum. Ratio est, quia complexa, v. g. *homo albus*, non sunt per se unum, sed per accidens: ergo non spectant ad determinatum prædicamentum. Observa quædam esse complexa res; & nomine, ut in exemplo dato: quædam re, sed non nomine, ut *canis*, dictus de cælesti, & terrestri, significat enim uno nomine duas naturas: quædam nomine, sed non re, ut *animal rationale*; duo enim sunt nomina, sed idem significatum ac *homo*, qui est ens incomplexum. Omnia enim complexa, quomodo-cumque talia sint, excluduntur à prædicamento.

Quarta conditio, quòd sit ens univocum. Hujus defectu exclusum est ens à ratione prædicamenti. Ratio est, quia Prædicamenta sunt genera; & quidquid ponitur in prædicamento, ponitur sub genere: sed genus est ra-

tio univoca, & pura ratio conveniendi: ergo ut res ponatur in prædicamento, debet esse ens univocum.

Quinta conditio, quòd sit ens completum. Per istam excluduntur entia partialia, ut partes integrantes, v. g. manus, caput, jecur &c. et partes physice compositi substantialis, ut materia, forma: nec non modi, ut existentia, subsistentia, unio &c. Nam hæc indirectè solùm, vel reductivè ratione totius, quod componunt, vel afficiunt, ponuntur in prædicamento. Ratio hujus conditionis est; quia sola entia completa per se producuntur; incompleta autem ratione totius: ergo sola completa directè ponuntur in prædicamento, reliqua reductivè ratione totius. Adde ex P. Augustino infra allegando, prædicamenta esse distributa ab Aristotele, ut clarior, & distinctior cognitio haberetur omnis entis. Vt ergo de incompletis habeatur notitia, satis est illa reducere ad prædicamentum entis còpletis: alioquin pro incompletis oporteret multiplicare categorias, & multiplicatione redderetur cognitio obscurior, & difficilior.

Sexta conditio, quòd sit ens per se. Non est sermo de perfectitate existendi, quæ soli convenit substantiæ, sed de

perfectate unitatis, opposita enti per accidens: sic vocatur aggregatum ex multis entibus, v. g. *acervus lapidum*. Coincidit hæc conditio cum tertia, & forsan est ejusdem explicatio, unde eadem ratione comprobatur.

5. Cùm hucusque tam pro substantia, quàm pro prædicamenti accidentium, conditiones assignaræ sint, septima distinguit substantiam ab accidentibus: quare substantia debet esse concretum, & accidens abstractum, ut in prædicamento collocetur. Ratio primi est, quia in prædicamento substantiæ solùm ponuntur genera, species, & individua, v. g. *Animal, Homo, Petrus*: sed hæc dicunt substantiam in concreto, v. g. *Animal*, dicit subjectum habens animalitatem, & sic de alijs: ergo ut quid ponatur directè in prædicamento substantiæ, debet esse concretum. Ratio secundi est, quia concretum accidentale non est ens per se, sed per accidens, quia dicit subjectum, & formam, quæ sunt duæ entitates diversi prædicamenti: v. g. *Album* dicit subjectum habens albedinem, subjectum est substantia, albedo accidens, & spectant ad diversa prædicamenta: sed ut quid ponatur in prædicamento, debet esse ens per se, ut in 6. conditione

dictum est: ergo ut quid ponatur in prædicamento accidentis, debet esse abstractum, non concretum. Ob hæc Philosophus dixit, quòd *qualitas* ponitur in prædicamento, non autem *quale*.

Tandem observa, quòd entia, quæ ponuntur in prædicamento, sunt entia nominaliter sumpta, hoc est, quatenus dicunt ordinem ad existentiam, non autem sunt entia participialiter, id est entia existentia. Ratio est; quia res ponuntur in prædicamento per suam essentiam: sed creaturæ per suam essentiam non existunt, sed per existentiam essentiæ superadditam, ut dicemus Deo favente in Philosophia: ergo non ponuntur in prædicamento ut sunt ens participiale, sed ut ens nominale.

§. II.

Deciditur an divisio entis in decem prædicamenta sit adæquata.

6. **A**rist. hic dividit ens reale in hæc decem prædicamenta, *Substantia, quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, quando, ubi situs, & habere*. Hanc divisionem ut adæquatam approbat P. August. de Categ. cap. 8. dicens: *Eorum ergo, quæ nulla copulatione di-*

cuntur, quodcumque singulare dictum fuerit, aut usiam significat, aut quantitatem, aut qualitatem, aut aliquid, aut jacere, aut facere, aut pati, aut ubi, aut quando, aut habere. Nomina diversa aliquomodo sunt, sed usia dicit substantiam, ad aliquid relationem, jacere situm, facere & pati actionem & passionem, habere habitum. Rectitudinem hujus divisionis probant P. August. S. Thomas, & B. Egidius, cum quibus tripliciter à nobis probandum est, quod prædicamenta non sunt plura, nec pauciora, sed quod divisio entis in ea, est adæquata.

Sit prima probatio cum P. Augustino loco laudato ca. 8. Divisio entis in substantiã, & accidens, est adæquata; nullum enim potest esse ens, quod vel substantia, vel accidens nõ sit: sed divisio entis in decem prædicamenta, & divisio in substantiam, & accidens, ut enim dicit P. N. *Hæ sunt categoriæ decem, quarum prima usia est, scilicet quæ novem ceteras sustinet; reliquæ verò novem accidentia sunt: ergo si novè ultima adæquatè dividūt rationē cõmunē accidentis, divisio entis in decem prædicamenta, erit adæquata. Omnia constant, si tantum probetur, quod accidens adæquatè dividitur in novem ultima prædicamenta.*

Probatur sic à P. N. ibi.

dem. Quidquid est in substantia, ut in subjecto, vel est intra substantiam, vel extra substantiam, vel simul intra, & extra substantiam. Non enim est possibilis alter modus in hære. di substantiæ; quare S. P. adæquatè dividit, dum dicit: *Alia sunt in ipsa usia, alia extra usiam, alia intra, & extra.* Si sit intra substantiam; erit *quantitas, qualitas, aut situs.* *Hæc enim in ipsa usia sunt, & sine hac ipsa esse non possunt, ait S. P.* Si sit extra substantiam, erit *ubi, quando, & habere; quia locus ad usiam non pertinet, & tempus & vestiri, & armari, sed ab usia separata sunt, id est extrinseca sunt substantiæ, quam locant, mensurant, & vestiunt.* Si tandem accidens sit simul intra, & extra substantiam, est *relatio, aut actio, aut passio.* Nam relatio est in substantia, sed ad terminum extra substantiam; actio est in substantia, sed agens efficit terminum à se extra distinctum; passio item est intra patientem substantiam, sed est ab altero, & sic ab extrâ. Ergo adæquatè dividitur accidens, seu ens in alio, in novem ultima prædicamenta.

7. Sit secunda probatio ex D. Thoma 5. Metaphisicæ lect. 9. Prædicamenta sunt quædam prædicata, quæ possunt prædicari de prima, & individuali substantia: sed hæc prædicata sunt tantum decem: ergo

ergo prædicamenta, in quæ ens est divisibile, sunt tantum decem. Probatur minor. Quidquid prædicatur de substantia vel prædicatur essentialiter, vel accidentaliter. Si essentialiter; sic est *substantia.* Si accidentaliter; iterum distinguendum est; nõ vel est quid intrinsecum, vel extrinsecum. Si intrinsecum? hoc vel est absolutum, vel respectivum. Si respectivum; erit *relatio*; si absolutum, vel sequitur materiam, & tunc est *quantitas*; vel formam, & tunc est *qualitas.* Si verò prædicatum sit accidentale ab extrinseco sumptum, tunc vel illud extrinsecum est solum ornamentum substantiæ, & tunc est *habitus*; vel est principium, & est *actio*; vel terminus, & est *passio*: vel est mensura durationis, & est *quando*: vel mensura in loco absolute, & est *ubi*: vel ordinatio partium in loco; & est *situs.* Hæc ratio coincidit cum Augustiniana quoad duas primas divisiones; nec multum discrepat quoad reliqua s.



8. Sit tertia probatio ex N. B. Egidio q. 4. de Mensura Angelorum, & Quodlib. 4. q. 2. Quidquid prædicatur vel dicit rem, vel dicit ordinem, vel rem sub ordine. Si dicit rem: sic est *substantia, quantitas, & qualitas.* Si dicit purum ordinem; sic est *relatio.* Si di-

cit rem sub ordine; sic sunt sex ultima prædicamenta. Nã *actio* est entitas termini sub ordine ad agens. *Passio* eadem entitas sub ordine ad patientem. *Quando* entitas substantiæ sub lunaris sub ordine ad tempus. *Vbi* entitas substantiæ sub ordine ad locum. *Situs* entitas partium substantiæ sub ordine ad partes loci. *Habitus* entitas substantiæ sub ordine ad exterius ornamentum. Sed nõ est dabile prædicatum de substantia, quod non dicat vel puram rem, vel purum ordinem, vel rem sub ordine: ergo non est dabile prædicamentum ultra decem enumerata.

Observa ex N. B. Doct. loco laudato de Mens. Angel. quod hæc prædicamenta *Solum in istis sensibilibus reperiuntur. In Angelis enim non est quando, neque situs, neque habitus.* Non est *quando*, quia sola sublunaria mensurantur tempore, & ab eo quantantur; hoc est afficiuntur tempore, ut fenescant, & inveterentur. Angeli mensurantur ævo, nec fenescant, aut inveterantur, aut ulla mutatione temporanea afficiuntur. Nõ est in eis *situs*, quia cum sint immateriales, non habent partes in loco. Nec *habitus*, quia nullo vestitu, aut corporali ornatu possunt amiciri, qui puri spiritus sunt. Reliqua prædi-

§ 12 LIBER VI.
camenta possunt eis adaptari:
ceterum diversa erunt à no-
stris, ut lib. 3. q. 6. & l. b. 4. q.
4. dictum est, quod in nostro
prædicamento substantiæ, quod

DE PRÆD.
dividitur in *corpoream*, & *incorpo-
ream*, non comprehenduntur
Angeli sub nomine substantiæ
incorporeæ.



QUÆSTIO SECUNDA.

Quid, & quomplex sit substantia?

§. I.

Quibusdam notatis expenditur constitutum substantiæ.

VOX substantia multipli-
citer accipitur te-
ste P. Augustino.
Nam primo sumitur pro divi-
tiji; ita supra Psalm. 68. dicit
P. N. *Substantia dicitur & divitia-
rum*, secundum quam dicimus ha-
buit substantiam, perdidit substan-
tiam. Secundo sumitur pro es-
sentiâ: ibi *Intelligitur alio modo
substantia illud quod sumus quid
quid sumus, nam quod nulla substan-
tia est, nihil omnino est.* Hoc mo-
do accidens est substantia, tum
quia habet essentiâ, tum
quia est; & quidquid est, in hac
acceptiõne substantia est. In
codem sensu Theologi agen-
tes de libertate Christi ad omi-
sionem mortis, dicunt fuisse
ad omisionem mortis quoad
substantiam; est dicere quoad
essentialia omisionis.

Tertiò sumitur pro Hy-
postasi, Subsistentiâ, & Perso-
na. Ita P. N. lib. 5. de Trinitate
cap. 8. & 9. refert de Græcis,
qui admittebant in Deo unam
essentiâ, & tres substantiâs,
id est tres Personas. Sed, ut ibi
obseruat, non possunt admitti
à Latinis in Deo tres substan-
tiâs, quia apud Latinos sub-
stantia dicit essentiâ, & sic
est una in Deo, sicut est una
essentiâ, & natura in tribus
Personis.

Quartò sumitur pro ca-
tegoria, aut prædicamento
substantiæ, & habet duplicem
nominis etymologiam. Primò
à verbo *subsisto*, quod signifi-
cat existere per se. In quo sen-
su 7. de Trin. cap. 4. dicit
substantiam ad se subsistere. Et quia
existere in se, est non existere

in

QUÆST. II.

in alio, ut in subjecto, dicit P.
N. lib. de Categ. cap. 9. *Communi-
ne est hoc cuilibet usque, ut in subje-
cto non sit.* Secundò dicitur sub-
stantia à verbo *substo*, & à
sustando accidentibus, quia
eis substat substantia creata,
& sustentat illa in se, ut in sub-
jecto, cui inhærent. In hac se-
cunda etymologia negat Deum
esse substantiam, quia Deus
non sustat accidentibus. Ita
7. de Trin. cap. 5. *Nefas est autem
dicere ut subsistat, & subsit Deus
bonitati sue.* Ceterum juxta pri-
mam etymologiam dicit Deum
esse *summam substantiam.* Ita eum
appellat lib. de Natura, &
Gratia cap. 20.

Supponimus cum
P. Augustino, D. Thoma, &
B. Egidio, sequentibus Arist.
quod substantia non potest
rigorosè diffiniri. Quidquid
enim diffinitur, explicatur per
genus, & differentiâ: sed
juxta P. August. de Categ. cap.
9. *Ipsa usque genus non habet; & con-
stat ex toto libro antecedenti,
ubi actum est de analogia en-
tis: ergo substantia non po-
test rigorosè diffiniri. Quæ-
rimus tamen quid sit essen-
tialiter substantia, licet expli-
cetur per diffinitionem mi-
nus rigorosam?*

Aliqui RR. quibus non
placuit communis sententiâ,
varias assignant substantiæ
diffinitiones, quas breviter at-

§. I. 313

tingemus. Si prolixam hujus
notitiâ desideres, vide P. Ar-
riaga, qui tandem impugna-
tis omnibus, pro sententiâ
ponit, mutatis verbis, unam
ex impugnatâs.

Quidam dicunt consti-
tuit substantiam *Per negationem
essendi in alio.* Sed hoc non sub-
sistit, quia esse positivum sub-
stantiæ, nequit constitui per
negationem, quæ est nihil in
se. Rursus: Etiam nihil, habet
negationem essendi in alio;
nam quod non est, non est
in alio: sed nihil non est: er-
go habet negationem essendi
tum in se, tum in alio.

Alij dicunt constitui
per sustentare accidentia. Sed con-
tra. Nam prius est substantiam
existere in se, quàm susten-
tare accidentia: ergo suppo-
nitur substantia constituta an-
tecedenter ad munus susten-
tandi accidentia. Quare mi-
nus hoc non est substantiæ
constitutivum.

P. Hurtado dicit substan-
tiani esse, *Quæ constituit rem, quam
absolutè vocamus rem.* Coincidit
Arriaga dicens esse *Quod intrin-
secè constituit primam rem.* Uterque
deficit, quia juxta has diffi-
nitiones solus Deus erit sub-
stantia, quia solum Deum di-
cimus absolutè primam rem:
Adde, adhuc restare explican-
dum, quid intelligant nomi-
ne rei: nec possunt, nisi aliam

TTT de.

dederint diffinitionem. His adde dicentes esse *Quidditatem rei, qua durante res durat, & qua deficiente, deficit.* Nam hæc diffinitio convenit cuilibet accidenti; qualitas enim est quidditas, qua manente, manet; & qua deficiente deficit.

3. Communis sententia docet substantiam constitui per *ens per se existens*. Probatur ex P. August. 7. de Trin. cap. 4. ubi ait: *Corpus enim subsistit, & ideo substantia est.* Ecce assignat causam formalem constituentem corpus in ratione substantiæ, & dicit esse *subsistere*; hoc est existere per se, & in se.

Idem docet D. Thom. allegans auctoritatem Damasceni in Logica cap. 39. ubi ait: *Substantia est ens per se, nec ullo opus habet, ut sit.* Et docetur etiam à B. Ægidio q. 3. de Mēs. Angel. §. *Propter quod*, ubi ait: *Ratio prædicamenti substantia sumitur ex hoc modo existendi, quod aliquid existat secundum se.*

A ratione probatur. Illud est constitutivum substantiæ, quod primò intelligitur in illa, sed in substantia prius intelligitur existere in se, & per se, quàm sustentare accidentia: ergo illud, & non hoc, erit constitutivum substantiæ. Rursus. Ens nominaliter sumptum, constituitur per ordinem ad existentiam; ergo ta-

le ens debet constitui per ordinem ad talem existentiam, sed substantia est tale ens, distinctum ab accidenti: ergo constituitur per ordinem ad talem existentiam, distinctam ab existentia accidentis. Sed existentia accidentis est existentia *in alio*; quare accidens diffinitur *ens in alio*: ergo substantia constituitur in ratione substantiæ per ordinem ad existentiam per se, & in se; quare substantia diffinienda est *ens per se, & in se.*

4. Dices: Forma substantialis est substantia: & tamen non existit per se, & in se, sed in alio, scilicet in materia: ergo substantia non est ens per se, & in se. Secundò: Accidentia Eucharistica existunt per se; nam non existunt in subjecto, cum substantia panis sit destructa per consecrationem: sed accidentia illa non sunt substantia: ergo perperam distinguitur substantia ab accidentibus per existere in se, & per se.

Pro solutione primi, nota quòd licet esse *per se* sit quid positivum, at non potest explicari nisi per negationem essendi in alio. Esse in alio frat dupliciter. Primo in alio *ut in subjecto inhesionis*; & sic sunt accidentia in substantia, cui inhaerent. Secundo esse in alio *ut in subjecto informationis*; & sic se

se habet forma substantialis in materia, cum qua constituit compositum substantiale. Quando dicitur substantiam esse ens per se, intellige non in alio ut subjecto inhesionis. Cum ergo forma non sit in materia, ut in subjecto inhesionis, sed ut in subjecto informationis; sequitur quòd sit ens per se, & substantiale.

Observa, quòd substantiæ completæ, quale est compositum substantiale, etiam repugnat esse in alio ut subjecto informationis. Unde compositum tale nequit informare, nec esse pars alterius compositi, cui conveniat informatio. Potest tamen substantia completa esse in alio ut in supposito. Sic homo, qui est secunda substantia completa, licet non possit aliam informare, aut esse in alio ut subjecto informationis; potest tamen esse in alio ut in supposito. Et ita evenit in substantia completa humanitatis Xpti. Dñi. quæ fuit, & est in substantia Verbi Divini, ut in supposito sustentare. At prima substantia: v. g. *Hic homo*, taliter est ens per se, ut nec possit informare, nec esse in alio ut supposito sustentante. Hujus rationem dabimus lib. 1. Phys. dum, Deo favente, sermo sit de existentia, & subsistentia

Ad secundum dic, quòd accidentia Eucharistica, licet actualiter non sint in subjecto, sunt tamen *exactivè* in eo, quia per suam essentiam exigunt subjectum inhesionis, eò quòd essentialiter sunt *ens in alio*. Quia verò verba diffinitionis non semper dicunt actum, sed interdum apertitudinem; ideo essentia accidentis non est actu esse in alio, sed actu exigere subjectum inhesionis: quam exigentiam habent etiam accidentia Eucharistica.

5. Quæres: An sit possibilis substantia inhaerens, vel in alio existens? Et videtur, quòd sic. Primò: Quia sicut substantiæ convenit existere per se; ita accidenti existere in alio: sed potest Deus facere accidentia Eucharistica, non existere in alio, ut dictum est: ergo poterit facere substantiam inhaerere alteri, & non existere per se. Secundò: Quando lignum deauratur, aurum inhaeret ligno: sed aurum est substantia: ergo jam substantia potest in alio existere.

Tertiò Humanitas Christi Domini fuit unita Verbo Divino accidentaliter, quia fuit unita per modum habitus juxta illud Apost. ad Philip. 2. *Et habitu inventus ut homo.* Sed habitus, cum sit accidens, inhaeret: ergo humanitas quæ

substantia est, inhaeret, & existit in alio.

6. Nihilominus contraria sententia est communis, & vera. Probatur primò ex P. August. 7. de Trinitate cap. 4. ubi substantiam dicit à subsistere, quod est existere per se, & in se. Et ibi cap. 5. probat corpus esse substantiã, quia subsistit. Vide verba S. P. num. 1. & 3. Atqui si daretur substantia inexistentis, illa non subsisteret: ergo non esset substantia.

Secundò probatur ex D. Thoma 2. Sent. dist. 23. q. 1. art. 1. ad 5. Vbi approbat assertum Philosophi, qui 1. Phys. textu 27. dicit. *Quod verè est, nulli accidit*: Idest, substantia, quæ verè existit, nulli inhaeret: ergo impossibilis est substantia inexistentis, Idem docetur à N. B. Ægid. ibidem in Sententiarijs docente: *Sicut quod est substantia in uno, non potest esse accidens in alio: neque è contrario quod est accidens in uno, loquendo de accidenti reali, non potest esse substantia in alio, nisi in solo Deo, in quo quæ sunt accidentia in nobis, sunt substantia in ipso.*

A ratione probatur. Quia nil habet potentiam ad id, quod est contra suam essentiam: sed essentia substantiæ est existere per se, & non in alio: ergo non est possibilis substantia in alio existens.

Explicatur. Deus non potest invertere rerum essentiã, quia hoc implicat, & Deus non habet potentiam ad implicatoria: sed essentia substantiæ est non existere in alio sed, in se; quod everteretur, si substantia in alio existeret: ergo Deus non potest facere substantiam in alio existentem.

7. Dices. Licet essentia accidentis sit existere in alio, Deus tamen, quin illam evertat, facit accidens Eucharisticum non existere in alio: ergo pariter de substantia. Et probatur consequentia; quia idè stat primò, quia essentia accidentis non est actu existere in alio, sed exigere subjectum, in quo existat: Deus autem non tollit hanc exigentiam. Atqui essentia substantiæ ob eandem rationem non est actu existere per se, sed exigere existentiam per se; nec Deus in casu quæstionis tolleret à substantia suam exigentiam: ergo si potest primum, potest & secundum.

Et confirmatur. Nam dato quòd aliqua substantia inhaeret, adhuc maneret cū exigentia existentia per se, & in se; sicut in igne Babilonico, à quo Deus sustulit actuale exercitium comburendi, mansit exigentia combustionis, quam per miraculum non abstulit ab igne. Sed ma-

nente exigentia existendi in se, manet essentia substantiæ: ergo non everteretur essentia substantiæ in casu quæstionis, & sic non tenet ratio nostra.

Hæc replica plus urget, quàm fundamenta posita numero 5 pro contraria sententia. Solvitur tamen negando consequentiam & paritatem accidentis, ob duplicem disparitatem. Prima sumitur ex nostro B. Ægidio, quia in eo quòd accidens actu existat sine subjecto, & maneat cum sola exigentia subjecti, nulla adest specialis repugnantia ut ab arguente comprobatur. Adest tamen specialis repugnantia in eo quòd substantia actu inhaeret. Hanc dabimus infra, ut probemus secundò à ratione conclusionem nostram. Secunda disparitas est, quòd imperfectius potest elevari ad id, quod est perfectius; & sic contingit in accidente Eucharistico. At substantia nequit deprimi ad id, quod est inferius, & sibi repugnans; deprimeretur autem si poneretur sub existentia in alio, & inhaerens.

Addè tertiam disparitatem. Accidens Eucharisticum existit per se negativè, sed non positivè. Est dicere, quòd existit sine subjecto, quia per consecrationem destructum est subjectum; quare illa per-

seitas est negativa, ob negationem subjecti destructi. Ceterum non habet perfectitatem positivã, quæ est modus perfectionis existentia substantiæ; unde nunquam existit per se positivè. At substantia, si inhaereret, haberet inalienabilem positivam, & hæc essentialiter repugnat substantiæ, sicut accidenti perfectitas positiva.

8. Secundò probatur communis conclusio ex N. Ægidio sic. Substantia completa, quale est compositum substantiale, nequit inhaerere; aliunde nec substantia incompleta, qualis est materia, aut forma: ergo implicat substantia in alio existens. Maj. probatur. Quod repugnat partibus, repugnat composito, includenti partes: sed nec materia, nec forma, possunt inhaerere: ergo substantia completa &c. Minor probatur. Et de materia. Nam quod informat, aut inhaeret, recipitur in alio: sed materia, quæ per suam essentiam est primum subjectum receptivum, nequit in alio recipi, alioquin non foret primum subjectum receptivum: ergo materia nequit inhaerere. De forma sic. Nam vel forma unitur soli materiæ, vel unitur toti composito. Si primum? Non inhaeret, sed informat, ut num. 4. dictum

dictum est. Si secundum? Hoc est impossibile, tum quia forma per suam essentiã est actus primus materiã, non autem, compositis; quare non in composito, sed in materia debet recipi essentialiter. Tum quia ex pluribus entibus in actu nequit fieri unum per se: compositum autem, & forma sunt duo entia in actu. Tum quia adhuc quod divinitus in materia recipiatur duplex forma substantialis, forma secunda non recipitur in materia, ut informata, sed specificativè in materia, non minus, ac si esset materia nuda: Ergo nõquam forma potest uniri inhærendo.

9. Ex his ad fundamẽta contraria posita num. 5. respondetur. Ad 1. de accidentibus concessis præmissis, nego consequentiam ob triplicem disparitatem datam n. 7. & ob rationem nostri B. Egidij num. 8. Ad 2. nego maj. Nam aurum non inhæret ligno deaurato, sed est ei maximè contiguum; & contiguitas videtur imitari inhærentiam, sed talis non est.

Ad 3. dic, quod humanitas unitur Verbo accidentaliter prædicabiliter, sed non accidentaliter prædicamentaliter. Ratio primi est, quia unio hypostatica potuit non esse, quare de Verbo accidentali-

ter prædicatur, quod sit homo. Ratio secundi est, quia unio illa non est accidens, sed substantia, vel substantialis. Nec humanitas inhæret Verbo, alioquin Verbum esset subiectum inhærentiæ humanitatis. Si enim teste P. Augusti. 7. de Trinit. cap. 5. *Nefas est dicere, quod subsit Deus bonitati suæ*: ergo amplius implicat quod subsit humanitati creatæ. Pendet humanitas à Verbo, ut à sustentante, hoc est ut à subiecto sustentationis, non autem ut à subiecto inhærentiæ. Dicitur humanitas *habitus* ab Apostolo, quia sicut habitus, & quodcumque accidens, advenit subiecto jam completo in suo esse; sic humanitas advenit Verbo jam constituto in esse Filij æterni Patris.

10. Quæres secundò. Quid sit substantia prædicamentalis? De hoc M. Villanova hic dub. 2. Ceterum cum actum sit de substantia in communi, facilè respondetur, quod substantia prædicamentalis est substantia completa. Dubium præcipuũ est explicare quid sit substantia completa. Ratio dubitandi est hæc. Animal ponitur directè in prædicamento: ergo est substantia completa; alioquin non directè, & in re-
ta linea poneretur, sed ad
la-

latus, & indirectè. Ex alio capite videtur substantia incompleta. Nam animalitas est pars metaphysica essentiæ hominis, quæ cum rationalitate componit ejus essentiã: sed partes compositi substantialis sunt substantiæ incompletæ, ut constat in materia, & forma; nec ob aliud rationale ponitur ad latus in prædicamento hominis, nisi quia est pars metaphysica componens essentiã hominis cum animalitate: ergo est substantia incompleta.

Vt hoc solvat M. Villanova dicit, quod genus animal non sumitur à sola materia; sed ab illa simul cum effectu universaliori formæ. Quare animal dicit totum hominem, & sic est substantia completa. Si hoc dicas: solvis difficultatem, sed destruis omnia dicta libro 3. q. 6. §. 5. & 6. circa præcisiones objectivas in Angelis. Rursus idem asserere debes de rationali; quare debes dare disparitatem; cur rationale non ponitur directè in prædicamento, bene verò animal.

Respondemus consequenter ad nostram doctrinam, quod licet genus sumatur à sola materia, ut explicatum est loco citato, & licet sit pars metaphysica essentiæ ho-

minis: est tamen totum potentiale divisibile in species. Quo fit, ut continendo species in potentia, est substantia completa in potentia, & est totum potentiale, quod sufficit, ut directè ponatur in prædicamento. Nihil horum de differentiis verificatur, unde nõ ponuntur directè.

§. II;

De prima, & secunda substantia, & de utriusque proprietatibus.

11. PHILOSOPHVS in præsentia dividit substantiam in primam, & secundam. Prima est *que neque in subiecto est, nec de subiecto dicitur*. Talia sunt omnia individua, ut Petrus, Paulus, hic lapis, Bucephalus. Secunda substantia est, *que in subiecto non est, sed de subiecto dicitur*, ut genera, & species, v.g. homo, animal, vivens. Hæc divisio est substantiæ primò intentionaliter acceptæ, & secundum suam entitatem: & est divisio analogica; quia nõ est divisio in membra æqualiter participantia rationem substantiæ. Primò, quia teste Philosopho hæc primæ substantiæ sunt magis substantia, quàm secundæ, eò quod non solum sustentant accidentia,
ut

ut etiam secundæ, sed sustentant ipsas secundas. Hoc patet in arbore, ubi in radice ponitur individuum, quod est prima substantia, & supra illud sustentantur species, & genera. Tum secundò, quia primæ substantiæ ratione sui existunt per se, & ratione sui producuntur: non sic secundæ, quæ ratione primarum producuntur, & existunt. Immo inter secundas substantias species infima est magis substantia, quàm genus, quia magis accedit ad primam substantiam. Ut enim docet P. August. de Categor. cap. 9. ubi totam istam doctrinam affert: *Ipsarum secundarum usiarum potior est species genere, magis enim est proxima species primæ usiæ, quàm genus.* Vide N. B. Ægidium 1. Sentent. dist. 5. quest. 3.

Sub alijs terminis traditur hæc divisio in universalem, & particularem. Universalis est secunda substantia, particularis est prima. Sed adverte, quòd ista divisio solum convenit substantiæ secundò intentionaliter sumptæ: nam esse universalem, aut particularem sunt nomina secundæ intentionis, quæ conveniunt substantiæ, non ratione entitatis, sed beneficio intellectus. Divisio ista, ut benè M. N. Villanoya di-

cit est subiecti in accidentia; quia dividitur subiectum in secundas intentiones universalitatis, & particularitatis.

12. Pro substantia sex assignantur proprietates, sed harum tres pro illa primò intentionaliter sumpta, tres pro ea secundò intentionaliter accepta. In primo sensu proprium est substantiæ non habere contrarium: rursus non suscipere magis, & minus: tandem posse suscipere contraria. Aqua, & ignis contrariantur, sed non ratione substantiæ, sed ratione caloris, & frigoris, quæ sunt qualitates substantiæ, ut docet P. August. lib. de Nat. & Gratia cap. 54. dicens: *Substantiæ quippe non per se ipsas, sed per suas qualitates, sicut aqua & ignis, dicuntur sibi esse contraria.* Nec unus homo est magis homo, quàm alter; unde non suscipit substantia magis, & minus. Et licet aliqua substantia dicatur interdum magis bona, quàm altera; at hoc non est ratione substantiæ, sed ut ait P. August. lib. 10. de Gen. ad litt. cap. 17. anima dicitur magis vel minus bona propter mores, vel quia ob diversam temperaturam corporis, minus, vel magis corpore aggravatur. Tandem homo idem manens quoad substantiam jam est calidus;

jam

jam frigidus: unde suscipit contrarias qualitates.

Pro substantia secundo intentionaliter sumpta sunt aliæ tres proprietates. Prima est, quòd non sit in alio ut in subiecto. Hæc forsitan non est proprietas, sed essentia, ut dictum est §. antecedenti. Ceterum convenit tam primis, quàm secundis substantijs, sicut eis convenit existere per se, & in se. Secunda est univoce prædicari. Hæc convenit solis secundis substantijs, quia primæ non prædicantur. Tertia est significare *hoc aliquid*. Ista solum convenit primis substantijs; quia secundæ non significant *hoc*, sed vel *quid*, ut genera, & species, vel *quale*, ut differentia. Quod constat ex dictis lib. 4. circa Prædicabilia.

13. Contra doctrinam datam de primis proprietatibus substantiæ, sunt aliqua difficultates quas N. B. Ægidius hic proponit, & solvit. Prima est. Rationale, & irrationale sunt differentia contraria, & tamen sunt substantia: ergo substantia habet contrarium. Secundò. Quidquid corrumpitur, à suo contrario corrumpitur: sed substantiæ corrumpuntur: ergo habent contrarium. Tertio. Actus, & potentia sunt maximè contraria: sed in genere substantiæ

dantur materia, & forma, quæ sunt actus, & potentia: ergo idem. Quarto. Activum, & passivum sunt contraria: sed talia sunt substantiæ: ergo. Quintò. Principia entis sunt substantia: sed sunt etiam contraria: ergo idem. Sextò. Aqua, & ignis contraria sunt: sed substantiæ sunt: ergo.

Contra secundam proprietatem stat experientia, qua videmus unam substantiam esse alia perfectiorem: ergo quia suscipit magis, & minus. Ob hoc non defuere, qui putarent homines adhuc inter se specie differre. Quis enim (dicunt) credat Parentem Augustinum esse ejusdem speciei cum rusticis, & stupidis? Sanè si homo per rationalitatem differt specificè à brutis, cur non etiam Augustinus à rustico per ingenium, & excellentissimum rationalitatis exercitium?

Contra tertiam proprietatem adest, quòd oratio potest transire de vera in falsam sine sui mutatione: sed veritas, & falsitas sunt contraria: ergo non soli substantiæ convenit suscipere contraria. Rursus sicut in substantia recipiuntur qualitates contrariæ, ut albedo, & nigredo, calor, & frigus; sic in quantitate: ergo etiam quantitas suscipit contraria.

14. Pro solutione nota, quòd quando dicitur substantiæ nihil esse contrarium, intelligitur de contrarietate stricta, & de contrarijs strictis; hæc diffiniuntur sic: *Quæ sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subjecto mutuò se expellunt.* v. g. albedo, & nigredo, calor, & frigus: ista enim continentur sub eodem genere qualitatis, sub quo distant maxime, & mutuò se expellunt à subjecto, cui inhaerent. Quare ly à subjecto in diffinitione data intelligitur de subjecto inhaesionis. Cumque substantia non possit esse in alio, ut subjecto inhaesionis, non potest esse extremum strictæ contrarietatis. In hoc sensu dicitur, substantiam non habere contrarium. Habet tamen contrarietatem latam, sumptam pro oppositione, & incompatibilitate. Vnde una forma substantialis excludit aliam à materia, non ratione contrarietatis strictæ, sed latæ, idest ratione incompatibilitatis. His notatis.

Ad primum respondetur quòd rationale, & irrationale contrariantur metaphysicè, & prædicabiliter, non autem stricta contrarietate explicata. Ad secundum dic, quòd substantia nõ corrumpitur ratione sui, sed à qualitibus

contrarijs, quas habet, ut dictum est de aqua, & igne. Ad tertium dic, quòd actus, & potentia sunt metaphysicè contraria, quia sunt differentia entis; non autem contrariantur physicè. Ad quartum dic, quòd activum, & passivum non contrariantur ratione substantiæ, sed secundum qualitates activas, & passivas, quas habent. Ad quintum dic, quòd principia entis sunt materia, forma, & privatio formæ: horum materia, & forma solum contrariantur metaphysicè, ut dictum est in solutione ad tertium. Forma autem, & privatio non opponuntur contrariè, sed contradictoriè, ut in Physica dicemus, & constat ex dictis, quoniam inter extremum positivum, & negativum non datur oppositio contraria, sed contradictoria. Ad sextum constat solutio ex dictis num. 12. cum P. Augustino.

15. Ad objecta contra secundam proprietatem substantiæ dicimus, quòd una substantia est altera perfectior, sed non in ratione substantiæ, sed ratione accidentium quæ substantiam comitantur ut num. 12. dictum est. Nec opinio illa inducens distinctionem specificam inter homines, pro qua solet citari Cajetanus, bene audit apud

ÆST.

apud Scholasticos. Tum quia nullus est homo, quantumcumque stupidus, qui non sit *animal rationale*; quare omnes conveniunt in essentia, & sic sunt ejusdem speciei. Tum, quia omnis species corruptibilis quoad individua conservatur per successivam generationem, ne deficiat à rerum natura. Si enim stupidus homo specie differret ab ingenioso, oporteret, quòd species stupidi conservaretur continua successione stupidorū, & idem de specie ingeniosi. Hoc constat esse falsum ex ipsa experientia, qua videmus stultos generare sapientes, & à contrario sapientes patres generare filios stultos; & hoc ut in plurimum: quia cum mens sapientis rapiat ad cerebrum majorem copiam spirituum vitalium, debilem habet animalem potentiam, & sic generat foetum imperfectum.



Patens Augustinus (omissa sapientia infusa à Deo illuminante, de qua non est sermo in presenti) naturale ingenium habuit vivacissimum, & ut Salomon de se affirmat, sortitus est bonam animam. Non quia differentia sint in animabus, quia æqualis perfectionis sunt in omnibus hominibus: sed quoniã Salomone teste, corpus, quod

III. §. I. 323
corrumpitur, aggravat animam, & animæ operationes pendent ab organis corporis, & à temperatura qualitatum; uterque Salomon animam bonam sortitus est, quoniam optimam corporis temperiè, & congruam organizationem sortiti sunt. Temperies est accidens de genere qualitatis; organizatio accidens de genere quantitatis est. Vnde major bonitas utriusque animæ præ animabus rusticorum, non est in ratione substantiæ.

36. Ad objecta contra tertiam proprietatem dicimus, quòd oratio sine sui mutatione intrinseca transit de vera in falsam, quia hæc oratio *Petrus currit*, currente Petro est vera, non currente, falsa: sed nihil recipit intrinsecum oratio à cursu, vel quiete Petri. At substantia dum de calida mutatur in frigidam, recipit intrinsecè frigus: & hoc modo suscipere contraria, soli convenit substantiæ. Et licet illa accidentia caloris, & frigoris recipiantur etiam in quantitates quod de qualitibus visibilibus certius est: at non recipiuntur in quantitate, ut quod, sed ut quo; quia recipiuntur in substantia quanta, & extensa, quæ sine extensione quantitatis non posset ra-

lia accidentia recipere. Ceterum extensio est conditio recipiendi, non autem est sub-

jectum quod receptivum contrariorum.



QUÆSTIO TERTIA.

An Deus ponatur in prædicamento substantiæ?

§. I.

Negativa sententia probatur autoritate, & ratione.

I. TENVIT aliquando P. Augustinus Deum poni in prædicamento substantiæ, sed postea lumine fidei illustratus deplorat satis figmentum miseriæ suæ lib. 4. Confes. cap. 16. ubi ait: *Quid mihi proderat, quando & oberat; cum etiam te, Deus meus, mirabiliter simplicem atque incommutabilem, illis decem prædicamentis putans quidquid esset omnino comprehensum, sic intelligere conarer, quasi & tu subjectus esses magnitudini tuæ, aut pulchritudini, ut illa essent in te quasi in subiecto, sicut in corpore; cum tua magnitudo & tua pulchritudo tu ipse sis; corpus autem non eo sit magnum & pulchrum, quo corpus &c. Falsitas enim erat quæ de te cogitabam, non veritas; & figmenta miseriæ meæ, non firmamenta beatitudinis tuæ. Hinc colliges quàm falsa sit sententia ponens Deum in prædicamē-*

to substantiæ, ut doleat P. Augustinus nimium se olim sic de Deo cogitasse. Falsitatis hujus duas reddit P. N. rationes infra expendendas, scilicet mirabilem Dei simplicitatem, & ejusdem incommutabilitatem.

Quid sentiat Ecclesiæ lumen, se ipso majus, exposuit lib. 5. de Trinit. cap. 1. ubi docet Deum esse considerandum sine ulla subjectione prædicamentali, en verba S. P. *Sic intelligamus Deum, si possumus in quantum possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnis, sine indigentia Creatorem, sine situ presentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione omnia mutabilia facientem, nihilque patientem. Et ne putares Deum poni in prædicamento substantiæ, quia*

quia non dixit ut cogitemus Deum sine substantia esse ens per se; dicit cap. 2. *Est tamen sine dubitatione substantia, vel si melius appellatur essentia, quam Græci usam vocant. Vbi S. Doctor admittit Deum esse substantiam, prout est idem ac essentia, non tamen ut est prædicamentalis. Expressius autem lib. de Cognitione veræ vitæ cap. 3. ait: Nomine, & verbo, cuncta exprimentur, que sub decem prædicamentis humano corde concipiuntur, sed quod ex eis nullum propriè Deo conveniat, manifesta ratio probat. Scilicet supra data ex simplicitate Dei, de qua infra.*

Eandem sententiam docuit Magister Sentent. in 1. dist. 8. ubi etiam D. Thomas, & quæst. 3. art. 5. primæ partis. Accedit N. B. Ægidius in 1. Sentent. distin. 8. quæst. 3. cum quo omnes Augustiniani, uno excepto Gregorio Arimin. Omnes etiam Thomistæ, Scotistæ, & DD. Societatis ferè omnes: quoniã pro contraria sententia, quæ tenent Nominales, solum sunt Hurtado, Arriaga, & Blanch. Pro Augustiniana sententia sunt alij SS. PP. quorum catalogum invenies apud N. M. Villanovam hîc, & in nostro M. Gavardi tom. 1. suæ Theologiæ quæst. de simplicitate Dei art. 8. & 9.

2. *Hæc sit assertio nostra: Deus nec per reductionem, nec secundum rectam lineam est in prædicamento. Conclusio ista sunt expressa verba B. Ægidij loco laudato: & probatur triplici ratione sumpta ex simplicitate Dei, ex infinitate, & ex incommutabilitate. Prima ex infinitate sic: Quod comprehendit sub se perfectiones omnium generû, sub nullo genere clauditur: sed Deus ratione infinitatis claudit in se perfectiones omnium generû: ergo in nullo clauditur prædicamento, aut genere. Major patet, nam quod clauditur intra unum genus, non continet perfectiones aliorû; quare si Deus intra genus substantiæ clauderetur, non contineret perfectionem quantitatis, qualitatis &c. Minor patet, quia Deus est infinitus in esse entis, unde continet omne esse. Rursus est causa omnis entis, nec posset causare, nisi contineret perfectionem omnis entis causati.*

Confirmatur. Quod ponitur in prædicamento, constat ex genere, & sic potest diffiniri per genus & differentiam: sed Deus ratione infinitatis nequit diffiniri: ergo vi ejusdem nequit esse in prædicamento. Minor probatur. Quod diffinitur, clauditur ter-

minis diffinitionis: sed infinitum in omni genere nullis potest terminis claudi: ergo &c. Vrgetur: Quod constat ex genere, constat ex potentialitate, quia genus est potentialitas metaphysica ad differentias: sed à potentialitate sumitur limitatio, quæ repugnat infinito: ergo ratione infinitatis repugnat Deo habere genus, & poni in prædicamento.

3. Secunda ratio ex simplicitate formatur sic. Quod ponitur in prædicamento, constat genere & differentia: sed Deo ratione summæ simplicitatis repugnat compositio ex genere, & differentia: ergo ei repugnat esse in prædicamento. Major patet, quia prædicamenta sunt quædam genera suprema, ex quibus constant quæ ibi collocantur. Minor probatur. Primò, quia compositio talis nequit dari sine fundamento à parte rei; fundamentum autem ejus est vel distinctio essentialis ab existentia; vel compositio realis, aut virtualis in entitate. Sed summæ simplicitati Dei repugnant hæc omnia: ergo & compositio generis & differentia. Secundò probatur min. Nam genus excludit à suo conceptu essentiali differentiam; alioquin non esset genus, & ratio uni-

voca, ut lib. antecedenti dictum est: sed ista exclusio differentia opponitur summæ simplicitati, ubi non est dualitas conceptuum excludentis, & exclusi: ergo.

Ex incommutabilitate sic. Quidquid ponitur in prædicamento, est simpliciter mutabile: sed Deus est simpliciter immutabilis: ergo ratione immutabilitatis nequit poni in prædicamento. Major probatur primò. Quia quidquid ponitur in prædicamento, est finitum, ut num. 2. probatum est: sed omne finitum est mutabile: ergo &c. Secundò. Quod ponitur in prædicamento non continet omne esse illius prædicamenti, sed partem; sicut quia homo, vel equus, ponuntur in genere animalis, non continent omnem animalitatem, sed aliquam, contractam ad suam speciem: sed quod non continet omne esse, est mutabile, idèdque creatura ab Apostolo dicitur mutabilis, velut opertorium, & amictu: ergo &c. Tertiò. Quod ponitur in prædicamento substantia, est susceptivum accidentium, sicut & substantia prædicamentalis: sed susceptivum accidentium est mutabile, ut constat in nobis: ergo quidquid ponitur in prædicamento, est mutabile.

Ite

4. Istæ rationes probant quòd Deus directè in nullo ponitur prædicamento. Quòd autem nec indirectè, aut reductivè ponatur, præterquam quòd docetur à Doctore nostro, probatur sic. Quòd reductivè ponitur in prædicamento, ita ad illud limitatur, ut non sit extra illud: sed Deus nequit limitari ad aliquod prædicamentum: ergo nec poni reductivè, & indirectè. Major patet in materia, forma, existentia &c. quæ indirectè ponuntur in prædicamento substantia, nec possunt extra illud esse. Rursum: Quod ponitur indirectè, aut reductivè, vel est pars, vel modus ejus, quòd ponitur directè: sed Deus nec est pars nec modus creaturæ, quæ sola directè ponitur in prædicamento: ergo idem. Præterea quòd ita ponitur in prædicamento, habet rationem secundarij in illo genere, & est imperfectius eo, quòd ponitur directè: sed Deus est primus per excessum in omni genere, & juxta fidem, & SS. PP. est *quo majus, & perfectius excogitari non potest*: ergo.

Pro hac conclusione repone omnes rationes, quibus lib. precedenti probatum est, quòd ens non est univocum ad Deum & creaturas: illæ omnes (excepta transcenden-

tia) suadent, quòd Deo & creaturis nihil est univocum: ergo nihil est eis genus. Sed si nullum est genus pro Deo, nullum est prædicamentum, in quo Deus collocetur: ergo Deus nec in prædicamento substantia, nec in ullo alio potest collocari.

§. II.

Solvuntur argumenta contraria.

5. ARGUES primò cum N. Ariminensi, qui acutissimè defendit contrariam sententiam, sic. P. August. lib. 5. de Trin. cap. 7. & 8. docet quòd hæc tria prædicamenta *Substantia, relatio, & actio*, propriè dicuntur de Deo; reliqua autem solum metaphoricè: ergo sentit Deum propriè poni in his prædicamentis. Rursum serm. 38. de Tempore dicit Deum poni in prædicamento substantia: ergo expressè docet contrariam sententiam.

Confirmatur ex D. Joan. Damasc. lib. Primarum institutionum cap. 7. ubi postquàm dixit substantiam esse genus supremum, subdit: *Hujus autem generis suprema species sunt, prima quod corpore vacat, & corpus inanimatum.* Et post pauca sic: *Complectitur natura corpore vacans*

Deum

Deum, Angelos, animam, hominem.
Ergo expresse docet quod
prædicamentum substantia
continet sub se corpoream,
& incorpoream; & quod
sub incorporea continetur
Deus.

6. Respondetur ad ar-
gumentum, quod loco lau-
dato non intendit P. August.
Deum poni in illis prædica-
mentis, sed quod diversimo-
dè illa tria prædicamenta trās-
feruntur ad Deum, ac reliqua
septem. Diversitas est, quod
illa tria servant in Deo mo-
dum ipsum, quem habent in
creaturis; secus alia. Hæc do-
ctrina est communis apud SS.
PP. & Theologos; & quo-
niam utilis est; ideò eam am-
plius ostendemus.

Modus substantiæ in crea-
turis est esse per se, & in se,
ut dictum est; ita etiam est in
Deo substantia, cum Deus
sit ens per se, & in se. Modus
relationis in creatis est refer-
re ad terminum; sic etiam est
relatio in Deo, quia Pater
relatione refertur ad Filium,
& Filius ad Patrem. Modus
actionis est producere termi-
num distinctum; sic etiam est
in Deo producente creatu-
ras, & ad intrà generante,
& spirâte. Quare hæc tria præ-
dicamenta cum suo essentiali
modo essendi, apparent etiã
in Deo; quia nullam imper-

fectionem in eo modo im-
portant, quæ Deo repugnet:
Secus alia prædicamenta, nã
quantitas, qualitas, situs, u-
bi &c. vel dicunt entitatem
accidentalem, repugnantem
Deo immutabili; vel mate-
rialitatem obstantem Divinæ
spiritualitati. Quare loco lau-
dato cap. 5. docet quod om-
nia nostra prædicamenta ad
Deum translata transeunt in
substantiam. De quo vide e-
tiam N. B. Ægidium in 1.
Sentent. dist. 29. q. ult.

Ad aliud dic sermonem
illum non esse P. August. sed
Alcuini. Dato tamen esse P.
Augustini, exponendus est ta-
liter, ut Deus ponatur effi-
cienter, & causaliter in præ-
dicamento substantiæ, sicut
in alijs; quia omnium est cau-
sa. At non potest poni for-
maliter ob rationes datas ex
P. Augustino. Ab confirma-
tionem dic S. Damascenum
ibi dedisse divisionem analo-
gam substantiæ, sub qua Deus
analogicè continetur, sicut
sub ratione entis universalis-
sima. Inde nil contra nos;
quia ut formaliter esset in
prædicamēto, debebat con-
venire univocè, & genericè
cum creaturis in ratione sub-
stantiæ: & hoc verum non
est; nec docetur ibidem à S.
Doctore.

Argues secundò contra
ra

rationes nostras. Deo non re-
pugnat compositio rationis,
sed compositio ex genere &
differentia, est cōpositio ratio-
nis: ergo nō repugnat hæc cō-
positio Deo; & sic nec collocari
in prædicamento. Maj. proba-
tur. Deo non repugnat distin-
ctio rationis: ergo nec com-
positio rationis. Probatur hæc
consequentia. Quia compositio
est *distinctorum unio*. Confir-
matur. Simplicitas Dei non
obest, ut Deus componatur
ex genere & differentia: ergo
idem. Probatur antecedens.
Non obstat simplicitas Dei,
ut Deus quatenus Persona
componatur objectivè ex es-
sentia ut potenciali, & ex re-
latione ut parte determinati-
va: ergo. Confirmatur secū-
dò. Simplicitas non excludit
rem à prædicamento, ut patet
in nostra differentia, quæ est
conceptus simplicissimus, &
non excluditur à prædicamē-
to: ergo perperam ex simpli-
citate Dei, probamus conclu-
sionem nostram. Tertiò. Qua-
litates nostræ sunt ita simpli-
ces, ut nec componantur ex
materiã & forma; nec ex es-
sentia, & existentia: & ta-
men ponuntur in prædicamē-
to, & genere: ergo licet Deus
sit summè simplex, sine ulla
compositione &c.

Confirmatur quartò, &
evertitur alia ratio nostra,

sumpta ex infinitate Dei. Nam
creaturæ possibiles sunt infi-
nitæ: & tamen infinitas ea-
rum non obest, ut ponantur
in prædicamento: ergo nec
obstabit infinitas Dei. Rursus:
Si possibilis esset linea infini-
tæ longitudinis, adhuc po-
neretur in prædicamento qua-
titatis: ergo licet Deus sit infi-
nitus in essendo, & operan-
do, ponendus est in prædica-
mento.

8. Ad argum. respõ-
detur quod duplex est distin-
ctio rationis (loquimur in
omnium sententia, quidquid
sit de dictis lib. 3. quæst. 9.
ubi negavimus distinctionem
rationis inter realia prædica-
menta) una est penes impli-
citum & explicitum; & hæc
datur inter conceptus, quo-
rum unus includit alium, sed
non explicat ipsum. Hæc non
sufficit ad compositionem ra-
tionis, nec ad compositionem
ex genere & differentia. Qua-
re alia distinctio rationis de-
sideratur ad hoc, quæ voca-
tur distinctio excludentis, &
exclusi, & datur inter con-
ceptus, quorum unus exclu-
dit alterum, & objectivè ab
illo præscindit, ut genus à
differentia. Hæc distinctio nō
datur in Deo, quia nullum
prædicatum Divinum obje-
ctivè præscindit ab alio, nec
excludit illud à suo conceptu
essenti-

530 LIBER VI.
essentiali. Quare nec in Deo
est compositio rationis, nec
ex genere & differentia.

Ad primam confirmatio-
nem dupliciter responderetur,
primò admissio antecedenti,
& negando consequentiam cū
B. Egídio in 1. Sentent. dist.
25. quæst. 1. art. 5. ubi ad-
missa compositione rationis
ex essentia, & relatione; ne-
gat in Deo compositionem
ex genere, & differentia; quia
hæc non reperitur nisi in ha-
bente compositionem realem
saltem ex essentia, & existen-
tia. Quæ compositio cū Deo
repugnet, repugnat ipsum
componi ex genere, & diffe-
rentia. Hac solutione utitur
M. Villanova cum alijs. Ce-
rerum verius dicendum est de
mente Doct. Nostr. docentis,
quòd relationes Divinæ sunt
de conceptu essentiali essen-
tiæ, & Divina essentia de cō-
ceptu formali relationum;
quare non datur inter essen-
tiam, & relationes distinctio
excludentis, & exclusi, sed
penes implicitum, & explici-
tum, quæ non sufficit ad
compositionem rationis, ut
dictum est: verius ergo negā-
dum est antecedens; quare
negamus quòd Persona Divi-
na sit composita ex essentia,
& relatione: est enim simpli-
cissima excludens omnem cō-
positionem rationis.

DE PRÆDICAMENTIS.

9. Ad secundam con-
firmationem dic, quòd diffe-
rentia licet non sit composita,
est tamen pars, quæ cum
genere componit speciem;
quod sufficit, ut lateraliter
ponatur in prædicamento.
Deus autem nec est compositus,
nec est pars cum alio cō-
ponens, quare nullo modo
potest poni in prædicamento.
Ad tertiam nego maj. quoad
secundam partem. Quia qua-
litas, & quodcumque ens
creatum, distinguitur realiter
à sua existentia, ut dicemus
in Physica: quare habet cō-
positionem ex essentia, & e-
xistentia, & sic non habet sim-
plicitatem perfectā. Quid mi-
rum ponatur in prædicamen-
to? Deus non sic, cū essen-
tiam habeat plenè identifica-
tam cum existentia, & sit ex-
pers omnis realis, aut virtua-
lis compositionis.

Ad quartam confirma-
tionem dic, quòd creaturæ
possibiles sunt infinitæ secun-
dum numerum, sed non se-
cundum essentiam; quare cō-
stant ex genere & differen-
tia, & sic ponuntur in prædi-
camento. Deus autem est in-
finitus secundum essentiam,
ex hacque infinitate tan-
tum probamus, quia hæc so-
la excludit compositionem ex
genere & differentia. Quare
nil probat instantia de infinitate

QVÆSTIO III.
tate possibilem. Nec urget
altera de linea infinita; quia il-
la infinitudo nō esset in omni
genere, qualis est infinitas Deis
sed in solo genere quantitatis,
quæ non obest, ut in illo gene-
re collocetur.

10. Argues tertio cō-
tra secundam partem conclu-
sionis ad probandum quòd
saltem indirectè potest Deus
poni in prædicamento. Ex quo
Deus indirectè sit in prædica-
mento non sequitur quòd im-
perfectior sit creatura, quæ
ponitur directè: ergo ruit ra-
tio nostra data in fine num. 4.
Probatur antecedens. Deus,
qui per se est objectum Theo-
logiæ, reductivè pertinet ad
objectum Physicæ; quatenus
est causa corporis mobilis,
quod est objectum formale
Physicæ. Angeli etiam redu-
ctivè pertinent ad scientiam
de Coelo, quatenus sunt mo-
tores orbium cœlestium: &
tamen non sequitur inde Deū,
& Angelos esse imperfectio-
res cœlis, & corporibus: er-
go ex quo Deus &c.

Confirmatur 1. Vel Deus
differt à creatura, vel non. Si
non? Ergo sicut creatura po-
nitur in prædicamento, sic &
Deus. Si differt? Ergo per a-
liquam differentiam. Sed om-
nis differentia ponitur ad la-
tus prædicamenti, & sic in-
directè: ergo Deus etiam ra-

531
tione illius differentia.

Confirmatur 2. Christus
Dominus ratione naturæ hu-
manæ est in prædicamento:
ergo natura Divina, quæ cum
humana unita, facit Christū,
erit indirectè in prædicamen-
to. Explicatur. Christus Dñs
ponitur in prædicamento, ut
substantia prima, & indivi-
dua: atqui est talis ratione
subsistentiæ Divinæ: ergo jam
subsistentia Dei ponitur re-
ductivè in prædicamento sub-
stantiæ, sicut existentia, &
subsistentia creaturarum. Ur-
getur. Subsistentia Dei facit
in Christo quod faceret sub-
sistentia creata humanitatis,
si daretur: at si ista daretur,
poneretur reductivè in præ-
dicamento substantiæ, in quo
est humanitas Christi: ergo
& subsistentia Divina ponenda
est indirectè in eodem prædi-
camento.

11. Ad argumentum
responderetur neg. antecedens,
ad probationem cōcessa maj.
& min. nego consequentiam.
Deus, & Angeli orbium mo-
tores, qui reductivè pertinent
ad objectum Physicæ, solum
extrinsecè pertinent ad tale
objectum. Hoc nullam dicit
imperfectiorem: immò in
eodem sensu concedimus,
quòd Deus extrinsecè, & cau-
saliter pertinet ad omnia præ-
dicamenta, quia est omnium

causa effectiva. At poni in prædicamento, est poni intra, & claudi intra prædicamentum, quare est intrinsecè pertinere ad limites prædicamenti. Hoc est imperfectio in pertinentibus directè, quia arguit finitudinem intra terminos clausam; in pertinentibus sic indirectè arguit majorem imperfectionem. Et hoc sensu proredit ratio probativa nostra, quæ verissima est, nec infringitur hoc argumento.

Ad primam confirmationem dic, quod Deus differt à creatura, immò summè differt, quia infinitè distat, & est primò diversus. Nego tamen consequentiam subillatam, quia Deus non differt per aliquam partialem differentiam, sed se toto differt. Solum enim differunt partiali differentia, quæ conveniunt in genere: at Deus nullo modo convenit univocè, aut genericè cum creatura: ergo se toto differt, & non per partialem differentiam; quare cessat vis confirmationis.

12. Pro solutione 2. confirmationis M. Villanova speciale instituit dubium, ubi multa theologica, & difficilia attingit, quæ limites Dialecticæ transcendunt. Ea omittentes dicimus Christum secundum naturam humanam poni in prædicamento, quia

sic est *animal rationale*, & nobiscum convenit genericè. At secundum naturam Divinam non ponitur, quia sic est Deus, de quo probatum est non poni in prædicamento. Quia ergo nomen *Emmanuel* significat idem ac *Nobiscum Deus*, idè dicit naturam Divinam, quare Christus, ut hoc nomine significatus, non ponitur in prædicamento. A contrario, quia nomen *Iesus*, est idem ac *Sabvator*, & importat naturam humanam, Christus hoc nomine significatus, ponitur in prædicamento. Et ut non contendas de significato, distingue sic. Christus secundum naturam humanam ponitur in prædicamento; secundum Divinam non ponitur. At quia natura humana Christi subsistit per subsistentiam Divinam, dubium erit, an subsistentia Divina sic terminans humanitatem ponatur directè, aut indirectè in prædicamento? Respondemus breviter negando utrumque. Nam nec subsistentia nostra creata ponitur directè, ut diximus hinc quæst. 1. num. 2. ergo multò minùs Divinam. Quòd autem nec indirectè, patet, quia nullum ens completum ponitur indirectè, sed sola entia incompleta, & modici. Subsistentia Divina non est modus aut ens incomple-

tum, sed est ens Divinum, & summum ens: ergo non ponitur indirectè. Quod, licet respectu humanitatis gerat vices modi, supplens subsistentiam creatam, quæ modus est; eam tamen supplet sine imperfectionibus, & ratione summæ perfectionis, quæ continet omnem perfectionem subsistentiæ creatæ. Unde licet subsistentia creata ponatur indirectè in prædicamento substantiæ, secus Divina, quæ sine tali imperfectione supplet vices creatæ.

13. Adde, quod humanitas Christi, sicut ratione sui est singularis & individua; ita ratione sui ponitur in prædicamento independentè à subsistentia Divina suppositante. Ratio constat ex dictis quæst. 1. num. 5. in fine; nã in prædicamento non ponuntur entia participialia, sed nominalia: at humanitas solum habet à subsistentia Verbi, quòd sit subsistens, & ens participiale, non autem quòd sit ens nominale potens existere, & habens essentiam: ergo subsistentia Divina non est ratio, aut complementum humanitatis, ut ponatur in prædicamento. Ergo nec indirectè ob titulum complementi debet poni in prædicamento subsistentia Divina.

In forma ad confirma-

tionem concessio antecedenti, neg. consequentiam. Ad explicationem concessa maj. neg. min. Quia ut humanitas Christi sit substantia prima, & individua, sufficit quòd sit ens nominale singulare, hoc non datur à subsistentia, quæ solum facit humanitatem existentem, & ens participiale, ut dictum est. Ad ultimum dist. maj. facit quòd faceret subsistentia creata, facit sine imperfectionibus, concedo maj. cum imperfectionibus subsistentiæ creatæ, nego maj. & concessa min. nego consequentiam.

§. III.

Quid dicendum sit de Angelis, & Cælis explicatur.

14. AFFIRMAT M. Villanova hinc Angelos directè poni in prædicamento substantiæ, citans pro hac sententia N. B. Eg. d. in 1. Sent. dist. 8. par. 2. quæst. 1. art. 8. & in 2. dist. 3. quæst. 2. utrobique enim Doct. Noster innuat sententiam istam, quam ut defendat M. Villanova destruxit omnia dicta à nobis ex B. Eg. lib. 3. quæst. 6. de præcisionibus objectivis in Angelis.

Si velis hanc sententiam propugnare, debes tenere Angelos constare ex genere rigoroso, & differentia contrahente: ista duo in Angelis non sumuntur à materia, & forma, quæ in Angelis non datur, sed ab aliquo gerente munus materiæ, & formæ. Quæris quid hoc sit? Respondeo quod est potentialitas, quam Angeli essentia dicit in ordine ad existentiam. Ob id dicitur, quod Angeli habent suum *Hyleachim*, non quod habeant *Hyle*, seu materiam; eò quod sunt immateriales; sed quia habent aliquid potentialitatis, gerens vices materiæ, & hoc est potentialitas explicata. Compositio ex genere, & differentia, fundatur supra compositionem realem physicam. In Angelis non est compositio physica ex materia & forma; ceterum est compositio realis ex essentia, & existentia, quæ alteri æquivalet: & supra hanc fundatur compositio ex genere, & differentia in Angelis. At quod ita componitur, est in prædicamento: ergo Angeli dicitur ponuntur in prædicamento.

15. Huic sententiæ non acquiescimus, tum quia evertit doctrinam Ægidianam, datam loco citato: tum quia litteram Ægidij sibi contra-

dicentem dimittit, nec germanum ejus sensum exponit. Tum quia non habet rationes, ita urgentes, quàm contraria, ut parebit. Quare tenendum censeo Angelos non poni in prædicamento. Ita expressè Doct. N. quæst. 29. super prædicamenta, ubi dicit in corpore: *De ista questione sunt opiniones. Quidam enim volunt quod intelligentiæ, & anima cadant in genere: unde non oportet quod substantia, quæ est prædicamentum, sit composita ex materia & forma; sed sufficit quæcumque compositio. Et ideo dicunt intelligentiæ, & animam componi ex esse, & essentia; & ideo volunt quod intelligentiæ cadant in prædicamento.* En sententia M. N. Villanovani cum fundamento ejus. Sed a udi N.B. Ægidium præferentem sententiam contrariam, ut meliorem.

Prosequitur sic: *Sed tamen alij meliores volunt cum Boetio quod solum substantia, quæ est composita ex materia & forma, sit in prædicamento: & quod neque intelligentiæ, neque anima cadant in prædicamento.* Quod ibi directè probat. Consonat hæc sententia dictis B. Ægidij allegatis lib. 3. quæst. 6. nec contrariatur doctrinæ, quam pro se adducit M. Villanova hic. Nam utrobique, sive in 1. Sentent. sive in 2. unice contendit Doct. Nost. ostendere quod

quod Angeli non sunt ita simplices sicut Deus; & quod sunt potentiales in ordine ad existentiam; quare constant ex genere & differentia. Non ex genere rigoroso, quod requirebatur ad esse in prædicamento: sed ex genere lato, sumpto pro potèntialitate metaphysica, quod sufficit ne Angelus sit æquè simplex, & purus actus, ut est Deus. Hæc de mente N. Doctoris.

16. Probatur ergo sententia nostra ex dictis loco citato. Quod ponitur in prædicamento, debet constare ex genere rigoroso: sed tale non est in Angelis: ergo Angeli non ponuntur in prædicamento. Major patet, nam prædicamenta sunt genera suprema, & rigorosa. Minor probatur. Genus rigorosum debet perfectè præscindere objectivè à differentiis: sed in Angelis genus non præscindit sic objectivè: ergo &c. Minor probata est quæst. citata. Major patet, nam genus est ratio univoca, & pura ratio conveniendi: hæc non stat sine perfecta præcisione à differentiis, quæ sunt ratio disconveniendi.

Confirmatur. Quidquid ponitur in prædicamento, est verè & propriè diffinibile: sed Angeli non sunt propriè diffinibiles, quia nequeunt diffi-

niri sine negatione: ergo non ponuntur in prædicamento. Minor probata est quæst. citata. Major est certa, tum quia quod ponitur in prædicamento, habet proprium genus, & differentiam, & hæc sunt partes propriæ & veræ diffinitionis. Tum quia teste P. Augusti. lib. de Categ. ubi supra, ad hoc instituta sunt prædicamenta, ut facilius possimus noscere quidquid est: hoc autem noscitur per diffinitionem.

17. Probatur secundò. Licet genus improprium possit sumi à potentialitate essentiæ Angelicæ in ordine ad existentiam, secus genus proprium: ergo ex fundamento primæ sententiæ non evincitur Angelos esse in prædicamento. Probatur antecessè: Genus proprium est pars essentiæ metaphysicæ, quæ cum differentia componit adæquatam essentiam: sed hæc pars essentiæ non potest sumi à tota essentia Angeli secundum se, ut patet: quia pars non sumitur à toto, sed totum à partibus. Nec ab ordine, quæ essentia dicit ad existentiam, quia ordo iste supponit essentiam, & sic supponit genus, quod nequit desumi à posteriori se. Nec tandem ab existentia, quia hæc supponit jam essentiam constitutam, & sic sup-

supponit in ea genus constitutum. Ergo licet essentia Angeli sit potentialis in ordine ad existentiam, inde nequit desumi genus rigorosum.

Idem argumentum facit pro differentia, quæ cum non desumatur ab essentia potentiali, nec ab ordine ad existentiam, desumenda esset ab existentia. Hoc nequit dici sine implicatione. Nam existentia supponit essentiam constitutam: at essentia constituitur metaphysicè per genus & differentiam: ergo existentia supponit jam constitutam differentiam. Quomodo ergo differentia potest desumi ab existentia, si ante existentiam jam differentia est constituta in suo esse? Equidem distinctio essentia ab existentia in Angelis convincit Angelos esse limitatos, potentiales, compositos, & inde sequitur eorum essentiam esse etiam metaphysicè compositam. Ad hoc valet distinctio essentia ab existentia, & ad hoc inducitur à Doct. nostro locis laudatis. Ceterum non suadet essentiam Angeli compositam ex genere rigoroso, & differentia contrahente: & hoc erat necessarium, ut ponerentur in prædicamento.

18. Dices: Prædicamentum substantia dividitur

in corpoream, & incorpoream: sed nomine substantia incorporea comprehenduntur Angeli: ergo Angeli ponuntur in prædicamento. Secundò. In Angelis datur compositio physica, vel metaphysica ex existentia & essentia: ergo datur in eis compositio ex genere & differentia. Patet consequentia, quia hæc fundatur supra illam. Atqui quæ componuntur ex genere & differentia, sunt in prædicamento: ergo &c. Tertio. Potest concipi natura Angeli primò sub ratione universalissima substantia dicentis ordinem ad existentiam, & postea sub ratione speciali talis substantia: sed prima ratio universalissima substantia est genus; ratio verò specialis substantia est differentia: ergo potest in Angelis concipi genus, & differentia: quod sufficit ut sint in prædicamento. Quarto. Licet Angeli non habeant materiam, habent quid gerens vices materia, scilicet potentialitatem ad existentiam: ergo ab hoc poterit in eis genus desumi. Quintò. Angeli inter se conveniunt genericè, & differunt specificè: ergo in ratione ista sunt similes rebus corporeis, quæ genericè conveniunt: sed si sunt similes in genere logico, æquè ponuntur in prædicamento: ergo &c.

Hæc

Hæc sunt pro contraria sententia, sed soluta manent lib. 3. quæst. 6. §. 5. & 6. Ex ibi dictis respondemus breviter: Ad primum nego minorem, nam nomine substantia incorporea non Angelos, sed substantias materiales comprehendit Porphyrius, & vocat incorporeas, quia carebant trina dimensione corporis, & à Platone dicebantur substantia lineales, & punctuales. Ad 2. concedo consequentiam de genere lato, & nego de rigoroso ob rationes datas. Ad 3. concedo majorè, quæ est doctrina B. Egidij ubi supra: & distinctio minorè: est genus rigorosum, nego minorem; latum, concedo minorem, & concessa consequentia sub eadem distinctione, nego sub illatam: quia ad poni in prædicamento necessarium est genus rigorosum. Ad 4. concessio antecedenti, distinctio consequens distincta data. Ad 5. nego quod Angeli inter se conveniant genere rigoroso: hoc enim petit perfectam præcisionem objectivam à differentijs, quæ impossibilis est in Angelis, ut lib. 3. ostensum est. Conveniunt ergo genere lato, & in hoc sunt similes rebus corporeis, sed etiam dissimiles, quia ista conveniunt rigorosè genericè: unde nego minorem. Vide loco citato.

19. Quantum ad cœ-

los, & substantias orbium non est tanta difficultas. Negant eos poni in prædicamento substantia Averroës lib. 10. Metaphysica cap. ult. Joannes de Gandavo, Nimphus, & alij citati à Conimbricenses hic quæst. 1. art. 2. fundantur in eò quod *Corruptibile*, & *incorruptibile differunt genere*: sed quæ differunt genere, non sunt in eodem prædicamento, alioquin convenirent in genere illius prædicamenti: ergo cum cœli sint incorruptibiles, & sublunaria omnia sint corruptibilia; si hæc ponuntur in prædicamento substantia, non ponuntur cœlestia.

Contraria sententia est communis, & probatur: Nam cœli constant ex materia, & forma: ergo ex genere, & differentia rigorosis. Patet consequentia ex dictis lib. 3. q. 6. ubi probata est perfecta præcisio objectiva generis à differentia in rebus corporeis compositis ex materia, & forma; sed quod constat ex genere rigoroso, ponitur in prædicamento, ut constat ex dictis hic: ergo cœli ponuntur in prædicamento substantia, sicut sublunaria.

Pro solutione fundamenti oppositi, nota duplex genus; aliud physicum, aliud logicum. Physicum est materia prima: logicum est perfecta

ratio conveniendi plura, quæ specie differunt. His notatis, quòd corruptibile, & incorruptibile differunt genere physico, quia differunt materia; eò quòd materia cœlestis habet formam inamissibiliter, sublunaris amissibiliter: & penes diversum ordinem ad formam differunt materia cœlestis, & sublunaris. Hac dicitur distinctio in genere physico, quia genus physicum est materia; ceterum non differunt in genere logico, quia perfectè & conveniunt in genere substantiæ completæ. Hac expositio traditur à D. Thoma, & B. Ægidio. Sed observa pro dicendis lib. 1. Philosophiæ; quòd utraq; materia solum differt in concreto ratione formæ; nō autem præcisivè, & ratione sui, ut latè dicemus cum P. Augustino.

Dices: Quòd D. N. in 1. Sent. dist. 8. par. 2. quæst. 1. art. 3. §. Hoc viso, dicit sic: *Intelligentiæ, etsi secundum rectam lineam sunt in genere, non tamen per omnem modum*: ergo licet in quæstionibus super prædicamenta docuerit oppositum, in Sententiarijs retractavit priorem sententiam, vel se ipsum explicuit, ut Villanova laudatus contendit.

Respondeo negando cōsequentiam. Primò, quia doctrina nostra non sumitur fo-

lūm ex Ægidio super prædicamenta, sed super Sententiariorum, videlicet in 2. distin. 3. par. 1. q. 1. art. 3. ubi expressè quærit: *An Angeli sint compositi ex genere, & differentia?* In loco nobis objecto, non quærit hoc, sed *An talis compositio sit in Deo?* Quare mens D. N. non est indiganda, & suadenda ex verbis objectis, sed ex locis, à nobis inductis. Tum 2. quia eo modo Angeli sunt in genere secundum rectam lineam, quo constant ex genere, & differentia: sed juxta D. N. loco laudato 2. Sentent. Angeli genus dicit totam naturam, & non præcindit objectivè à differentijs, nec potest deservire nisi pro diffinitione nugatoria, ut libro 3. quæst. 6. ex ipso propugnativimus: ergo nisi impropriè non possunt in prædicamento collocari.

Dicendum de mente Doctoris nostri conformiter ad dicta num. 1 §. in fine, Angelos constare ex genere lato, & differentia lata, mutuò se includentibus: quare sunt in genere, *Non tamen per omnem modum*, quia ut dicit loco laudato 2. Sentent. §. *Declaratum est*, differentia in Angelis non habet omnem rationem differentia, sicut habet in istis corporalibus. Sic & genus, cum dicitur per comparisonem ad dif-

fe-

ferentiam, non habet quidquid congruit, vel congruere debet ipsi generi. Verba sunt Ægidij. Quid autem eis deficiat, patet ex dictis tum hic, tum lib. 3. quæst. 6. Et licet D. N. in fine §. dicat hos defectus non tollere ab Angelis rationem generis, & differentia simpliciter; intelligendus est

juxta doctrinam illius articuli, in qua ratio generis est ratio potentialitatis; Angelus autem est simpliciter potentialis: at non intelligas de genere logico simpliciter tali, nā hoc petit objectivam præcisionem à differentijs, quæ in Angelis impossibilis est.



QUÆSTIO QUARTA.

Quid sit, & in quo consistat essentia quantitatis?

§. I.

Ostenditur quantitas distincta à re quanta.

POST prædicamentum substantiæ rectus ordo petit expositionem quantitatis: dicit enim P. Augustinus de Categorijs cap. 10. *Descripta usque, accidentium diffinitionem rectus ordo posebat; quorum primum est quantum, nec sine causa; nam dum aliquid videmus, id necesse est, quantum sit aestimare.* Et observa, quòd licet inter accidentia qualitas sit perfectior quantitate; at ordine generationis, quantitas est qualitate prior, eò quòd vel quantitas est cœva materiæ: ut docemus, & sic præcedit omnia

accidentia, sicut materia: vel quia omnia accidentia recipiuntur in substantia quanta, & sic supponunt in substantia quantitatem.

Certissimum est dari in rebus corporeis quantitatem, quia oculari experientia notamus quædam corporea in alijs majora: at non ratione substantiæ, quæ non suscipit magis & minus, ut dictum est: ergo ratione quantitatis, vi cujus substantia habet partes extensas, unam extra aliam; unam extra locum alterius, fiuntque impenetrabiles, ut

intra explicabitur : quare ad oculum constat dari in substantijs corporeis quantitatē. Hæc corporum quantitas dicitur *molis*, ad differentiam spirituum, quorum quantitas vocatur *quantitas virtutis*. Quantitas virtutis est mensura perfectionis cuiuslibet rei, vi cuius una essentia dicitur perfectior altera, v.g. homo perfectior est equo. Excessus iste in sola quantitate virtutis consistit, non in quantitate molis, quia quoad substantiam corpoream major est equus homine. Huiusmodi divisionis meminit Magn. P. Aug. lib. de Quantitate Animæ cap. 3. dicens : *Solemus enim querere, quantum fuerit Hercules, id est, in quos pedes statura ejus porrecta fuerit* (En quantitas molis) *& item quantum vir fuerit, id est, quanta virtutis atque potentia*. Et lib. 6. de Trin. cap. 8. ait : *In his, que non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod est melius esse*.

2. Magnitudo Dei, Angelorum, & animarum nostrarum, est quantitas virtutis, penes quam attenditur perfectio spirituum & eorum bonitas. De hac quantitate non est magna controversia, nec spectat ad præsens, etiam si aliqua hic attingenda sint de mente P. August. integra quaestio est de quantitate molis corporea; cujus exacta notitia

conducit plurimum pro Philosophia, maximè pro docendis lib. 4. 5. & 6. quare prolixius indaganda est. Nec possumus explicare essentiam quantitatis hujus; nisi prius sciamus; an distinguatur à re quanta? Nā si non distinguitur, erit substantia, vel qualitas, quarum constitutiva suis locis exponuntur; nec oportebit, si distincta non est, distinctam expositionem illius adducere.

Negavit quantitatem distinguere à re quanta Guillelmus Okamus Ordinis Seraphici inter Nominales Princeps: ejus sententiam secuti sunt Hurtaudus, Arriaga, & pauci Societatis. Sed contraria sententia est communissima, & certissima; consonatque sacro mysterio Eucharistia, ubi quantitas panis manet, destructa substantia per consecrationem; qua propter varijs censuris afficitur sententia negans, licet ab eis se satis purget Okamus. Nec tantum nostra communissima sententia probatur ratione theologica ex mirabili Sacramēto, sed rationibus naturalibus probatur à M. P. August. distinctio substantia à quantitate, ut benè advertit N. M. Villanova.

3. Probatur ergo distinctio quantitatis à substantia, & quacumque re quanta. Primò ex Aristot. 7. Metaph.

tex-

textu 8. ubi ait : *Longitudo verò, latitudo, & profunditas, quantitates quedam sunt, sed non substantia. Quantitas enim non substantia, sed magis cui insunt hæc ipsa, primum illud est substantia*. En quantitas non est substantia, sed inest substantia, sicut cetera accidentia: immò inter accidentia quantitas primum inest substantia, quia reliqua inveniunt jam substantiam affectam quantitate ut num. 1. dictum est.

Probatur 2. ex M. P. August. verbis, quibus dat etiam rationem probativam distinctionis, lib. 5. de Trinit. cap. 10. ait : *In rebus, que participatione magnitudinis magne sunt, quibus est aliud esse, aliud magne esse, sicut magna domus; magnus mons, magnus animus: in his ergo rebus aliud est magnitudo, aliud quod ab ea magnitudine magnum est: & prorsus non hoc est magnitudo, quod est magna domus*. Et postea subdit : *Deus autem, quia non ea magnitudine magnus est, que non est quod ipse, ut quasi particeps ejus sit Deus, cum magnus est: ea magnitudine magnus est, qua ipse est eadē magnitudo*. En in creaturis magnitudo distinguitur à re magna; sed magnitudo est quantitas: ergo in creaturis quantitas distinguitur à re quanta. Vbi nota quòd P. N. loquitur de quantitate molis qua domus & mons sunt magni; & de

quantitate virtutis, qua animus magnus est, & Deus est magnus. Vtramque quantitatem dicit in creaturis distinctam à re quanta, secus in Deo.

Hujus asserti dat rationem S. P. quia creaturæ non sunt magnæ per essentiam, ut Deus, sed per participationem magnitudinis: sed quod participatur distinguitur realiter à participante: ergo quantitas participata realiter distinguitur à substantia creata participante. Jam vides, quòd probat de utraque quantitate, cum tam molis, quam virtutis, non sit in creaturis per essentiam, sed per participationem.

Hæc ratio, quæ plures probat veritates in Philosophia, & Theologia, v.g. quòd existentia creaturæ distinguitur ab ejus essentia, quòd virtus, bonitas, rectitudo &c. sunt perfectiones distinctæ à creatura, quia in ea non sunt per essentiam, ut in Deo, sed per participationem; & sic eū distinctione rei participatæ à participante: hæc ergo ratio exponitur à N. B. Egidio ex illo principio, *Primum in aliquo genere, habet à se perfectionem illius generis, reliqua autem non à se, sed per participationem primi*. Hinc sequitur quòd primum in aliquo genere, habet per identitatem perfectionem illius generis.

ne-

neris: quod constat tum ex M. P. Augustino laudato, qui docet Deum esse suam magnitudinem; nec mirum, quia est Primus in genere quantitatis virtutis. Constat etiam in ipsa quantitate, quæ est per identitatem sua extensio; cum tamen substantia, qualitas, & alia non sint extensio ipsa, sed quid extensum: hoc idem quia in genere quantitatis quantitas est prima; substantia autem, & qualitas quid secundum.

5. Tertio probatur ex M. P. August. lib. 8. de Trin. cap. 1. ubi ait: *Aliud est corpori verum esse, aliud magnum esse: sic & in animi natura, secundum quod dicitur magnus animus, non secundum hoc dicitur verus animus. Animum enim verum habet, qui non est magnanimus.* Ecce in corpore & in anima, aliud est esse corporis, & anime, aliud utriusque magnitudo: sed quæ sunt aliud, & aliud sunt distincta: ergo tam in corporeis, quam in spiritualibus quantitas distinguitur à re quanta.

Hujus asserti dat rationem alteram, desumptam ex separabilitate; nam potest quis, qui habet verum animum, non esse magnanimus: ergo in co verus animus separatur à magno animo. Rursus; pigmeus habet verum corpus, non tamen magnum corpus: ergo

non sunt idem; alioquin non possent separari, & sic quicunque haberet verum corpus, haberet magnum corpus, quod constat esse falsum.

6. Quarto probatur ex S. P. lib. 6. de Trin. cap. 6. ubi ait: *In unoquoque corpore aliud est magnitudo, aliud color, aliud figura.* En conclusio: audi rationem probativam. *Potest enim diminuta magnitudine, manere idem color, & eadem figura: & colore mutato, manere eadem figura, & eadem magnitudo: & figura eadem non manente, tam magnum esse & eodem modo coloratum.* Ac per hoc multiplex esse convincitur natura corporis &c. En ratio convincens distinctionem ex verificatione contradictorij. Minuitur color, & non minuitur quantitas: ergo quantitas distinguitur à colore; alioquin si forent idem, minuto uno, minueretur alterum.

Hinc sic. Si homo esset idem ac ejus quantitas, crescente quantitate, quæ in dies fit major, cresceret homo, & fieret magis homo, vel major homo: at hoc est falsum, cum non fiat magis animal rationale, nec majus per decursum dierum, quam fuit ab infantia; nec substantia suscipit magis & minus, sed quantitas sola: ergo quia substantia hominis quanti distinguitur à quantitate. Vide, si plura, & pul-

pulchra argumenta desideres pro probanda distinctione reali, P. Augustinum lib. 11. de Civit. Dei cap. 10. ubi probat quod incorruptio corporis Beati distinguitur à corpore Beato, quia corpus est majus digito, sed incorruptibilitas corporis non est major, quam incorruptibilitas digiti. Probat & quod sapientia Beatorum differt ab eorum animabus, & alia plura, quæ brevitate causa omittimus.

7. Ultra tres rationes assignatas à P. Augustino pro distinctione quantitatis à substantia, quæ philosophicæ sunt, desumptæ ex participatione, separatione, & susceptione contradictorij: potest insuper ratione naturali probari cum N. Paulo Veneto sic. Generatio, & augmentatio, sunt motus essentialiter, & realiter distincti: sed generatio terminatur ad substantiam, augmentatio ad quantitatem: ergo realiter distinguitur substantia à quantitate. Patet consequentia. Quia motus essentialiter, & realiter distincti, perunt terminos realiter, & essentialiter distinctos: cum motus specificetur à termino.

8. Ratione Theologica probatur communis sententia ex inefabili Eucharistiæ Sacramento, ubi non adest substantia panis, quæ per conse-

crationem destructa est; cum tamen maneat quantitas panis: sed quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: ergo quantitas realiter distinguitur à substantia quanta.

Negant contrarij manere quantitatem panis, quam dicunt destructam cum substantia: & dicunt manere ibi colorem, saporem, & alia accidentia cum suis quantitatibus, à quibus indistincta sunt. Contra hanc solutionem insurgunt censores dicentes: sententiam Okami esse ad minus temerariam, quia in materia gravissima fidei recedit à communi sententia Theologorum. Nos censuras omittentes, solutionem datam cum communi sententia impugnamus.

Contra eam sic. Forma consecrata non permittit aliam in eodem loco: sed hæc impenetrabilitas non provenit à quantitate coloris, & aliorum accidentium: ergo venit à quantitate panis ibi existente. Probatur minor. Quantitates accidentium non excludunt substantiam ab eodem loco, ut patet in te ipso, qui existis in eodem loco cum tuo colore, calore, & alijs accidentibus tuis: ergo hæc impenetrabilitas &c.

Dices cum Arriaga, provenire ab ubicationibus panis destructi, quæ manent in Euchar-

charistia, non autem à quantitate. Sed contra. Nam istæ ubicationes vel sunt res, vel sunt modus? Non modus: quia hic non potest per se manere sine re, cuius est modus; unde fessio mea nequit manere sine me. Ergo est res illa ubicatio, & distincta à substantia. Hanc nos vocamus quantitatem, tu verò ubicationem, discriminamur in voce, sed convenimus in eo quòd ambo tene-mur concedere rem distinctã à substantia panis, id quod substantiam reddebat extensam, & impenetrabilem.

§. II.

*Expenduntur aliquæ sententiæ circa
essentiam Quantitatis.*

9. **A**RIST. 5. Metaphysi-
cæ dicit quantitã
in concreto, aut
quantum esse divisibile in ea, quæ in-
sunt, quorum utrumque, vel unum-
quodque unum quid, & aliquid aptum
est esse. Est dicere, quòd quan-
tum est divisibile in partes,
quarum qualibet separata à
toto, est totum per se, & ali-
quid unum. Ly divisibile est ge-
nus, quo convenit quantum
cum composito substantiali,
quòd est divisibile in materiã,
& formam. Sed à composito
differt per ly *Quorum utrumque*

unum quid, quia partes compo-
siti non sunt entia completa
apta esse, & existere per se;
benè verò partes quãtitatis. Et
licèt mixtum sit divisibile in
quatuor elementa, quorum
unumquodque est ens com-
pletum potens existere; differt
quantum à mixto per ly *In ea
quæ insunt*: nam eo denotatur,
quòd partes Quãtitatis existūt
formaliter in quanto, secus ele-
menta in mixto, ubi solum sūt
virtualiter.

Hæc diffinitio ab aliqui-
bus dicitur essentialis, ab eis
scilicet qui putant essentiam
quantitatis consistere in divi-
sibilitate. Qui hoc negant vo-
cant istam diffinitionem descri-
ptivam datam per proprieta-
tem notioem quãtitatis, qua-
lis est divisibilitas. Id sanè cer-
tum est apud omnes diffini-
tionem esse obscurissimam, &
non quantitatis in abstracto,
sed in concreto. Cùmque ac-
cidentia in concreto non po-
nantur in prædicamento, ut
hic q. 1. dictum est, inde vide-
tur diffinitio inepta.

10. Si clariorem, &
aptiorem, nostrisque principiis
adaptatã diffinitionem deside-
res, eam accipe à P. August.
lib. 5. de Trin. cap. 10. cum
quo diffinies quantitatem sic:
*Ens primitivus, hoc est per se, & non per
participationem extensum.* Vel sic:
Accidens extensivũ substantiæ. Post-
quam

quam enim S. P. loco citato
dicit verba illa data num. 4.
*In rebus quæ participatione magnitu-
dinis &c.* Subdit: *Aliud est magni-
tudo, aliud ea, quæ participatione ma-
gnitudinis magna sunt. Quæ magnitu-
do utique primitus magna est, multo-
que excellentius, quàm ea, quæ parti-
cipatione magna sunt.* En diffini-
tio data, & ratio qua ejus bo-
nitas probatur. Nam cùm om-
nia sint quanta, & extensa per
participationem quantitatis,
ipsa quantitas est *ens primitus
extensum*, per se, & primariò; re-
liqua secundariò, & per par-
ticipationem.

Plura sunt in quantitate,
de quibus dubitatur in quonã
consistat ejus essentia. Nam
primò quantitas habet partes;
alioquin non foret in eas di-
visibilis. Secundò habet partes
extensas, tum extensione in or-
dine ad se, quæ consistit in eo
quòd una sit extra aliam par-
tem, & una tangat alteram se-
cundum extremitatem, non
autem secundum se totam. Tũ
etiam habet partes extensas in
ordine ad locum, quæ consi-
stit in eo quòd una pars sit ex-
tra locum alterius. Tertiò ha-
bet divisibilitatem in partes,
ex quibus constat. Quartò ha-
bet impenetrabilitatem, qua
una pars alteri resistit, ne cum
ea penetretur. Tandem habet
quòd sit mensura. Dubium est,
in quo horum consistat essen-

tia quantitatis? Sententias alio-
rum breviter referemus, & re-
fellemus.

II. Prima sententia as-
ferit essentiam quantitatis cõ-
sistere in ratione mensuræ. Ita
Albertus Magnus, citatur pro
eodem D. Thomas Opusc. 52
& 1. p. q. 28. art. 2. ubi diffi-
nit quantitatem per hoc quòd
sit mēsurā substantiæ. Videtur
etiam mens B. Ægidij de præ-
dicamento quantitatis, ubi ait:
*Quantitas habet diversam rationem
ab omnibus alijs generibus, quia ha-
bet rationem mensuræ.* Accedit M. P.
August. lib. de Categ. cap. 10.
ubi ait: *Quantum verò sit, inveniri
non potest, nisi fuerit adhibita mensu-
ra collectum.* Et ratione suade-
tur: quia per quantitatem mē-
suratur perfectio cujusvis rei:
ergo ejus essentia consistit in
mensura.

Hæc sententia expressè im-
pugnatur à N. B. Doct. quæst. 4.
de Mensura Angelorum. Nam
mensura significat quid indi-
visibile; unde primò reperitur
in unitate, quæ est mensura
quãtitatis discretæ. Rursus Deus
omnium mensura, est indivisi-
bilis. Album etiam, quòd est
mensura omnium colorum, est
omnium simplicior, & magis
habet de luce: Ergo si ratio
quãtitatis consisteret in ratio-
ne mensuræ, indivisibilia, ut
unitas, & punctum, essent per
se in genere quantitatis, imo

magis, quàm divisibilia: quod patet esse falsum.

Nec urgent motiva contraria. Nam D. Thomas ibi non diffinit quantitatem essentialiter, sed descriptivè, ut Bazona cum Thomistis advertit hic, & constabit ex dicendis de mente S. Doct. Ad aliud B. Ægidij dicimus ibi docere quàm quantitatem habere rationem mensuræ, at non dicit, quòd sit essentialiter mensura: imò hoc impugnat directè loco à nobis allegato. Eodem modo exponendus est P. Augustinus, maxime cum ejus mens ex dictis, & allegandis clarissima sit pro nostra sententia infra ponenda. Ad rationem concessio antecedenti, nego consequentiã. Quia ratio mensuræ est quid relativum ad aliud; quantitas verò est ens absolutum, sicque ejus essentia non consistit in ratione mensuræ, etsi inter ejus proprietates numeranda sit ratio mensuræ.

12. Secunda sententia dicit, essentiam quantitatis consistere in divisibilitate. Pro hac sententia referuntur plures Thomistæ à Complutensibus. Et probatur ex verbis Arist. daris num. 9. ubi diffiniens quantitatem, explicat essentiã ejus per divisibilitatem: ergo quia in hac consistit essentia quantitatis: ceterum nil inde probatur efficaciter, quia re-

stat probare, an diffinitio illa sit essentialis, & per prædicata essentialia, an solum descriptiva, & per proprietatem quantitatis magis notam. Communiter dicitur diffinitio ista descriptiva. Et suadetur: Nam divisibilitas supponit in quantitate extensionem partium: ergo est proprietas secuta ad extensionem, in qua consistit quantitatis essentia. Patet consequentia, nam essentia rei est illud quod primò intelligitur in illa: ergo si primò intelligitur in quantitate extensio partium, & postea divisibilitas; extensio erit essentia, & divisibilitas passio.

13. Tertia sententia dicit, essentiam quantitatis consistere in habere partes. Sic Moneda citans Capreolum. Probatur. Nam essentia quantitatis est illud quod primò intelligitur in quantitate: sed prius est quòd quantitas habeat partes, quàm quòd habeat illas extensas: ergo consistit essentia ejus in habere partes. Rursus essentia quantitatis debet convenire omni quantitati: sed habere partes convenit omni quantitati; secus habere partes extensas, quod non convenit quantitati discretæ, ut sunt numerus, & oratio: ergo idem.

Sed contra. Nam juxta Monetam substantia antecederet ad quantitatem habet par-

tes:

res: ergo habere partes non est constitutivum quantitatis. Dices cum eo, substantiam habere partes, sed non quantitativas, sed substantiales. Essentia autem quantitatis est habere partes quantitativas. Benè: sed dic nobis, quid intelligas nomine partium quantitativarum? quod si explices, explicabis essentiam quantitatis.

Dicendum nobis est, quòd habere partes non est prius, quàm habere partes extensas in ordine ad se, imò est quasi posterius: nam est effectus formalis extensionis in ordine ad se; & omnis effectus est posterior sua causa. Quid enim est habere partes distinctas, & unitas? Certè nil aliud quam habere extensas in ordine ad totum: nec aliud nomine hujus extensionis explicatur à DD. ut infra videbis.

Ad secundum, qui negant quantitatem discretam esse veram quantitatem, concedent quòd quantitati discretæ non convenit extensio, eo quia non est vera quantitas. Nos autem qui tenemus esse veram speciem quantitatis, negamus minorem; nam licet numero, & orationi non conveniat extensio partium continua, eis convenit extensio discreta. Vide hic Prado q. 14. num. 18. ubi late explicat hanc solutionem nostram.

14. Quarta sententia docet, consistere in impenetrabilitate. Hæc potest explicari impenetrabilitate partium in ordine ad se, vel de illa in ordine ad locum. Rursus utraque potest sumi actualiter, & aptitudinaliter. Hoc ultimum docet Hurtado, Arriaga, Caverus, & alij tenentes essentiam quantitatis consistere in aptitudinali impenetrabilitate in ordine ad locum. Suadetur: quia quantitas obstat penetrationi, & coexistentiæ duorum in eodè loco: ergo quia essentia ejus consistit in exigentia impenetrabilitatis. Rursus extensio est idem ac impenetrabilitas: ergo si extensio est essentia quantitatis, etiam impenetrabilitas. Sed contra. Nam impenetrabilitas qualiscumque sit, est carentia, vel negatio penetrationis, & sic quid negativum: at nullum prædicamentum constituitur per negationem; ut docet B. Ægidius in 1. dist. 2. art. 1. ergo quantitas non constituitur per impenetrabilitatem. Rursus impenetrabilitas sequitur ad extensionem partium, & sicut est duplex extensio, ad se, & ad locum, sic duplex impenetrabilitas secuta: sed essentia quantitatis est id quod primò intelligitur in ea: ergo extensio primò intellecta, & non impenetrabilitas est essentia quantitatis. Præ-

reà. Quod est separabile à quãtitate, non est ejus essentia: sed impenetrabilitas est separabilis, ut patet in Christo Domino, qui *per inviolatæ matris virginea viscera membra infantis eduxit, quæ postea per clausa ostia membra juvenis introduxit*, ut dicit P. August. Epist. 6. ergo.

Nec valet si dicas hęc separatam esse impenetrabilitatẽ actualem, non autem aptitudinalem. Non valet, nam hęc aptitudo in aliquo esse & essentia fundatur: at fundatur in essentia quantitatis: ergo non est aptitudo ista essentia ejus, sed quid secutum ad essentiam quantitatis. Hinc cessant fundamẽta opposita, quia ut dictum est, exigentia impenetrabilitatis non est essentia quantitatis, sed passio ejus secuta ad essentiam. Nec est idẽ ac extensio, sed quid negativum secutum ad esse positivũ extensionis.

15. Quinta sententia docet consistere in extensione actuali partium in ordine ad locum. Citatur pro hac Durãdus: ceterum evidenter refellitur ex mysterio Eucharistiæ, ubi Christus Dominus est cum sua quantitate; & tamen non habet partes extensas in ordine ad locum: ergo quia extensio actualis est separabilis à quantitate: sed nil est separabile à sua essentia: ergo &c. Ob-

serva quòd P. Augustinus lib. 4. de Origine animæ cap. 12. videtur diffinire quantitatem per extensionem in ordine ad locum: ibi dicit sic. *Corpus est id, quod majoribus, vel minoribus suis partibus, majora, vel minoraspartia locorum obtinentibus, constat.* At constat quòd non est diffinitio essentialis, sed descriptiva, & per proprietatem impedibilem divinitus; quia corpus Christi in Sacramento quantum est; sed non est localiter extensum.

§. III.

Vera & communis sententia proponitur, & probatur.

16. **C**ommunis, & vera sententia docet, essentia quãtutatis consistere in extensione partium in ordine ad se, vel totum. Ita P. Augustinus, D. Thomas, & B. Ægidius, cum quibus Thomistæ, & Nostri communiter, uti sunt Gerardus, Argentinas, Toleranus, Venetus, Tapia, Lufitanus, Puteanus, Burlaus, Lãdon, & alij, locis citatis à Villanova nostro hęc, quibus adde N. Gavardi in Logica q. 2. de quantitate art. 1. restantem hanc esse sententiam totius nostræ scholæ.

Probatur i. ex P. August. verbis datis hęc num. 10. ubi docet

docet quòd quantitas non est extensa per participationem, sed per essentiam, primitus, & per se: ergo quia in tali extensione consistit essentia quantitatis. Cõsonat D. Th. Opus. 70. q. 5. art. 3. ad tertium dicens: *Ordo partium in toto includitur in ratione essentiali quantitatis, tanquam differentia constitutiva ipsius.* Accedit B. Ægidius de Sacrament. Altaris propof. 6. 12. & 29. ubi ait: *Quantitas essentialiter est ipsa extensio, idẽ non potest intelligi quãtutatis, si non intelligeretur extensio. Unde si diffiniretur quantitas non per additamentum, extensio pertineret ad quidditatem ipsius. Cetera autem præter quantitatem, sunt extensa per participationem.*

17. Ratione Augustiniana probatur. Quantitas est ens primitus extensum: ergo ejus essentia est ipsa extensio partium. Antecedens docetur à P. Augustino. num. 10. laudato, & ratione suadetur: Nam quidquid est extensum, extenditur participatione quantitatis, & sic secundariò: quantitas autem est extensa ratione sui, & sic primitus, & non ratione alterius: ergo quantitas est ens primitus extensum. Cõsequẽtia prima probatur. Quia Deus non est magnus participatione magnitudinis, idẽ est essentialiter ipsa magnitudo, ut bene arguit P. August. ubi supra laudatus: ergo si quanti-

tas non est extensa per participationem, sed primitus, & ratione sui, quantitas est essentialiter ipsa extensio, & in hoc consistit ejus essentia. Ex hac ratione infert B. Ægidius ubi supra quòd diversa est extensio materiæ, & extensio quantitatis, dicit sic. *Quantitas est quid extensum, quia est ipsa extensio essentialiter; materia quid extensum, quia participat extensionem: alia est ergo extensio quantitatis, alia materiæ.* Quia scilicet illa est per essentiam, hęc per participationem.

18. Secundò probatur à ratione. Illud est essentia quantitatis, quod primò intelligitur in quantitate: sed quòd primò in ea intelligitur, est extensio partium in ordine ad se: ergo extensio ista est essentia quantitatis. Probatur minor. Illud primò intelligitur in quantitate, quòd primò comunicatur substantiæ per quantitatem: sed quòd quantitas primò præstat substantiæ, est extensio partium in ordine ad se: ergo &c. Major patet, quia nõ possumus noscere formas, nisi per suos effectus formales: ergo nec cognoscere quid sit primum in quantitate, nisi videndo quem primò effectum præstat substantiæ, cui comunicatur.

Minor probatur. Quantitas comunicata substantiæ, dat ei extensionem partium in ordine

ordine ad se, item extensionem in ordine ad locum; rursus impenetrabilitatem duplicem, secutam ex illa duplici extensione, ac etiam divisibilitatem. Sed ex his effectibus, primarius est extensio partium in ordine ad se: ergo quod quantitas &c. Probatur hæc minor. Prius quantitas perficit substantiam in ordine ad se, quam in ordine ad extrâ; item prius dat effectum positivum, quam negativum: ergo prius dat extensionem substantiæ in ordine ad se, quam in ordine ad locum extrinsecum substantiæ: & cum hæc extensio sit quid positivum, prius datur, quam impenetrabilitas, quæ est quid negativum, fundatum in extensione. Antecedens probatur in omni forma, quæ prius perficit subjectum in ordine ad se, quam in ordine ad alia. Calor enim (& idem de alijs) prius reddit ignem calidum in se, quam potentem extrâ ca-

QUÆSTIO QUINTA.

Utrum substantia ex se, & independenter à quantitate habeat partes?

§. I.

Prima sententia propugnans in substantia partes extensas proponitur cum suis fundamentis.

1. **V**idimus q. præcedenti quod quantitas differt à substantia quanta; & quod ejus essentia consistit in

DE ANTEPRÆDIC.

lesacere. Item forma prius dat suum effectum positivum, quam negativum, ut patet eodē exemplo. Nam calor prius dat igni esse calidum, quam vim expulsiuam frigoris, aut incompatibilitatem cum frigore.

Dices. Id quod habet substantia ratione sui independenter à quantitate, non est effectus quantitatis: sed habere partes extensas in ordine ad se, est proprium substantiæ independenter à quantitate: ergo hoc non est effectus quantitatis: sicque ruit probatio nostra. Minor multis probatur à Mastro: sed ipsum audiemus quæstione sequenti. Si vis alias rationes hujus sententiæ, vide Bajonam, & alios DD. nobiscum sentientes. Argumenta contra hanc sententiam partim soluta sunt præcedenti, partim solventur ex sequentibus.

extensione partium in ordine ad se: restat videre quid conveniat substantiæ ratione sui, quidve ratione quantitatis adjunctæ. Quam quæstionem levi calamo ab aliquibus tractatam, prolixius disputabimus, quoniam ex ejus dilucidatione plura utilissima pendent: tum Theologica circa sacramentum Eucharistiæ Sacramentum, tum Metaphysica circa discrimen substantiæ immaterialis à corporea: tum Philosophica circa compositionem continui, & quantitatis discretæ: nec non circa principium individuationis, & multiplicationis numericæ: quæ omnia licet logicales terminos transcendant, in hac quæstione radicantur; quare saltem invenianda sunt hic, etsi non plenè discutienda.

Conveniunt omnes sententiæ in eo, quod substantia materialis est divisibilis, secus spiritualis, & immaterialis. Quo fit ut spiritualis substantia nullas habeat partes, benè verò substantia corporea. Dubium est, an sicut divisibilitas substantiæ materialis provenit à quantitate, ita etiam distinctio partium, & earum extensio? In quo dubio variæ sunt sententiæ, & satis implicatæ; quas tamen claritatis gratia ad quatuor reducemus. Prima est eorum, qui docent, quod substā-

tia ex se, & antecedenter ad quantitatem, habet partes distinctas, & extensas in ordine ad se. Secunda tenet, substantiam non habere partes extensas ante quantitatem, benè verò distinctas realiter. Tertia putat, quod nec ante quantitatem, nec cum quantitate habet substantia partes actu distinctas, sed solum distinctas in potentia. Quarta, quam pro conclusione defendemus, docet quod ante quantitatem substantia non habet partes extensas, nec distinctas: sed cum quantitate habet partes actu distinctas distinctione integrali; & in potentia distinctas distinctione totali. Sygillatim expendemus omnes.

2. Pro prima sententia stat Merinerus citans Scotum in 2. dist. 12. q. 2. cum omnibus Scoticis, quos allegat; quibus adde Suarium in Metaphysica disp. 40. sect. 4. Fonseca, Conimbricenses, Rubium, Martinium, & alios Societatis. Isti docent, quod substantia ex se independenter à quantitate habet partes distinctas, & extensas: quare à quantitate solum recipit impenetrabilitatem, & extensionem localem actualē, & aptitudinalem. Hinc Suarius ibi dicit, essentiam quantitatis consistere in hac aptitudine extensionis localis. Unde corpus Christi quod est in Sa-

cramento, non est localiter extensum, sed quia habet suam quantitatem, habet aptitudinem, ut localiter extendatur quod fieret nisi divinitus impediretur.

Probatur hæc sententia. Quia extensio partium in ordine ad se, nihil est aliud, quam distinctio partium entitativa: sed substantia materialis antecedenter ad quantitatem habet partes realiter entitative distinctas: ergo ratione sui habet partes extensas in ordine ad se. Major patet, tum quia sic accipitur extensio in ordine ad se à DD. hujus sententiæ, ut videre est in Capreolo, Suario, & alijs. Tum quia sicut numerica distinctio est quædam extensio naturæ specificæ; ita distinctio partium substantiæ est quædam extensio ejus. Tum tandem, quia nomine extensionis partium in ordine ad se, nihil aliud potest intelligi, nisi, quod partes sint distinctæ, & unitæ: sed si substantia habet ex se partes distinctas, non potest illas habere divisas ante quantitatem, quia hoc est impossibile: ergo habere ratione sui partes distinctas, est habere illas extensas in ordine ad se. Minor autem principalis, scilicet quod antecedenter ad quantitatem habeat substantia partes distinctas, multis probatur.

3. Et primò sic. Substantia capitis realiter differt à substantia pedis: sed hæc distinctio non provenit à quantitate, sed ab ipsa substantia: ergo substantia ratione sui habet partes realiter distinctas. Probatur minor, primò, quia quæcumque res per se ipsam est una, indivisa in se, & indivisa à quolibet alio: ergo distinctio, qua una pars substantiæ differt ab altera, non provenit à quantitate distincta, sed à substantia illius partis. Secundò, quia distinctio realis nil est aliud, quam istam rem non esse aliam: sed pars substantiæ per suam entitatem habet quod non sit alia: ergo per suam entitatem habet distinguere ab alia. Tertio, quia ex opposito sequitur processus in infinitum. Nam si partes substantiæ non sunt distinctæ ratione sui, sed ratione quantitatis, ipsæ partes quantitatis non erunt distinctæ ratione sui, sed ratione alterius entitatis superadditæ: sed de illa addita est eadem ratio, & sic proceditur in infinitum: ergo &c. Major patet, quia non est major ratio dicendi, partes quantitatis distinguere ratione sui, quam partes substantiæ. Quartò, substantia pedis per idem differt à substantia capitis, per quod differt à quantitate, afficiente pedem; non enim

enim, nisi per unicum differentiam differt ab omni non ipsa: sed à quantitate pedis non differt per quantitatem, sed per suam entitatem substantialem: ergo etiam à substantia capitis. Quintò, distinctio partium substantiæ est substantialis: sed si proveniret à quantitate, non esset substantialis, sed accidentalis, sicut quantitas: ergo.

4. Secundum fundamentum pro distinctione entitativa partium est hoc. Materia prius natura creatur, quam habeat quantitatem: ergo prius natura habet totam entitatem suam, quam recipiat quantitatem. Totum patet, quia creatio dat esse; & causa materialis debet precedere prioritate naturæ formam, quam recipit. Nunc sic. Sed si pro priori naturæ habet materia totam entitatem suam, habet etiam pro priori partes distinctas, quibus recipit pro posteriori partes quantitatis: ergo antecedenter ad quantitatem habet partes distinctas. Minor probatur primò, quia partes materiæ sunt substantiales, sicut & totum ex eis resultans, substantiale est; à quantitate autem quæ est accidens, non potest formaliter provenire pars substantialis. Secundò probatur. Quia si ante quantitatem non haberet materia partes distin-

ctas, reciperetur quantitas in tota materia, & non pars in parte; quomodo enim, si materia ex se non habet partes, potest recipi pars quantitatis in parte materiæ? Sanè est impossibile: atqui quantitas in materia sic recipitur, ut tota in tota, & pars in parte recipiatur: ergo &c. Tertio, quia si ante quantitatem materia non haberet partes, foret æquè impotens recipere quantitatem molis, ac Angelus, qui non habet partes distinctas: at hoc patet esse falsum: ergo habet partes distinctas. Major patet, quia ideo Angelus nequit recipere quantitatem habentem partes, quia Angelus est indivisibilis, & nullas habet partes distinctas.

5. Tertium fundamentum ejusdem sententiæ est. Potest Deus conservare substantiam materialem sine quantitate: sed in isto casu haberet partes realiter distinctas, & extensas: ergo substantia ratione sui, & independenter à quantitate &c. Major patet, primò, quia magis pendent accidentia à substantia, quam hæc ab accidentibus, & tamè in Eucharistia conservantur sine substantia quantitas, & alia panis accidentia. Rursus cum substantia, & quantitas sint duæ res absolute, possunt per se existere una sine altera.

ra. At tandem cum Deus possit facere quidquid non implicat, restat assignare implicationem ne Deus possit quantitatem destruere, & conservare substantiam; nec hucusque talis implicatio designata est.

Minor probatur: in illo casu Deus conservaret totam entitatem partium substantiæ, quæ antea erat: ergo sicut antea sub quantitate erant partes realiter distinctæ, sic manerent ablata quantitate. Patet consequentia, quia ex realiter distinctis non potest resultare unum per identitatem, nisi extrema distincta convertantur in unam tertiam entitatem simplicem: conversio ista non est conservatio præcedentis, sed transmutatio, vel transubstantiatio; quare si conservatur præcedens entitas partium substantiæ, manent partes, ut antea distinctæ.

Confirmatur. Partes substantiæ sub quantitate manent unitæ, & distinctæ; quare manent extensæ in ordine ad se: sed in casu dato, per ablationem quantitatis, non tolleretur unio substantialis partium substantiæ: ergo independenter à quantitate essent partes substantiæ unitæ, & extensæ. Minor probatur. Quia in casu dato partes non manerent di-

visæ; hoc enim est æquè impossibile, quàm quod partes continui maneat divisæ: ergo manerent unitæ. Hæc sunt motiva, quæ induxerunt Suarium in favorem hujus sententiæ, ut patet ex loco citato Metaphysicæ, & revera hæc sola sunt alicujus momenti, & si ab alijs aliter sententia ista confirmetur.

6. Ab alijs aliter proponitur tertium fundamentum Suarij sic. Demus quod dividatur aliqua substantia quantæ, & quod ab illis substantiis partialibus Deus auferat quantitates partiales: illa substantiæ ex vi divisionis factæ manerent distinctæ. Inquiretur, an per ablationem quantitatis perderent distinctionem individualement, vel non? Si non: ergo sine quantitate manent partes substantiæ distinctæ, & sic non habent à quantitate distinctionem. Si primum? Ergo illa substantiæ permanet cum esse quod habebant, ceterum perdiderunt suum principium individuale; & hoc est impossibile. Nam quomodo manet idem quod erat, si perdidit esse individuale quod habebat?

Confirmatur. Demus quod Deus in instanti auferat ab aqua Oceani quantitatem, quam habet; tunc vel substantia aquæ maneret exten-

sa entitativè, & ad se, vel non. Si manet extensa? Ergo independenter à quantitate. Si non manet? Ergo esset indivisibilis. Sed hoc est impossibile: ergo dicendum est primum. Hæc minor probatur. Primum, quia illa immensa moles aquæ moveretur in instanti localiter, ut conflueret in punctum, quod repugnat successioni motus. Secundò, quia non est major ratio cur confluxus sit in occidentem, quàm in orientem. Tertiò. Nam qui biberet unam guttam illius aquæ, biberet totum oceanum, quod est satis mirabile, & certius dicendum impossibile.

7. Hæc sententia in duobus deficit à nostris principijs, quare duplici titulo impugnanda est. Primum, quia confundens extensionem partium in ordine ad se cum distinctione earumdem, dicit quod extensio illa nihil est aliud, quàm distinctio entitativa. Hoc enim falsum est, ut multis ostenditur. Primum, quia distinctio opponitur identitati; extensio autem partium contrariatur confusione: sed confusio partium non est identitas earum, quia stat partes esse distinctas, & simul confusas: ergo distinctio entitativa non est idem ac extensio. Secundò, quia extensio

partium in ordine ad se est unio earum secundum extremitates; confusio autem partium est unio earum secundum se totas: sed ex distinctione partium non sequitur, quod præcisè debeant uniri secundum extremitates; cum possint esse distinctæ, & uniri secundum se totas: ergo quia distinctio partium non est idem ac extensio entitativa. Tertiò, extensio in ordine ad se est non penetratio partium in ordine ad totum; sicut extensio in ordine ad locum est impenetrabilitas partium in ordine ad locum: sed ex vi præcisè distinctiōnis partium, non sequitur partes esse impenetrabiles in ordine ad totum; cum possint esse distinctæ, & penetratæ: ergo ex vi distinctiōnis partium præcisè non sequitur partes esse extensas in ordine ad se. Quare licet Suarius, & alij citati pro prima sententia idem reputent de utraque, tenendum est oppositum; alioquin eorum sententia in nullo distabit, nisi sola voce à Thomistis, & DD. secundæ sententiæ propugnantis partes distinctas, sed non extensas in substantia ratione sui.

8. Secundò non probatur nobis hæc sententia, quatenus ponit substantiam ratione sui habere partes extensas.

la constituitur corpus organicum, ultimò dispositum ad receptionem animæ, quæ definitur *Actus corporis physici, organici, in potentia vitam habentis: ergo &c.* Major patet, quia organizatio non dicit extensionem partium localem, cum in Sacramento sit corpus Christi organicum, nec est localiter extensum; quare solam dicit extensionem entitativam partium, quæ non penetrantur in ordine ad totum. Quòd si dicas, in lapide esse partes extensas, non tamen organizatas, cum lapis non vivat: respondemus, partes lapidis esse homogeneas, & ejusdem rationis: sicut in viventibus, (de quibus procedit probatio) habentibus partes etherogeneas, & idèò organicas.

Tertiò. Unio partium secundum extremitates, & non secundum se totas dicit partes distinctas, dicit partem habere totalitatem, & extremitatem, rursus dicit unionem tangentem extremitatem, & non totalitatem. Sed dato quòd in substantia sint partes ante quantitatem, nequit ante illam dari unio tantum tangens extremitatem partium: ergo nequit dari extensio entitativa. Probatur min. Partes substantiæ ante quantitatem sunt indivisibiles: sed indivisibile totum attingitur

vel nihil: ergo dato quòd in substantia &c.

§. II.

Proponitur, & expenditur secunda sententia negans in substantia partes extensas, & concedens distinctas.

II. **S**ECUNDA sententia negat ante quantitatem substantiam habere partes extensas, sed propugnat partes distinctas; quare dicit substantiam ratione sui habere partes oppositas identitati, non autem confusio. Hæc est communis inter Thomistas recentiores, ut videbis apud Bajonam, & Froylanum. Eandem tenet N. Villanova citans B. Egidium, & DD. nostros, ut sunt Gerardus, Argentinas, Venetus, Burlæus, Veracrucius, Landonus, Lusitanus, & alij.

Probatur hæc sententia ex D. Thoma 1. 2. quæst. 27. art. 4. ubi ait: *Totum in genere substantiæ compositum ex suis partibus, vel integralibus, vel essentialibus, est unum simpliciter &c.* Vbi S. Doct. in substantia ante omne accidens admittit totum ex partibus essentialibus, & integralibus. Sed substantia non habet à quantitate distinctio-

tionem partium essentialium, ut patet: ergo nec distinctionem partium integralium juxta D. Thomam. Confirmatur. Si partes integrales substantiæ non essent ratione substantiæ, sed ratione quantitatis, non essent partes in genere substantiæ, sed in genere quantitatis. Rursus: partes illæ non essent sola substantia, sed substantia cum quantitate: sed ex substantia, & accidenti non fit unum per se & simpliciter, sed unum per accidens: ergo unum simpliciter, quod ex partibus substantiæ fit, non fit ex partibus distinctis ratione quantitatis, sed ratione substantiæ.

12. Secundò probatur ex D. Thoma 3. par. quæst. 76. art. 4. ubi docet, quòd in Eucharistia *Ex vi Sacramenti non est quantitas dimensiva corporis Christi.* Atqui ex vi Sacramenti est corpus Christi cum suis partibus substantialiter integrantibus, ut ibi docet D. Thom. art. 1. ad 2. ergo quia in genere substantiæ independenter à quantitate dantur partes integrantes essentialiter distinctæ.

Confirmatur. Ex eodem S. Doct. lib. 5. Metaph. lect. 15. ubi ait: *Sciendum autem est quòd quantitas inter alia accidentia propinquior est substantiæ.* Audi rationem, Nam sola (ait) quantitas

habet divisionem in partes proprias, post substantiam. Nota ly *post substantiam.* Ergo quia ante quantitatem habet substantia partes proprias, in quas potest dividi, & sic distinctas ratione sui.

13. A ratione probatur. Distinctio partium substantiæ non provenit à quantitate: ergo quia substantia ratione sui habet partes distinctas. Probatur antecedens. Distinctio illa est substantialis: sed à quantitate, quæ est accidens, nequit provenire distinctio substantialis: ergo &c. Minor patet, ait Bajona, quia effectus formalis formæ non distinguitur ab ipsa forma communicata subjecto: cum accidenti quantitatis nequit identificari effectus substantialis, qualis est substantialis distinctio. Major etiam est certa, quia illa distinctio consistit in eo quòd una pars non sit substantialiter altera.

Confirmatur 1. Idem est constitutum, & distinctivum: sed una pars substantiæ non constituitur per quantitatem, sed ante illam per se ipsam: ergo nec distinguitur ab alia per quantitatem. Secundò, quæ differunt tantum accidentaliter, sunt unum essentialiter, & substantialiter sunt idem: sed partes substantiæ non sunt substantialiter idem; alioquin

In genere substantiæ non facerent totum integrale: ergo non differunt purè accidentaliter: ergo quia tota earum distinctio non provenit à quantitate, sed etiam à substantiis; alioquin tota cum quantitate identificaretur. Tandem substantia pedis per unam & eandem formam distinguitur ab omni non ipsa: sed non distinguitur per quantitatem à quantitate: ergo nec per quantitatem ab alia substantia.

14. Secunda ratio probativa Bajonæ est, una substantia totalis non differt ab alia per quantitatem, sed per se ipsam, ut præhabet quantitatem: ergo nec duæ partiales substantiæ distinguuntur per quantitates partiales, sed per se ipsas, ut præhabet quantitates partiales. Confirmatur 1. Quantitates totales non faciunt, sed supponunt distinctionem in substantiis totalibus: ergo quantitates partiales non faciunt, sed supponunt distinctionem in substantiis partialibus.

Confirmatur 2. Si partes substantiæ ratione quantitatis distinguerentur, tunc dato quòd Deus tolleret à substantia quantitatem, partes illæ identificarentur: sed quòd semel est distinctum realiter, nequit identificari: ergo quia manerent partes substantiæ di-

stinctæ ratione sui. Major patet, quia nequit manere effectus quantitatis destructa quantitate. Minor probatur à Bajona §. 2. contra PP. Complutenses, quorum sententiã, & communes ejus impugnationes expendemus infra. Rursus dato casu, quòd partes substantiæ identificarentur per ablationem quantitatis; tunc si Deus denuò illis quantitatem restitueret, partes identificatæ distinguerentur realiter: hoc etiam implicatoriũ est: ergo & quòd distinctio partium substantiæ proveniat à quantitate distincta. Vide supra rationes factas pro prima sententia, nam probant etiam istam secundam.

15. Hæc sententia videtur contrariari P. Augustino docenti, quòd materia ante formam est prope nihil, & infra quam solum est nihil. Ita lib. 12. Confessionum cap. 7. *Duo fecisti Domine unum prope te, ut naturam Angelicam, aliud prope nihil, ut materiam primam. Vnum quo tu superius esses, aliud, quo inferius nihil esset.* Sed si materia ratione sui esset totum, constans ex partibus distinctis, nõ esset; quo inferius nihil esset: ergo non esset materia juxta principia Augustiniana. Probat min. nam si materia esset totum, constans ex partibus, ejus pars esset inferior ad ma-

teriam, & proprius ad nihil accederet pars integralis materiæ; cum nulla pars sit æquè perfecta ac totum, ad quòd ordinatur: ergo si materia ratione sui esset totum &c.

Contra eandem sententiam stare videtur D. Thomas 1. p. q. 50. art. 2. ubi dicit: *Materiam autem dividi in partes non convenit, nisi secundum quòd intelligitur sub quantitate, qua remota, remanet substantia indivisibilis, ut dicitur 1. Physicorum textu 18.* Idem docet S. Doct. 4. contra Gentes cap. 65. ubi ait: *Remota quantitate, substantia omnis indivisibilis est, ut patet ex 1. Physicorum.* Clarius Quodlib. 9. q. 4. art. 1. ubi ait: *Impossibile est quòd una materia contrarias, & disparatas formas recipiat, nisi secundum diversas partes. Diversitas autem partium non potest intelligi in materia, non intellecta divisione: neque divisio non intellecta dimensione; quia substantia, quantitate sublata, remanet indivisibilis, ut dicitur 1. Physicorum.*

16. Eodem modo loquitur B. Ægidius Theorem. 11. de Sacram. Altaris ubi ait: *Substantia de se est indivisibilis.* Quã doctrinam sæpius repetit, & probat dictis Theorematibus. Et in 2. Sent. dist. 3. q. 2. art. 1. §. Dicamus ergo, ait: *Si esset possibile quòd esset materia sine quantitate; quia materia non habet partem, & partem, non esset dare aliam, & aliam materiam.* Ex quo infert

quòd tunc materia non posset simul recipere plures formas, sed solum successione temporum, ut supra arguebat D. Thomas.

En concorditer uterque B. Doct. sapius docet substantiam, ablata quantitate, indivisibilem, nullas habere partes non intellecta quantitate, & pro hoc asserto inducunt Philosophum 1. Physicorum sententiam istam adstruentem: ergo stando doctrinæ Arist. D. Thomæ, & B. Ægidij, substantia nullas habet partes distinctas antecedenter ad quantitatem. Hinc miramur quomodo M. N. Villanova fidelissimus nostri B. Doct. discipulus ipsum inducit pro hac sententia RR. Thomistarum adstruente partes distinctas in substantia ante quantitatem, cum nulum textum afferat N. B. D. pro hac sententia, & innumera sine pro contraria. Alijs omisis.

17. En confirmatio factis expressa, unde ratio probativa efficax deducenda est contra RR. Thomistas. Arist. 1. Physicorum textu 15. dicit: *Substantiam autem infinitam, aut qualitatem, aut passionem, esse non contingit, nisi secundum accidens.* Quæ verba explicat N. B. D. ibi sic. *Talia enim non possunt dici infinita, nisi simul cum eis sint aliquæ quantitates; nam ratio infiniti congruit quantitati, & non substantiæ, neque quali-*

tati. En ratio. Si substantia ante quantitatem haberet partes distinctas, haberet infinitas: sed juxta Arist. & B. Ægidium infinitas nequit convenire substantiæ ratione sui, sed per accidens, ratione quantitatis adjunctæ, cui soli essentialiter convenit infinitas partium: ergo nec substantiæ convenit distinctio partium, nisi per accidens, scilicet, ratione quantitatis. Major patet, quia partes substantiæ sunt illæ, in quas, posita quantitate, est divisibilis: sed est divisibilis in infinitum, quia quantum est semper, & semper sine termino divisibile: ergo haberet partes infinitas. Rursus: Ideò quantitas habet partes infinitas, quia est semper divisibilis in semper divisibilia: at idem convenit substantiæ quantæ: ergo &c.

Hac ratione præcluditur solutio Bajonæ, & aliorum Thomistarum, ad auctoritates hic inductas D. Thomæ, dicunt enim intelligendas esse non de quantitate actuali, sed de ordine ad quantitatem: cūque substantia ante quantitatem, & casu ablationis quantitatis, dicat ordinem ad quantitatem, vi ejus habet partes distinctas. Non valet primò. Quia substantia juxta Philosophum solum habet infinitas partes *per accidens*. Ordo substantiæ ad quantitatem non est per

accidens, sed per se, & essentialiter convenit substantiæ materiali: quod patet, quia etsi divinitus Deus auferat à substantia quantitatem, nequit auferre ab illa ordinem ad quantitatem. Patet etiam ex doctrina Thomistica. Quia ab illo ordine individuatur substantia: sed Deus à substantia nequit tollere individuationem: ergo nec illum ordinem. Quare ordo ille non est per accidens.

18. Rursus: Littera D. Thomæ nõ admittit talem expositionem, ut benè advertit Prado Thomista ejusdem sententiæ, nam in prima auctoritate dicit D. Thom. materiam non habere partes, nisi *secundum quod intelligitur sub quantitate*. Sed materia ante quantitatem non est *sub quantitate*, sed sub ordine ad quantitatem, ut concedit solutio Thomistica: ergo sub illo ordine non habet partes juxta D. Thomam.

Tandem: Eodem modo posses dicere materiam existere ante existentiam, quia dicit ordinem ad existentiam: esse unitam ante unionem, quia dicit ordinem ad unionem. Quod patet esse falsum. Quod si respondeas instanciam non tenere, quia unio, & existentia consistunt in actuali exercitio. Contra: Nā etiam essentia quantitatis consistit in actuali extensione, & actuali distinctione par-

partium, ut q. præcedenti visum est. Adde etiam esse falsum quòd materia ante formam rationalem sit animal rationale; & tamen anima, & esse quòd dat formam nõ est de linea actus secundi, & actualis exercitij, cū omnis forma sit actus primus materiæ. Omittimus brevitatibus causa alias rationes contra sententiam istam, de quibus vide PP. Complutenses.

§. III.

Tertia sententia PP. Complutensium proponitur & expenditur.

19. **P**ATRES Carmelitani Complutenses in Logica disput. 13. q. 3. & lib. de Gener. disp. 5. per quinque quaestiones docent, quòd substantia antecedenter ad quantitatem non habet partes distinctas, quòd fuit sententia antiquorum Thomistarum ut patet in B. Alberto Magno, Ferrara, Aquario, Soncinate, Capreolo, & Cayetano. Et quoad istam partem sententia est communis & verissima, ut §. præcedenti ostensum est ex Philosopho, M. P. N. Augustino, & BB. Thoma, & Ægidio. Ceterum addunt à num. 53. dictæ disp. 5. quòd substantia corporea etiam dum habet actu quantitatem non habet

partes actualiter distinctas, sed solum distinctas in potentia. Quare tota substantia est sub quantitate, & tota sub qualibet parte quantitatibus. Et ut exemplum demus in homine, substantia capitis non est distincta à substantia pedis, sed sub quantitate pedis continetur substantia capitis. Sic revera accedit in anima rationali indivisibili, quæ tota est in toto corpore, & tota sub qualibet parte corporis. Ibi referunt plures DD. qui de hac sententia consulti, probabilem judicant, & conformem D. Thomæ.

Quantum ad primam partem de indivisibilitate substantiæ antecedenter ad quantitatem, multis probatur hæc sententia; sed ea nunc omittimus, quia in hoc illam verissimam reputamus, & videri possunt, quæ §. præcedenti à num. 15. adduximus contra 2. sententiam. Id autem quòd speciale docetur à Complutensibus, & quòd tertium, & specialem locum sibi vendicat inter sententias, est illud additum de indivisibilitate substantiæ corporeæ etiam dum est sub quantitate, ita ut non habeat partes actu distinctas, sed in potentia. Quoad hoc.

20. Probatum primò hæc sententia ex Arist. 2. de Anima textu 20. ubi cum D. Thoma, & B. Ægidio docet quòd

quod in unaquaque planta anima est una actu, & multiplex in potentia. En in planta unica, & eadem anima actu, sed multiplex in potentia: ergo cum identitate actuali partium substantiæ sub quantitate, stat distinctio, & pluralitas partium in potentia. Quare cum eadem ratio sit de quacumque substantia corporea, tenendum est, quod adhuc sub quantitate est una per identitatem actualem, & solum est distincta, & multiplex in potentia.

Confirmatur ex D. Thoma 7. Metaphysicæ lect. 16. dicente: *Non solum partes corporis sunt in potentia propinqua actu, sed etiam partes animæ: & ideo quaedam animalia post divisionem vivunt, sicut animalia annulosa, quod ex hoc contingit, quia in toto animali erat anima una actu, plures autem in potentia.* Idem docet N. B. Egidius de annulosis animalibus, estque concors utriusque Doct. sententia, quod animæ perfectorum animalium sunt indivisibiles, quia minus immerse in materia quanta, & divisibili; quare nec leo, aut canis dissectus potest vivere. Ceterum animalia imperfecta habent animas divisibiles, ut patet in lacerta, quæ divisa vivit, & quamcumque medietatem pungas, sentit, & contrahitur.

En argumentum. Si partes animæ animalis imperfecti es-

sent actu distinctæ, essent actu plures animæ; quare non unum animal, sed plura animalia foret lacerta, tot scilicet, quot partes haberet ejus anima: sed juxta D. Thomam in lacerta, & quocumque animali annuloso, non est nisi unica anima actu, & plures in potentia: ergo quia substantia illius animæ etiam sub quantitate, est una per identitatem actualem cum distinctioe solum potentiali partium.

21. Probatur secundo ex Arist. 7. Metaphysicæ text. 49. ubi ait: *Impossibile enim substantiam ex substantijs esse inexistens sicut actu. Duo namque sic actu, nunquam sicut unum actu: sed si potestate duo fuerint, erunt unum, ut quædupla ex duobus dimidijs potestate.* Supra quæ S. Thomas ibi: *Sed duo, quæ sunt in potentia, sunt unum actu, sicut patet in partibus continui.* Ecce si partes substantiæ complete forent actu distinctæ, forent plura entia in actu, ex quibus non resultaret unum per se juxta D. Thomam, & Philosophum: ergo cum substantia completa sub quantitate sit unum per se, ejus partes non sunt actu distinctæ, sed in potentia.

Confirmatur ex D. Thoma 3. p. q. 76. art. 3. in corpore ubi ait: *Manifestum est autem, quod natura substantiæ tota est sub qualibet parte dimensionum, sub quibus con-*

Continetur, sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, & sub qualibet parte panis est tota natura panis. Eandem doctrinam habet N. B. Egidius de Sacramento Altaris, ut probet quod Christus totus est in tota hostia, & totus sub qualibet parte; nam ibi est Christus modo quo ante consecrationem erat panis substantia: sed substantia panis erat tota in hostia, & tota sub qualibet parte: ergo & post consecrationem sic est ibi Christus: Quæ doctrina satis ostendit quod substantia corporea panis non erat tota in tota hostia, & pars in parte, sed tota etiam sub qualibet parte; quare non est multiplex actu, sed una actu cum distinctione partium in potentia.

22. A ratione probatur. Distinctio partium substantiæ provenit à quantitate juxta D. Thomam num. 15. & 16. allegatum: ergo substantia ex se est indivisibilis cum actuali identitate, & solum est in potentia multiplex ratione quantitatis adjunctæ, qua afficiente, potest dividi. Confirmatur. Distinctio actualis partium substantiæ juxta D. Thomam, ibi non potest intelligi, non intellecta distinctione: sed substantia cum quantitate non est actu divisa, sed in potentia ad divisionem: ergo etiam quantitate affecta, non habet partes

actu distinctas, sed distinctas in potentia. Confirmatur secundo. Tota ratio pluralitatis, & distinctionis actualis partium est divisio actualis, ut patet in plantis, & animabus imperfectorum, quæ ante actualem divisionem non sunt plures animæ sed unica, & eadem: sed substantia cum quantitate non est actu divisa, sed in potentia ad divisionem: ergo non habet partes actu distinctas, sed in potentia differentes.

Confirmatur tertio. Juxta Arist. 1. Physicorum textu 15. substantia non habet infinitatem, etiam dum est sub quantitate: sed si haberet partes actu distinctas, actu haberet infinitatem: ergo juxta Philosophum non habet partes actu distinctas. Minor patet, quia ideo quantitas actu habet infinitatem, quia habet partes infinitas actu distinctas. Quarto. Ideo ponerentur in substantia partes distinctæ, quia id esset necessarium, ut reciperet quantitatem habentem partes actu distinctas: sed ad hoc non est necessarium: ergo idem. Minor probatur. Primo, quia ad recipiendam formam non debet præcedere in subiecto effectus formalis formæ, sed potius ejus carètia: ergo nec ad recipiendam quantitatem habentem partes infinitas, oportet ponere in substantia partes infini-

infinitas. Secundò, quia ut substantia recipiat qualitatem habentem gradus, non est necessarium, quòd substantia habeat partes. Ergo ut recipiat quantitatem habentem partes, non est necessarium quòd substantia habeat partes.

23. Secundò probatur à ratione hæc sententia. Si substantia sub quantitate haberet partes actu distinctas, ablata quantitate, manerēt partes actu distinctæ. Patet hoc. Quia distinctio partium substantiæ esset intra genus substantiæ, & sic maneret, manente substantia, ut maneret ablata quantitate. Nunc sic. Vel illæ partes manerent unitæ, vel divisæ. Non divisæ, quia hoc implicat non minus quàm partes continui esse divisas. Ergo manerent unitæ. Nunc sic. Vel uniuntur medio aliquo divisibili, vel medio indivisibili. Non primum, quia medium divisibile egeret alio medio, ut uniretur. Ergo uniuntur medio puncto indivisibili. Nunc sic. Sed partes, quæ uniuntur medio puncto indivisibili, sunt partes extensæ: ergo substantia ablata quantitate, maneret extensa. Hoc negatur à Thomistis, ut vidimus: ergo tenentur negare, quòd substantia sub actuali quantitate habeat partes distinctas. Omittimus argumenta pro eadem sententia, quoniam pro omnibus

patebit solutio, dum expendamus fundamenta aliarum sententiarum.

24. Hæc sententia non videtur consona veritati, nec dictis P. August. D. Thomæ, & B. Ægidij: quare à nobis impugnanda est ex allegatis q. 4. præcedenti toto §. 1. sed præcipuè ex verbis illis M. P. Aug. lib. 5. de Trin. cap. 10. dicentis: *In rebus, quæ participatione magnitudinis magnæ sunt &c.* Vbi S. P. docet duas esse magnitudines & extensiones; unam per essentiam, quæ est in quantitate, quæ per essentiam est ipsa magnitudo: alteram per participationem, quæ convenit rebus quantis, derivatam à quantitate afficiente substantiam. Ex quo sic. Dum substantia est sub quantitate, datur duplex extensio partium; una per essentiam, & hæc est partium quantitatis; altera per participationem, & hæc est partium substantiæ: sed si partes substantiæ quantæ non essent actu distinctæ, non essent actu extensæ per participationem quantitatis: ergo si juxta Augustinum sunt actu extensæ, sicut etiam actu distinctæ. Minor patet, quia extensio supra actualem distinctionem addit unionem partium secundum extremitates, ut dictum est num. 7.

Idem ostenditur benè à Thomistis, ex D. Thoma 1. 2. q. 17. art. 4. dicente: *Totum in* gene-

genere substantia compositum ex suis partibus vel integralibus, vel essentialibus, est unum simpliciter. Et lib. 5. Metaphysicæ lect. 5. dicit, *sola quantitas habet divisionem in partes proprias, post substantiam.* En D. Thomas in hac secunda auctoritate substantiam cum sola quantitate conjungit quoad dividi in partes proprias: ergo quia substantia habet proprias partes, sicut quantitas. At quantitas habet partes actu distinctas ante divisionem actualem, ut patet: ergo & substantia. En etiam in prima auctoritate expressè docet S. Doctor substantiam habere partes integrales, eas esse tales in genere substantiæ, & ex eis fieri totum integrale, quod est unum simpliciter: sed totum constat ex partibus unitis; nec uniri possunt, nisi quæ actu sunt distincta: ergo substantia quanta habet partes actu distinctas, diversas à partibus quantitatis.

25. De mente N. B. Ægidij nedum habemus impugnationes hujus sententiæ, sed quod aliquos fortassis latebit, videlicet hunc modum opinandi Complutensium antiquissimum fuisse, impugnatumque à Commentatore in de substantia orbis. Cum quo N. B. Ægidius à Villanova allegatus dicit: *Opinantes autem solam quantitatem habere partes, & esse extensam, materiam autem non habere partes, & non*

esse extensam, credunt individua non differre substantialiter, sed accidentaliter tantum. Atqui PP. Complutenses opinantur solam quantitatem actu extensam, materiã autem, cum substantia sit, non habere partes actuales, sed esse indivisibilem, & in extensam: ergo credunt individua substantialia differre solum accidentaliter. Non credunt certè, quia de individuatione tenet oppositum. Ceterum vi consequentiæ tenentur id credere, aut putare.

Consequentia probatur. Distinctio numerica & individuationis, sumitur à materia secundum diversas portiones; cum unica & indivisibilis materia non possit nisi unicam numero formam recipere: ergo ut formæ numero diversæ consistant cum materia diversa individua, debent dari diversæ portiones materiæ. Ob id dicitur, quòd multiplicatio numerica sumitur à materia quantitate sygillata, quæ est principium individuationis, & numerica multiplicationis. Sed juxta Complutenses materia nullas in genere substantiæ habet partes distinctas, sed tota partium materiæ diversitas est à quantitate; & sic per accidens: ergo individua, quæ ab illis partibus materiæ sumunt suam distinctionem, non different substantialiter, sed accidentaliter.

26. Secundò impugnatur eadem sententia à nostro B. Ægidio ibidem sic. Si substantia materialis non esset extensa nec haberet partes distinctas actu, tunc tota substantia esset sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte quantitatis: at hoc implicat tum de substantia materiæ, tum de substantia formæ materialis: ergo implicat hæc sententia. Major docetur à Complutensibus, minor dupliciter probatur à nostro B. Ægidio de forma sic. Si forma materialis esset tota sub qualibet parte quantitatis, divisiva quantitate, non divideretur forma materialis: sed hoc esse falsum constat in arboribus, & animalibus imperfectis, ad quorum divisionem dividuntur animæ, ut num. 20. ostensum est: ergo &c. Major probatur verbis N. B. Ægidij ubi suprâ dicentis: *Quia anima intellectiva non extenditur extensione corporis, dividitur corpore, non dividitur anima, quasi diceret, quia anima rationalis est tota sub qualibet parte corporis, divisio corpore, non dividitur anima: ergo pariter, si forma materialis esset tota sub qualibet &c.*

De materia sic. Si materia esset tota sub qualibet parte quantitatis, materia esset formalior sua forma: sed

hoc implicat, ut constat: ergo & id ex quo sequitur. Major probatur. Ens eò est formalius, quo est minus divisibile; idè enim anima intellectiva excedit corpus, & est formalior corpore; quia est indivisibilis, cum corpus divisibile sit: sed si materia esset tota sub qualibet parte quantitatis, tunc foret indivisibilis, ut in exemplo animæ rationalis ostensum est; & forma materialis foret divisibilis ut patet in lapidibus, lignis, & alijs, quorum formæ divisibiles sunt: ergo materia foret formalior sua forma. Verba N. B. Ægidij sunt hæc ubi suprâ postquam opinionem antiquorum à Complutensibus exantiquatam retulerat: *Sed hæc cavillatio frivolâ est. Nam anima intellectiva superexcedit corpus, & est formalior corpore. Si ergo possumus hoc dicere de materia (nempe quòd tota sit sub qualibet parte quantitatis) esset materia formalior sua forma.*

27. Dices cum Complutensibus, rationem istam nõ urgere ob clarum discrimen, quod tale est. Nempe anima rationalis nec habet partes actu distinctas, nec partes distinctas in potentia; materia autem & formæ materiales, habent partes in potentia distinctas, licèt actu identificatas. Quo fit ut

ut divisa quantitate, dividatur materia; secus anima rationalis, corpore diviso.

Contra hanc solutionem & distinctionem potentialem cum identitate actuali, invenitur Mag. Bayona hic, dicens hanc solutionem à Complutensibus esse excogitatum ad evadenda argumenta, nullaque muniti autoritate, aut ratione: Ceterum fallitur, quia ut patet ex allegatis num. 20. & 21. unitas & identitas actualis cum pluralitate, & distinctione potentiali, traditur à Philosopho 7. Metaphysicæ tex. 49. & approbatur ibi à D. Thoma; nec non lib. 2. de Anima, tex. 20. ubi etiam N. B. Ægidius. Et 7. Metaphysicæ lect 16. Nec sola autoritate Philosophi, & utriusque Beati Doct. munitur, sed etiam oculari experientia de divisione plantarum, & animalium imperfectorum, quorum anima est una actu, sed plures, & distinctæ in potentia.

Impugnatur tamen ex dicendis §. sequenti pro nostra sententia. Nam dum negatis substantiam materialem quantam habere partes actu distinctas, vel negatis distinctionem integram, vel distinctionem totalem. Si hoc secundum? Descenditis nostram sententiã de qua infra. Si primum? Hoc est contra P. August. D. Tho-

mas, & B. Ægidium. Probatur quòd sit etiam contra veritatem. Nam substantia quantata est totum, constans ex partibus integralibus: atqui est totum integrale actuale: ergo partes, ex quibus constat, sunt actu distinctæ distinctione integrali. Vide §. seq.

§. IV.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

21. **N**OSTRA sententia negat substantiam habere partes antecederet ad quantitatem;

tenet tamen quòd semel affecta quantitate, habet partes distinctas. Hæc distinctio partium substantiæ quantæ est actualis in partes integrales, sed est solum potentialis in partes totales, idest in partes habentes denominationem, & essentiam totius. Quoad primum, & secundum nostra sententia communis est: quoad ultimum videtur specialis, sed talis non est, quia est mera explicatio communis sententiæ, qua fortassis adhibita, conciliantur melius, que alioquin videbantur opposita.

Vide in lineam medullam sententiæ nostræ. Nullum dubium, quin linea habeat

partes actu distinctas. Nam quodcumque cōtinuum diffinitur, *Cujus partes copulantur termino communi.* Atqui partes actu unitæ, & copulatæ, sunt actu distinctæ; alioquin non unitæ, sed identificatæ forent actu: ergo linea constat ex partibus, actu distinctis. Istæ partes actu distinctæ, non sunt lineæ actuales, & diversæ, sed sunt partes integrales ejusdē lineæ; alioquin non una linea foret, sed multiplex, sicut partes multæ sunt. Ceterum, quia partes illæ possunt separari, & per separationem partium tot sunt lineæ, quot partes invicem separantur: ideo linea est una actu, sed plures in potentia. Hinc dicimus, quod distinctio partium lineæ ante divisionem est actualis, & potentialis: actualis in partes integrales ejusdē totius; potentialis in partes, quæ si actu separantur, sunt quædam tota distincta, & plura, quæ ante divisionem solū erant in potentia.

Quod de quantitate extensa dicitur per essentiam, hoc dicendum est de substantia extensa per participationem. Sume tibi materiam quantam. Hæc habet partes actu distinctas, & distinctas in potentia. Sequitur distinctio naturam partium: atqui partes materię quantæ ante divisio-

nem non sunt plures materiæ, sed unica, quæ per divisionem potest fieri multiplex materia: ergo ante divisionem partes illæ sunt una actu materia, & distincta in potentia. Ceterum quia ante divisionem, partes illæ sunt actualiter partes, componentes totum integrale; ideo ante divisionem per solam quantitatem habet materia partes actu distinctas distinctione integrali.

29. Hanc doctrinam satis insinuat N. B. Ægidius Theorem. 9. de Sacramento altaris, ubi distinguit in substantia corporea duplicem totalitatem, unam quantitativam, alteram essentialem. Totalitas quantitativa est, quæ tota substantia est sub tota quantitate, & pars in partes quare hoc modo substantia extenditur extensione quantitatis, & ea divisa, dividitur. Totalitas essentialis, vel definitiva est, quæ tota essentia substantię est sub tota quantitate, & tota sub qualibet parte quantitatis: quare divisa quantitate, non dividitur essentia substantię, sed indivisibilis tota reservatur sub qualibet parte. Complacentes pro suo asserto unice agnoverunt hanc totalitatem essentialem; ideoque docuerunt substantiam indivisibile esse

esse, & totam sub qualibet parte. Qui verò eos impugnant, non plenè advertunt nisi solam totalitatem quantitativam; ideoque purè adstruunt partem substantię sub parte quantitatis. Veritas ergo debet in utraque totalitate considerari, & in ea fundatur doctrina à nobis data.

Partes ergo materiæ quantæ, sunt actu distinctæ ante divisionem, ut dicit communior sententia. Anne sunt plures materiæ ante divisionem? Neutiquam: quia ante divisionem partes illæ sunt actu partes totalitatis quantitativæ, & sic sunt partes integræ ejusdē materiæ. Non tamen sunt partes totalitatis essentialis, quia hæc totalitas non habet partes, quoniam est indivisibilis, & reservatur tota sub qualibet parte quantitatis. En essentia materiæ quantæ, quæ unica actu, & indivisibilis est, est multiplex, & distincta in potentia, quia per actualem divisionem sūt plures materiæ, quæ non erant plures, nec distinctæ antea, nisi in potentia.

Ex hac doctrina, quæ est etiam D. Thomæ 3. p. q. 76. art. 3. probatur ab utroque Doctore, quod divisa hostia, non dividitur corpus Christi: Nam corpus in hostia non est

nisi secundum totalitatem essentialem substantię panis destructi: atqui si panis ibi adesset, & divideretur, non divideretur essentia panis in duas partes essentialis, sed qualibet pars divisa haberet totalem essentiam panis, quæ est indivisibilis ubicūque est: ergo divisa hostia non dividitur Christus in duas partes, sed integer, & indivisibiliter adest sub utraque parte hostię divisæ. Si tamen Christus esset in hostia secundum totalitatem quantitativam panis destructi, fieret, ut ad divisionem hostię divideretur Christus, & qui sumeret dimidiam hostiam, sumeret dimidium corpus Christi; quia ratione totalitatis quantitativæ dividitur substantia per divisionem quantitatis. Hæc sufficiat attingisse, ut mentē utriusque Doctōris insinuemus pro nostra sententia. Pro qua facilius capienda terminis, num. precedente datis, utemur in seqq.

30. Dicimus primo, quod substantia ante quantitatem non habet partes extensas. Sic Thomistæ omnes, & Ægidiani contra DD. primæ sententiæ, & Nominales. Probat ex M. P. Augustino, D. Thoma, & Beato Ægidio ex dictis num. 8. 9. & 10. ubi adsunt etiam rationes

probativæ, quas superfluum foret hic repetere.

Dicimus secundò, quòd substantia ante quantitatem non habet partes actu distinctas, est tamen in potentia ad habendas partes distinctas sub quantitate. Ita antiqui Thomistæ, & RR. aliqui, quibus ex nostris adhærent quàm plures in manuscriptis: & videtur expressa in Doct. nostro locis datis à num. 15. usque ad 18. ubi probata est ex P. Augustino, D. Thoma, B. Ægidio, & à ratione. Sufficiant ibi dicta. Quoad secundam partem non eget probatione, sed explicatione. Nam si ante quantitatem non habet partes, & cum quantitate habet partes distinctas: ergo cum ante quantitatem substantia sit in potentia ad quantitatem, erit in potentia ad habendas partes distinctas per quantitatem. Rursus: substantiam habere partes actu distinctas, est effectus formalis quantitatis, ut dicemus: sed ante quantitatem non est in substantia effectus formalis quantitatis, sed potentia ad illum: ergo ante quantitatem non habet partes actu, sed in potentia.

Dicimus tertio, quòd substantia sub actuali quantitate habet partes actu distinctas. Hæc assertio est communis contra tertiam sententiam, Et

fatis probata est ex P. Augustino, & utroque B. Doctor, necnon à ratione à numero 24. usque ad 27. Vide ibi dicta.

31. Dicimus quarto, quòd hæc distinctio actualis partium substantiæ quantæ, est in partes integrales; ceterum est distinctio potentialis in partes totales, vel habentes denominationem, & essentiam totius. Hæc assertio quoad primam partem est explicatio tertiæ assertionis. Probatur: Partes animalis imperfecti non sunt plura animalia, sed plures partes integrantes ejusdem unius animalis. Rursus: Partes materiæ quantæ non sunt plures materiæ, sed plures partes ejusdem numeri materiæ. Item: Partes unice hostiæ ante consecrationem non sunt plures panes, sed plures partes integrantes unius unius panis. In quantitate etiam partes ejusdem lineæ actu distinctæ, & unice puncto indivisibili continuativo, non sunt plures linee, sed sunt plures partes integrantes lineam unicam, & eandem: ergo tam in quantitate, quàm in rebus quantis, verissimum est, quòd distinctio actualis partium non est in partes, forrientes actu denominationem totius, sed in partes integrantes totum illud unicum, cujus sunt partes.

Præ-

Præter exempla adsunt rationes. Sit prima in quantitate. Nam ex opposito sequeretur, quòd nec metaphysicè posset designari linea, quæ esset unica numero: at hoc est privare quantitatem numerica unitate, cum quantitas sit ratio, vel connotatum dans rebus quantis unitatem numericam: ergo tenenda est doctrina à nobis data. Probatur major. Nulla metaphysicè est designabilis linea, quæ non constet ex partibus actu distinctis, in quas est divisibilis; idque constat ex natura quantitatis, semper divisibilis: ergo si partes illæ in quacumque linea designata, sunt actuales lineæ, & non merè partes integrantes ejusdem lineæ; nulla, adhuc metaphysicè est designabilis linea, quæ sit una numero, sed multiplex.

Secundò probatur in plantis. Si partes arboris, actu distinctæ, forent vegetabilia & viventia distincta; nullam designares arborem, quæ esset unica; quia nulla est designabilis, quæ non sit pluries divisibilis; & per te partes in quas est divisibilis, sunt partes totales, vegetabiles, & viventes. At hoc est contra rationem: ergo teneris dicere partes actu distinctas in arbore, esse partes integrantes e-

jusdem arboris, ejusdem viventis, & unici vegetabilis. Idem ostende in lacerta, quæ sanè unicum numero est animal, & tamen si partes ejus ante divisionem forent partes totales, ut sunt post divisionem, lacerta non esset unicum animal, sed multiplex, qualiter est post divisionem.

32. Hinc sequitur secunda pars quarti asserti, videlicet quòd in substantia quæra, est sola distinctio potentialis partium habentium denominationem, & essentiam totius. Nam planta unicam habens animam, adhibita divisione, fiunt plures animæ actu distinctæ. Animal item imperfectum, unicam habens animam, si dividatur, fiunt plures animæ, & plura animalia: ergo quia substantia ante divisionem habet identitatem actualem cum distinctione, & pluralitate in potentia. In hoc sensu loquuntur Arist. D. Thomas, & B. Ægidius allegati num. 20. & 21. Et in hoc sensu vera est doctrina Complutensium: ceterum non est specialis pro substantia, sed communis quantitati. Nam linea, quæ est actu una ante divisionem, est in potentia ut sit multiplex per divisionem. Solum est discrimen, quòd multiplicitas, utrobique orta ex divisione, convenit quanti-

ti-

titati essentialiter, & substantiæ ratione quantitatis, quia quantitas per se est divisibilis, fecus substantia.

Quæres: quomodo per solam divisionem lacertæ anima, quæ erat unica, fit duplex? Quomodo enim sine actione productiva, immò cum actione destructiva, qualis est divisio, ponitur actu in rerum natura anima, quæ solùm erat in potentia ante divisionem? Latebat ne illa duplex anima in corpore lacertæ nõ diviso? Ut respondeam pro nunc tibi, & exemplo ostendam, si non genuinam, aliqualem dubij solutionem, dic mihi, an lateat in filice frigidò ignis ille, qui percussione, & collisione extrahitur? Certè percussio, aut collisio, non sunt actiones agentis continentis ignem, denuò apparentem. Rursus cum speculum unicum unicum reddat speciẽ objecti præsentis, & fracto speculo, tot reddantur species objecti, quot partes sunt speculi fracti, quis causat tot species multiplicatas? Anne actio frangens speculum, quæ potius est destructiva speculi, & ejus virtutis representativæ? Rursus cum hostia consecrata unicum habeat præsentiam sacramentalem corporis Christi; & divisa hostia, tot multiplicentur præsentia

sacramentales, quot partes divisæ, quis causat novas illas præsentias? Anne fortè sacrilegus paganus, qui, Deo permittente, hostiam irreverenter scindit?

Hæc omnia unica solutione solvuntur dicendo, actionem divisivam non esse noviter productivam horum effectuum, sed actio, quæ primò produxit effectum divisibilem, posita divisione, ut conotato, vel conditione multiplicat effectus secutos ad divisionem. Sic natura producens cristallum cum virtute reddendi speciem objecti unicam sub unica superficie; quia virtutem istam dedit cristallo ligatam superficiæ divisibili, posita divisione, superficies, quæ erat una, fit plures, & sic multiplicantur species visibiles objecti. Non ergo actio divisiva speculi illas multiplicat, aut denuò causat, sed actio naturæ, quæ dedit virtutem speculo divisibilem, unicum actu, multiplicem in potentia, alligatam quantitati, unicum actu, sed multiplici in potentia. Sic actio consecrativa unicum hostiæ produxit ubicationem unicum sacramentalem Christi, ceterum, quia illam causat alligatam quantitati panis divisibili, quæ est unica actu, & plures in potentia, sicut posita divisione mul-

multiplicantur quantitates, sic etiam præsentia.

§. V.

Solvuntur argumenta.

33. ARGUMENTA contra nostram sententiam sunt fundamenta, quibus aliæ sententiæ probatæ sunt, quare illa oportet expendere, eisque ex nostris principiis satisfacere. Ad 1. fundamentum positum num. 2. respondemus negando majorem, non enim est idem partes esse distinctas, ac esse extensas, ut num. 7. probatum est: quòd si Starius, & alij DD. hoc sensu loquantur, non erunt pro prima sententiâ, sed pro secunda. Nec juvat quòd numerica distinctio dicatur extensio naturæ, ut etiam distinctio partium substantiæ sit extensio. Nam quæ numero distinguuntur, unum est extra aliud, nec semel distincta possunt penetrari, quoniam eorum quantitates totales obstant. At partes substantiæ si ante quantitatem forent distinctæ, essent penetratæ, & una intra aliam, quare vi distinctionis non essent extensæ, nisi extensio aliunde proveniat. Et licet partes illæ distinctæ deberent ef-

se unitæ, ut benè probatur ab arguente: at essent unitæ secundum se totas, & non secundum extremitates, quòd requiritur ad extensionem, sed ab his DD. non probatur.

Respondemus secundo ad idem fundamentum admiffa maj. nego min. Ad 1. probationem positam num. 3; concessa maj. neg. min. ad ejus probationem disting. antecedens: quæcumque res per se ipsam est una, unitate formali, concedo antecedens: unitate materiali, & numerica, nego antecedens, & consequentiam. Substantia pedis in ratione entis, & substantiæ corporeæ non differt à substantia capitis; alioquin differret per id, in quo convenit, & hoc est implicatorium. Nec differt formaliter, quia distinctio formalis venit à distinctis formis; utraque tamen substantia pedis, & capitis eadẽ anima informatur. Restat ergo quòd differat pes à capite materialiter, & numericè. At omnis unitas, & distinctio numerica, non provenit à sola materia, sed etiam à quantitate sigillante materiam, ut dictum est, & infra explicabitur: ergo distinctio pedis à capite, non à sola substantia, sed & à quantitate provenit. Rursus ab eo provenit quòd sint distinctæ, à quo venit quòd sint

sint partes: sed sola quantitas facit substantiam habere partes; cum ex se sit indivisibilis substantia, ut probatum est: ergo non à substantia, sed à quantitate venit distinctio pedis à capite.

34. Ad 2. probationem, concessa maj. nego min. nego quòd pars substantiæ per suam entitatem habeat quòd non sit alia. Primò, quia pars substantiæ non habet à se quòd sit pars, sed à quantitate: ergo nec à se habet quòd sit pars distincta. Secundò, quia pars substantiæ ex se solùm habet quòd sit substantia: at in ratione substantiæ non differt ab alia: ergo per suam entitatem non differt. Habet pars illa quòd sit substantia, & quòd sit hæc: at hæcetas ista venit à quantitate sigillante, & dante unitatem numericam, & distinctionem numericam ab alia comparte.

Ad 3. probationem, nego sequelam processus in infinitum. Nam licet partes substantiæ differant per partes quantitatis; at partes quantitatis non differunt per entitatem superadditam, sed ratione sui. Quia cum distinctio ista materialis oriatur ex divisibilitate, & quantitas per se, & essentialiter sit divisibilis: idè per se, & essentialiter habet partes distinctas; unde non est necesse

ulteriùs progredi. Sic licet substantia per vos non sit localiter extensa, nisi per quantitatem superadditam, non datur processus in infinitum, quia quantitas per se ipsam habet fundare extensionem localem sine indigentia entitatis distinctæ.

Ad 4. probationem respondeo primò, negandò maj. quia partes substantiæ differunt à partibus quantitatis per differentiam totalem, qua tota substantia differt à tota quantitate. Hæc differentia est *perfectas* substantiæ, & *inælietas* accidentis: at qui per perfectatè nequit substantia pedis differre à substantia capitis, ut constat, quia conveniunt in perfectatè: ergo substantia pedis non differt à capite per differentiam qua differt à quantitate pedis. Respondeo secundò admissa majori, sed per quantitatem non differt à quantitate pedis, nec per modum quantitativum relictum ex quantitate, nego minor. per quantitatem præcisè, concedo min. & nego conseq.

35. Quantitas afficiens substantiam dat ei extensionem partium; hæc extensio non est ipsa quantitas, sed participatio quantitatis; nam cum partes substantiæ differant à partibus quantitatis, extensio partium substantiæ differt ab extensio-

ne

ne partium quantitatis. Illa extensio partium substantiæ dicitur à nostro B. Ægidio, & D. Thoma modus quantitativus, qui est effectus quantitatis, & differt realiter à quantitate, à substantia autem differt modaliter. Vi hujus modi quantitativi una pars substantiæ differt ab alia parte substantiæ, & differt etiam à quacunque parte quantitatis: quare per unicam differentiam differt pes tum à capite, tum à quantitate pedis.

Hinc solvitur quinta probatio min. Nam distinctio partium substantiæ est substantialis pro materiali, sed est accidentalis pro formali. Duo dicis in hoc complexo *partes substantiæ*, scilicet substantiam & partes ejus; primum est substantiale, quia substantia per se habet, quòd sit substantia. Secundum est accidentale; quia eum substantia ratione sui sit indivisibilis, solùm potest habere partes ratione quantitatis superadditæ, & sic per accidens. Nec obest quòd distinctio illa dicatur substantialis: nam est prædicatio denominativa, in qua res unius prædicamenti prædicatur de alia, ut lib. præcedenti dictum est. Sic dicitur extensio substantiæ extensio substantialis, cum tamen intra genus substantiæ nõ detur extensio, sed sit de præ-

dicamento quantitatis, distinctæ à substantia.

36. Ad secundum fundamentum primæ sententiæ positum num. 4. respondemus, & primò potest negari antecedens, scilicet quòd priùs natura creatur materia, quam habeat quantitatem. Nam nec materia creata est ante formam substantialem, sed concreta est cum forma, nec ante quantitatem. Hinc dicitur quantitas coæva materiæ, ut docet P. August. lib. de Beata vita, disp. 1. de quo in fine hujus questionis. Ceterum admissò primo enthimemate, nego minorem subsumptam, nego autem quòd materia habens ante quantitatem totam entitatem suam, habeat etiam partes actu distinctas. Nam cum tota distinctio partium materiæ sit à quantitate, nequit ante illam habere partes actu distinctas, sed solùm in potentia; quatenus est in potentia ad quantitatem datam distinctionem actualem. Ad primam probationem minoris constat ex dictis, quomodo partes dicuntur substantiales pro materiali, & denominativè, de denominatione sumpta à quantitate accidentali.

Ad secundam probationem minoris concedo, quòd tota quantitas recipitur in tota materia, & pars in parte: i

DDDD

cc-

ceterum ad hoc non est necessarium quòd signatè, & ante quantitatem materia habeat partes; sed quòd exercitè, & per ipsam quantitatem materia extèdatur modo quãtitativo. Sic in sententia nostra, & Thomistarum, existentia recipitur in essentia creaturæ; non in essentia existente signatè, & ante existentiam, quia hoc est impossibile; sed in essentia exercitè existente per ipsam existentiam, quam recipit.

Ad tertiam probationem minoris, nego maj. quam non suadet probatio ex Angelis. Licèt enim Angelus sit impotens recipere quantitatem molis, secus substantia corporea. Discrimen est, quòd substantia talis ante quantitatem est indivisibilis actu, sed habet partes in potentia, vel ut alij dicunt, habet partes radicaliter, quia radicaliter quantitatem habentè partes. Angelus autem nec actualiter, nec radicaliter, aut in potentia, est divisibilis, aut habens partes. Sic substantia corporea sine colore est invisibilis, at non est æquè invisibilis ac Angelus, quia hic nec actu, nec in potentia est visibilis, cum sit incapax accidentis corporei. Substantia autem corporea sine coloribus est actu invisibilis, sed exactivè, & in potentia visibilis, quia e-

xigit colores, quo redditur actu visibilis.

37. Ad tertium fundamentum ejusdem sententiæ positum num. 5. respondemus admittendo, quòd Deus possit conservare substantiam corpoream sine quantitate, de quo dubius est N. B. Ægidius in 2. Sent. distin. 3. par. 1. q. 2. art. 1. dub. 1. Dubitarunt etiã alij DD. antiqui, nec non moderni, ut ex N. Argentinas, & Lusitanus, & Thomistis Soncinas 5. Metaphysicæ, q. 22. Nec levi ducebantur fundamento. Quia duæ substantiæ totales, v.g. duo lapides, nequeunt conservari sine sua distinctione numerica, & sua unitate individuali: at unitas individualis, & distinctio numerica, sumitur à quantitate afficiente materiam, ut cum Thomistis, & communiori sententia dicemus infrà: ergo nequit conservari substantia corporea sine quantitate. Nihilominus Doct. noster Theorem. 33. de Sacramento altaris concedit hoc esse possibile ob duplicem rationem. 1. *Quia Deus plus potest facere, quàm intellectus noster intelligere.* 2. *Quia potest facere accidens esse sine subiecto.* Quæ rationes prima est à priori, & secunda à paritate.

Juxta hanc doctrinam admittimus majorem tertij fundamenti, & dist. min. Sed in isto

isto casu haberet substantia partes realiter distinctas, & extensas, sic conservaret substantiam cum modo relicto ex quantitate, concedo minor. si conservaret sine isto modo, nego min. & consequentiam. Noster Doct. ubi suprà docet, quòd destructa quantitate, conservaret Deus in substantia modum quantitativum, quo partes ejus manerent distinctæ, & extensæ, ut antea. Nec hoc negari potest ab arguentibus, qui contendunt tunc manere substantiam extensam, ut antea: sed antea sub quantitate erat extensa substantia per modum illum: ergo destructa quantitate, maneret modus ille. Rursus: modus ille non est aliud, quàm extensio passiva substantiæ: sed vultis substantiam manere passivè extensam: ergo tenemini concedere manere cum modo quantitativo. Si sic? Ergo jam non ratione sui habet partes, sed ratione illius modi.

Hinc cessat probatio minoris. Ceterum si velis contendere, quòd Deus non solum potest destruere quantitatem, sed etiam modum relicto ex quantitate; eo maxime, quia modus ille est effectus formalis quantitatis, & sine forma nequit conservari ejus effectus formalis. Si hoc contendas, no-

lo litigare. Concedo tunc conservandam substantiam sine isto modo: at tunc nec maneret extensa, nec haberet partes distinctas; sed ex partibus antea distinctis fieret unica indivisibilis entitas, una actu, sed multiplex in potentia. Nec hoc esset transubstantiatio, vel conversio in aliam substantiam distinctam, sed conservatio ejusdem sub identitate actuali. Sic licèt ante quantitatem materia actu una, non mutatur substantialiter, dum per quantitatem, & divisionem fit multiplex, sed mutatur accidentaliter; ita dum ex habente partes distinctas per quantitatem, fit indivisibilis per ablationem quantitatis, solum mutatur accidentaliter: quare non convertitur in aliam substantiam, sed in alium modum essendi accidentalem.

Ad confirmationem ejusdem fundamenti respondemus dupliciter. Primò quòd in casu dato partes substantiæ manerēt extensæ, & unitæ per illum modum quantitativum, cum quo conservaretur substantia. Secundò respondemus admittendo destructionem illius modi, quòd substantia non maneret cum partibus unitis, nec cum partibus non unitis; quia unio, vel divisio partium supponit earum distinctionem: sed sine modo,

quantitativo substantia non haberet partes distinctas : ergo nec unitas, nec separatas.

38 Nec magis urgent casus positi num. 6. Ad primū dicimus, quod diviso ligno, illæ partes actu divisæ, sunt actu distinctæ distinctione totali vi quantitatis. Vis, quod post divisionem Deus ab illis partibus tollat quantitatem? Sit, ut vis. **Quæris** an partes illæ maneant distinctæ, ut antea? Respondet deo manere: & quod distinctio oritur à modo quantitativo, relicto in substantiis ex quantitate destructa. Contendit modum illum etiam destrui, & substantias conservari? Sit, ut desideras. **Quæris**, an tunc manerent distinctæ? Respondet deo tunc manere substantias illas distinctas in potentia, & actu identificatas, qualiter forent si producerentur sine quantitate, & qualiter probatum est §. 4. Alij dicunt manere actu distinctas distinctione sumpta ab ordine, quem dicerent ad diversas quantitates destructas. Et licet nos simus negaturi lib. 1. Philosophiæ materiam cœlestem, & sublunarem distingui specificè per ordines ad diversas formas: potest tamen hæc solutio sustineri; quia ibi sermo est de materia secundum se ante formam; & de hac certum est, quod materia una non ma-

gis petit formam cœlestem, quàm sublunarem. At in casu nostræ quæstionis, quælibet substantia habuit determinatè suam quantitatè, qua destructa jam habet una substantia determinationem cur potius perdat hanc quantitatem suam, quàm aliam, quia cum hac, & non cum alia connaturaliter unita fuit; & non altera privata est.

Alter casus ibidem positus pro confirmatione est argumentum, ut ajant, Tribunitium, hoc est populare, quò forsam imperiti abhorreere possunt sententiam nostram, quasi promittat possibilem totius oceani haustum. Dicimus primò, quod ablata quantitate oceani, manerent aquæ cum modo quantitativo, & sic extensæ, ut sunt. Dicimus secundò, quod ablato isto modo, manerent aquæ indivisibiles; non negativè, ut punctum, quod nec in potentia est divisibile; sed privativè, quia forent capaces extensionis, qua privarentur. Nego autem hoc esse impossibile. Ad probationes hujus impossibilitatis respondemus, & ad primum dicimus antecedens esse falsum. Nam aqua illa non moveretur localiter, nec conflueret in punctum, nec maneret in loco, quem nunc occupat; quare nec esset in oriente, nec

in

in occidente, sed nullibi esset. Depone fidem sensuum, & patere duci ratione. Res est in loco per quantitatem, extendentem localiter; ex cujus extensione, & ex adjacentia corporis ad locum resultat ubicatio. At in casu dato, substantia sine quantitate non esset extensa localiter: ergo nec esset hic, nec ibi, nec alicubi, sed nullibi. Esset quidem pars universi, quia non constituitur talis per quantitatem, nec pro hoc pendet à quantitate. At non esset alicubi, quia sine quantitate non est locabilis. De hoc Vberius 4. Physicorum. Hinc vides nullum esse periculum exhauriendi oceanum unico haustu. Quis enim videre, tangere, aut bibere posset aquam, quæ nullibi est?

39. Ad fundamenta secundæ sententiæ respondemus, & ad primum positum num. 11. dicimus auctoritatem illam D. Thomæ probare, quod substantia sub actuali quantitate habet partes distinctas, & extensas, ut num. 24. ostendimus contra tertiam sententiam: quare non probat, quod ante quantitatem, vel independenter ab ea, habeat substantia partes, ut vult Bajona. Nec oppositum ibi suadetur ratione. Non prima, quia licet substantia habeat partes essentielles, & integrales pro-

prias: at non æquè, quia essentielles habet independenter à quantitate, secus integrales. Nec secunda, quia cum partes substantiæ sint tales per participationem ut num. 24. dictum est cum M. P. N. Augustino, istæ non sunt in genere quantitatis; alioquin forent partes per essentiam, ut sunt partes quantitatis: ergo si sunt per participationem, sunt tales in genere substantiæ, & denominativè. Hinc ad 3. dic ex talibus partibus fieri unum simpliciter, quia tales partes non dicunt substantiam, & quantitatem, sed substantiam cum modo quantitativo, qui entitativè est substantia, & realiter differt à quantitate.

Ad secundam auctoritatem D. Thomæ positam num. 12. dicimus, quod verum est dictum D. Thomæ, scilicet, ex vi Sacramenti non esse quantitatem corporis Christi: id docet fides, nam actio consecrativa est *transsubstantiatio*, hoc est conversio substantiæ panis in corpus Christi, sed non est *transaccidentatio*, quia non convertitur quantitas panis in quantitatem Christi. Ceterum ut ibi docet S. Thomas est corpus Christi cum sua quantitate concomitanter, sicut est ibi anima Christi, & ejus Divinitas, licet non vi verborum, quia verba Christi sunt *Hoc est corpus*

meum.

mentum. Et non dixit hæc est anima mea, vel *Hoc est anima mea*. Sic dic de quantitate. Cum ergo licet comitanter sit corpus Christi cum sua quãtitate, quid mirum habeat partes integrãtes? Inde sequitur, quòd substantia cum quantitate habeat partes, & hoc est conclusio nostra: non sequitur, quòd ante quantitatem, vel independenter eas habeat, ut negamus.

Ad tertiam auctoritatem dic nil probari speciale contra nos. Si enim substantia habet divisionem, sicut quantitas, & primò substantia: ergo quantitas habet divisionem participatam à substantia, quod est impossibile, & ab omnibus negatur. Ergo *ly post substantiam* dicit posterioritatem principalitatis, qua substantia est ens nobilius, & primum; non dicit divisibilitatem substantiæ esse primam, & per se, quantitatis verò secundam, & per aliud. Hoc secundum ab omnibus negatur, primum est verum, sed nil inde contra nos.

40. Ad primam rationem Bajonæ positam num 13. nego, quòd distinctio partium substantiæ non proveniat à quantitate. Ad rationem contrariam dic, quòd distinctio partium substantiæ est substantialis denominativè, & pro materiali, non formaliter, ut dictum est num. 35. Sed demus esse sub

stantialem plenè, non evincitur tua probatione, quòd non præsteretur à quantitate. Dices: effectus formalis formæ non distinguitur à forma communicata, & hæc est quantitas, & accidens distinctum ab omni substantiali. Nego cum N. B. Ægidio, quòd effectus formalis non sit realiter distinctus à forma. Hoc tibi ostendam lib. 1. aut 2. Philosophiæ, dum sermo sit de causa formali. Interim hoc assertum quod apud vos est veluti primum principium ex à vobis concessis falsificatur. Vos dicitis, quòd extensio partium substantiæ, est distincta ab extensione partium quantitatis, nec mirum, quia sic est. Nam illa est talis per participationem, hæc autem per essentialitatem: illa inter partes substantiales, hæc inter accidentales: ergo sicut partes substantiæ differunt à partibus quantitatis, sic una extensio ab alia. Atqui extensio partium substantiæ est effectus formalis quantitatis per vos: ergo falsum est in vestris principiis, quòd effectus formalis formæ sit indistinctus à forma communicata.

Ad primam confirmationem ibidem positam concessa maj. dist. min. una pars substantiæ non constituitur per quantitatem, in ratione substantiæ, concedo; in ratione partis, subdistinguo, causaliter, nego

negò min. formaliter, iterum subdistinguo, nec per modum quantitativum, qui est effectus quantitatis, nego min. & constituitur per talem modum, concedo min, & nego consequentiam sub eadem distinctione. Has distinctiones proportionaliter applicabis, ut hic, si aliquando solum in materia solvimus objecta. Dicimus, quòd pars substantialis duo importat, ut dictum est num. 35. & horum ratio substantiæ non constituitur per quantitatem: benè tamen ratio partis, quia independenter à quãtitate nullæ sunt in substantia. Hæc ratio partis constituitur à quantitate causaliter, & à modo quantitativo formaliter, quia quantitas dat partes substantiæ dando illi & causando in substantia, modum quãtativum, & modus hic est, qui non ratione alterius, sed ratione sui dat substantiæ partes extensas, imò est ipsa extensio formaliter partium substantiæ.

Ad secundam, concedo partes substantiæ esse substantialiter idem entitativè; nego tamen ex eis non fieri unum integrale in genere substantiæ: nam ut hoc totum fiat, satis est, quòd constet ex partibus integrantes distinctis: at partes istæ non differunt per entitatem substantiæ, sed per modum quantitativum, ut dictum

est: ergo sufficit, quòd differat modaliter partes illæ, licet non differant substantialiter entitativè. Ad tertiam vide num. 34. in fine ubi jam soluta est.

41. Ad secundam rationem Bajonæ positam num. 14. dist. antecedens, una substantia totalis non differt ab alia per quantitatem, sed per se ipsam ut præhabet quãtitem, non differt specificè, concedo: numericè, nego antecedens, imò & suppositum, quia supponis per *ly præhabet*, quòd antecedenter ad quantitatem datur alia, & alia substantia totalis; hoc est falsum apud nos, qui nec distinctionem inter substantias, nec denominationem totius, aut partis admittimus in substantia ante quantitatem. Equidem distinctio specifica substantiarum, v. g. equi, & lapidis non sumitur à quantitate, quia est distinctio formalis, quæ venit à forma substantiali. Ceterum distinctio numerica, quæ materialis est, & sumitur à variis portionibus materiæ, venit à quantitate dante materiæ divisibilitatem, & distinctionem portionum actualem. Hinc solvitur prima confirmatio, cujus antecedens est falsum. Nam per quantitatis divisionem, sicut quantitates totales distinctæ; & per has fiunt substantiæ totales distinctæ, ut dictum est num.

31. & 32. Quare quantitates totales non supponunt, sed faciunt substantias totales distinctas.

Ad secundam confirmationem dic, quod partes distinctæ substantiæ habentis quantitatem, manerent distinctæ etiam ablata quantitate, quia manerent cum modo quâtitativo distinguente, & extendente, ut dictum est. Dato, quod etiam modum illum Deus destrueret, identificarentur; & si denuò Deus partibus illis restitueret quâtitatē, distinguerentur. Quare fieret ut quæ actu identificantur, distinguantur in potentia, ut docent Complutenses. Nec est cur reputetur novum, vel absurdum, ut quæ semel identificantur, postea per divisionē distinguantur, & à contrario: nam id expressè docetur ab Arist. D. Thomæ, & B. Egidio, & videtur oculariter in plantis, & animalibus imperfectis, ut probatum est ab authoritate num. 20. & 21. & à ratione à num. 30. Si enim tota distinctio partium in substantia provenit à quantitate: ergo ante quantitatem, vel illa ablata, manet identitas actualis, cum potentia ad quâtitatē distinguere. Si tamen in aliquo Complutenses difficulta docent, id solum est ponere sub actuali quantitate substantiam nullas partes habere actu

distinctas, de quo supra dictum est: & iterum in presenti

42. Ad fundamenta tertiæ sententiæ respondemus, & ad 1. positum num. 2. concessio antecedenti neg. consequentiam. Equidem juxta Arist. D. Thomam, & B. Egidium loquentes de distinctio-
ne totali, vel totius à toto, est verum, quod ante divisionem datur identitas actualis cum distinctio-
ne potentiâ, ut à nobis ostensum est num. 32. sed non valet consequentia ad partes integrales substantiæ quantæ. Ratio est, quia in continuo non dantur diversa tota per solam quantitatem extendentem, sed per actualem divisionem: quare in substantia quanta ante divisionem solum datur distinctio, & multiplicitas totalis in potentia. At distinctio actualis partium integralium datur per solam quâtitatem extendentem; quia continuum est cujus partes actu copulantur termino communi; non copulantur actu, nisi quæ actu sunt distincta.

Ad confirmationem ibidem positam admitto doctrinam D. Thomæ, & B. Egidij ut jacet, quia eandem sententiam, Deo favente, explicabimus in libris de Anima circa divisibilitatem formarum materialium. Ad argumentum inde desumptum, dist. major, si par-

partes animæ animalis imperfecti forent actu distinctæ, essent actu plures animæ, si essent actu distinctæ distinctio-
ne integrali partis à parte, nego maj. quia inde solum sequitur esse partes integrales actu ejusdem animæ, quod est verissimum. Si forent actu distinctæ distinctio-
ne totali totius à toto, concedo maj. & concessio min. nego consequentiâ de distinctio-
ne integrali. Solutio est doctrina data in probatione nostræ sententiæ, eam vide, & applica hic.

43. Ad 2. fundamentum positum num. 21. admitimus, ut jacet authoritatem Philosophi, & expositionem D. Thomæ. Ad argumentum inde factum, disting. antecedens. Si partes substantiæ essent actu distinctæ, essent plura entia in actu, si essent distinctæ distinctio-
ne totius à toto, concedo: si distinctio-
ne partis integralis à parte, nego antecedens; & sub eadem distinctio-
ne, nego consequentiâ. Si partes animæ essent distinctæ ut totum à toto, essent plures animæ, & sic plura entia in actu, ex quibus non fit unum per se, sed per accidēs. At quia ante divisionem solum distinguuntur integraliter; idè sicut vi quantitatis non sunt plures animæ, sic nec plura entia in actu, sed sunt

plures partes ejusdem entis in actu, ex quibus benè fit unum per se, quod dicitur totum integrale in genere substantiæ. Adde quod ibi D. Thomas in explicatione Philosophi dicit doctrinam de substantia intelligi, *Vt patet in partibus continui*. Sed partes continui sunt actu distinctæ; quia sunt actu unitæ, non tamen actu distinguuntur distinctio-
ne totius à toto, sed partis à parte: ergo explicatio D. Thomæ confirmat solutionem nostram, & nostrâ conclusionem.

Ad confirmationem ibidem positam ex doctrina D. Thomæ, dicimus S. Doctorem debere intelligi juxta dictam 29. ubi cum ipso, & B. Egidio distinguenda est in substantia duplex totalitas, una quâtitativa, altera diffinitiva, vel essentialis. Hæc secunda non est divisibilis, sed tota est sub qualibet parte substantiæ, quia essentia ejus indivisibilis est. De hac non agimus, quia nemo contendit, quod vi quantitatis essentia substantiæ habeat partes realiter distinctas, quod est impossibile. Agimus de totalitate quâtitativa, & integrali partium distinctarum, qua substantia dicitur totum integrale, non totum essentialiter ex genere, & differentia. De hac totalitate non dicit D. Thomas, quod tota sub-

stantia sit sub qualibet parte dimensionum. Solutio constat ex verbis D. Thomæ ubi dicit, quod *Natura substantiæ tota est &c.* natura apud S. Doct. est idem, ac essentia: unde loquitur de totalitate essentia, non de integrali, & sic nil cōtra nos.

44. Ad rationes pro eadem sententiā respondemus, & ad 1. positam num. 22. cōcessio antecedenti, dist. consequens. Substantia affecta quātitate, nego consequentiam, substantia ante quantitatem, concedo consequentiam. Quod distinctio partium substantiæ sit effectus quantitatis, suadet, quod ante quantitatem non sit distinctio, sed non quod, stante quantitate, non sit; alioquin daretur forma, communicata subjecto, sine suo effectu formali, quod non est possibile. Ad primam confirmationē dic, quod non intellecta divisione, non potest intelligi distinctio actualis totius à toto; quare ante divisionē lacertæ anima est actu una, & solum multiplex in potentia. Ceterum distinctio actualis partis à parte datur ante divisionem, quia hæc non pendet à divisione, sed ab extensione quantitatis. Primum docet D. Thomas, non secundum: quare solum sequitur, quod vi quantitatis ante di-

DE ANTEPRÆDIC.

visionem sit distinctio actualis integralis, quæ in potentia est distinctio totius à toto, & hæc est sententia nostra.

Ad 2. confirmationem respondeo ex dictis, quod divisio actualis est ratio pluralitatis & distinctionis totalis, non autem partium integralium. Quare ante divisionem sunt actu plures partes in continuo, & substantia quantaliter non sint plures substantiæ, vel plura tota. Ad 3. confirmationem dic, Philosophum ibi negare substantiæ & qualitati infinitatem partium per se, quia, ut ibi glossat D. Noster, quantitas habet per se hanc infinitatem, reliqua verò per participationem quantitatis; sicut de extensione dictum est. Hinc nil contra nos, sed in favorem: quia si sub quantitate habet substantia infinitatē partium participatam: ergo habet participatam actualem distinctionem partium.

Ad 4. confirmationem, nego maj. non enim est necessarium quod substantia habeat partes signatè, & antecedenter, ut recipiat quantitatem habentem partes; sed ex vi quod illam recipiat, illas habet exercitè, & per quātitatem, ut num. 36. dictum est. Nec paritas de qualitate tenet. Nam effectus formalis quantitatis est dare partes sub-

stā-

QVÆST. V.

stantiæ, unde ex vi quod substantia recipiat quantitatem, debet habere partes. At effectus qualitatis non est dare gradus substantiæ, sed qualificare illam juxta gradum qualitatis: unde non sequitur habere gradus, ex quo recipiat quantitatem habentem gradus. Vel dic cum N. Villanova hic, quod gradus qualitatis etiam sunt in substantia, quia sunt per ordinem ad subjectum, cū qualitas in abstracto non habeat gradus, sed sit indivisibilis.

45. Ad secundam rationem probativam ejusdem sententiæ, positam num. 23. nego quod, ablata quantitate, manerent partes distinctæ. Cōtrarium supra probatum est. Admissio tamen, quod manerēt cum modo quantitativo, tunc manerent distinctæ, sed etiam extensæ. Quo cessat plenè ratio probativa, qua non urget contra nos, sed contra DD. secundæ sententiæ, qui antecedenter ad quantitatem ponunt partes distinctas, sed non extensas.

§. VI.

Corolaria notatu digna præcedentis doctrinæ breviter insinuantur.

§. VI.

46. COLLIGES primò ex dictis discrimen inter substantiam spirituales, & corpoream. Nam spiritualis non habet partes actu, nec in potentia: sed corporea ante quantitatem habet partes in potentia, & cum quātitate partes actu. Hujus ratio est, quia sola materia est capax quantitatis, & radix extensionis, ob suamque materialitatem exigit quantitatem. Quare cū Angeli careant materia, carent potentia ad divisibilitatem; secus corporalia, quæ habent materiam partem sui.

Hinc colligitur aliud discrimen utriusque substantiæ, videlicet, quod non possunt dari duo Angeli ejusdem speciei, benè verò duæ substantiæ corporeæ. Ratio est, quia quæ differunt intra eandem speciem, differunt solo numero, & sic differunt materialiter, & distinctione sumpta à materia: sed Angeli non habent materiam: ergo non possunt differre solo numero. Explicatur distinctio specifica est formalis, & provenit à forma; distinctio numerica non provenit à forma, sed à materia, & sic est materialis: sed in Angelis non est materia quia sunt formæ spirituales completæ: ergo inter Angelos datur distinctio specifica, non

autem numerica.

47. Hæc doctrina est Arist. 1. de Cælo, & Mundo cap. 22. ubi ait : *Cum dico hoc cælum, dico materiam; cum dico cælum, dico formam.* Sensus est quod unitas numerica, quam significat *ly hoc cælum*, sumitur à materia. Ceterum unitas specifica, quam dicit natura cæli sine hæcitate, sumitur à forma. De hoc vide N. Doct. quodlib. 2. quæst. 7. In hac doctrina fundatur D. Thomas, ut doceat, quod non solum de facto omnes Angeli distinguuntur specie, sed quod nec divinitus possunt Angeli differre solo numero, quia ubi repugnat materia, quæ est principium numerica multiplicationis, repugnat distinctio numerica: sed Angelis complete spiritualibus repugnat materia: ergo nec de possibili possunt solo numero distingui.

Nostr. Gavardi contendit ex N. B. Egidio Angelos saltem de possibili differre solo numero. Quod ex Doct. Nostr. suaderi potest, nam sicut genus sumitur à materia, sic distinctio numerica: sed in Angelis datur genus; licet non detur materia; quia in eis datur aliquid gerens vicem materiae, scilicet potentialitas in ordine ad existentiam: ergo ab eadem potentialitate potest desumi in Angelis dis-

distinctio numerica. Alij docent idem, sed recurrunt ad materiam spirituales, quam dicunt esse possibilem. Non est nostrum hoc examinare, sed merè insinuare quod ex quæstione præcedenti deducitur.

Anima rationalis nostra, licet spiritualis sit, potest numero multiplicari, & de facto omnes animæ rationales distinguuntur solo numero. Ratio est, quia licet anima sit forma spiritualis, non est completa ut Angelus, sed est substantia incompleta, & partialis, ordinata ad componendum cum materia totum hominem: ergo cum diversæ animæ dicant ordinem ad diversa corpora, quæ sunt diversæ portiones materiae, ab eis sumuntur distinctio numerica, & numerica.

48. Colliges 2. Quod principium numerica multiplicationis est quantitas radicaliter, sed formaliter est materia quanta. Ratio primi est: quia si non daretur nisi unica materia numero, non daretur nisi unica forma leonis, v.g. cum in unica numero materia non possit recipi duplex forma substantialis: sed quod dentur plures numero materiae, nascitur ex divisione; & divisio materiae oritur ex quantitate; quia materia ante quantitatem est indivisibilis, ut pro-

ba:

batum est: ergo radicale principium numerica multiplicationis est quantitas.

Ratio secundi est, quia distinctio numerica Petri à Paulo, v.g. est substantialis: sed distinctio substantialis nequit provenire formaliter ab accidente: ergo formaliter non est à quantitate. Materia autem quanta dicit entitatem substantialem materiae, & modum quantitativum supra explicatum, qui est entitativè substantialis: sed à principio substantiali bene provenit distinctio substantialis formaliter: ergo principium formaliter tale numerica multiplicationis est materia quantitate sigillata, vel cum modo illo quantitativo.

Hic modus quantitativus à RR. vocatur sigillatio materiae: congruitque nomen expressione sigilli in cera, manet cera sigillata; & sigillatio non est entitas distincta à cera, sed est modus, quo cera sigillata distinguitur à se ipsa non sigillata; & aliter sensu habet, ac ante sigillationem arrietate modalis. Sic ex receptione quantitatis in materia manet materia sigillata, & cum modo quantitativo; illa sigillatio non est entitas distincta à materia, sed modus, quo materia quanta differt à se ipsa

sa non quanta, distinctione modalis. Et sicut sigillatio cere quæ est effectus sigilli, realiter distinguitur à sigillo causante; sic modus quantitativus relictus in materia, realiter distinguitur à quantitate, ut suo loco dicemus in Philosophia. In his stat paritas sigillationis cere, & materiae: in reliquis fortassis disparitas.

49. Colliges 3. Quod si Deus ab aliqua creatura tolleretur quantitate, v.g. ab aqua existente in vase, tunc aqua illa non haberet partes distinctas, nec esset divisibilis; nec esset intra vas, nec extra; nec videretur, tangeretur, aut alio sensu posset percipi. Ratio 1. est, quia, in proximis quæ præcedente, substantia solum per quantitatem habet partes: ergo ablata quantitate redderetur indivisibilis. Ratio 2. est, quia esse intra, extra, sursum, deorsum, antea, retro, deorsum, aut similibus, sunt differentia rei ubicatae; & extensa localiter; sed sine quantitate, nulla substantia corporea est extensa localiter, quia apud omnes extensio localis est effectus formalis quantitatis; ergo aqua sine quantitate non est intra vas, nec extra; nec hic, nec alibi, nec alicubi; sed nullibi existeret. Ratio 3. est, quia sola quantitas est tangibilis, sola

sola

fola res quanta est colorata, & sic visibilis; sola extensa est vaporabilis &c. Ergo ablata quantitate, in qua fundantur qualitates sensibiles, illa substantia non esset perceptibilis aliquo sensu.

50. Colliges 4. Cur corpus Christi sit totum in tota hostia, & totum in qualibet parte. Rursus cur divisa hostia in duas medietates, non dividitur corpus Christi in medietates etiam. Ratio primi est, quia substantia panis per consecrationem convertitur in substantiam corporis Christi; & sic conversio illa dicitur à Tridentino *transsubstantiatio*: ergo ponitur corpus Christi sub quantitate panis modo quo erat substantia panis in ratione substantiæ: sed substantia panis in ratione substantiæ sic erat sub quantitate, ut sub qualibet parte quantitatis esset tota essentia, & natura panis: ergo sic est Christus sub eadem quantitate. Ratio secundi est, quia licet substantia panis quoad totalitatem quantitativam fuisset divisibilis in duas medietates; at quoad totalitatem naturæ, & essentiæ panis non erat divisibilis, sed diviso pane, sub qualibet parte adest tota essentia, & natura panis: at Christus non est in hostia ad modum substantiæ secundum totalitatem qua-

titativam, sed loco substantiæ panis secundum totalitatem essentialem, & diffinitivam, ut diximus ex B. Ægidio num. 29. & 43. ergo divisa hostia, non dividitur corpus Christi in duas medietates, *Sed diviso Sacramento, tantum est sub fragmento, quantum toto tegitur*, ut cum D. Thoma canit Ecclesia in officio corporis Christi.

Colliges 5. Quid sint dimensiones determinatæ, & indeterminatæ, de quibus agit Commentator libro 1. de Substantia orbis, ubi primo adinvenit hanc distinctionem teste nostro B. Ægidio Theorem. 44. Dimensio est idem ac extensio: & de hac dicit Averroës, quod est duplex in materia; una, qua partes materiæ sunt extensæ in ordine ad se. Hæc vocatur dimensio indeterminata, quia convenit materiæ ratione sui, & independenter à forma substantiati. Materia enim ex se petit quantitatem: ergo ex se petit extensionem partium in ordine ad totum, quæ est effectus primarius quantitatis. Hæc extensio est indeterminata, quia nullum determinatè locum majorem, aut minorem petit, cum non sit extensio localis, sed extensio in ordine ad se. Alia est extensio materiæ in ordine ad locum, & hæc vocatur

atur dimensio determinata. Est determinata, quia non petitur à materia ratione sui; nã cum materia ex se sit indifferens ad formam elephantis, vel ad formam pulicis, non petit determinatè ratione sui locum magnum, aut parvum. Ceterum semel recepta forma in materia, petit ratione formæ determinatum locum, & determinatam extensionem; nam si in materia est forma elephantis, petit extendi in locum magnum; secus si in materia sit forma pulicis, nam petit locum minimū. Et quia indifferentia materiæ ad locum magnum, vel parvum tollitur per formam receptam; ideo dimensio; aut extensio localis, quæ ratione formæ convenit materiæ dicitur dimensio determinata.

Prima dimensio indeterminata; conveniens materiæ ratione sui, dicitur coæva materiæ. Et sicut indifferentia materiæ subjicitur formæ determinanti, ita dimensiones indeterminatæ materiæ subjiciuntur dimensionibus determinatis, convenientibus ratione formæ. In hac subjectio- ne fundatur rarum, & densum. Nam eadem materia aeris cum suis dimensionibus indeterminatis, si per calorem extenditur ad ocupandum majorem locum, fit per raritatem: si

autem frigore comprimitur ad minorem locum, motus hic fit per densitatem. In hac doctrina fundatur instrumentum Drebitianum, dictum græcè *Thermometra*, idest mensura caloris. Est enim vas chrySTALLINUM continens aquam, & superius aërem tubulo oclusum: ei applicata manu, ejus calore rarefactus aër, occupat majorem locum, & aquam comprimit. E contra frigore compressus aër, minorem occupat locum, & aqua movetur ad replendum locum, ab aëre deselictum, ne detur vacuum in rerum natura. Sic juxta gradus motus aquæ ascendentis, vel descendentis per tubulum, colligimus gradus caloris rarefacientis, aut frigoris condensantis.

52. Hinc solves, quod aliqui obijciunt pro secunda sententia supra posita §. 2. Dicunt primo rarum diffiniri, *quod sub multis dimensionibus parum habet materia*. Densum autem, *quod sub parvis dimensionibus habet multum materia*. Ergo quia materia ratione sui habet partes, quibus jam est multa, jam parva, independenter à quantitate dimentiente. Secundo, materia elephantis petit majorem quantitatem, quam materia pulicis: item materia cœli majorem petit, quam materia grani tritici: ergo quia ante

batur antecedens. **Quantitas** discreta est numerus : sed numerus est ens rationis : ergo. Probatur hæc minor. Numerus est mensura, nam teste Philosopho 10. *Metaphysicæ* : *Numerus est multitudo mensurata per unum*. Sed mensura est formaliter ens rationis : ergo. **Quartò**. In Angelis, & in Personis Divinis reperitur numerus ; Angeli dicuntur : *Millia millium assistentia Deo, eique ministrantia*. Et Personæ Divinæ sunt tres : at in Deo, & Angelis non est quantitas molis : ergo quia numerus non est vera species talis quantitatis. His adde argumentum jam solutum q. 4. præcedenti num. 13.

Contraria sententia docens quantitatem discretam esse veram speciem quantitatis, est communis inter nostros cum N. B. Ægidio q. 36. super Prædicam, & lib. 5. *Metaphysicæ* q. 2. & in 2. sent. dist. 2. q. 1. art. 4. Est etiam omnium Thomistarum, quorum numerosum agmen cum locis doctrinæ D. Thomæ invenies apud Complutenses. Et videtur expressa in M. P. N. August. de Categ. cap. 10. ubi quantitatem molis dividit in coherentem, & separatam. Verba supra data sunt.

Ratio Complutensium sumitur ex eo quod numerus, qui est quantitas discreta, est

objectum Arithmeticæ : sed Arithmetica est scientia una per se : ergo & numerus habet unitatem per se, & sic specificam intra genus quantitatis. Patet consequentia. Quia scientiæ sumunt suam unitatem ab objecto ; quare si scientia est una, objectum est unum ; alioquin daret unitatem, quam non haberet, & hoc est impossibile. Hæc ratio non urget, Nam *Metaphysica*, quæ est scientia una per se, tractat de ente ut sic, communi substantiæ, & accidenti : & tamen ens hoc modo non est unum per se, ut nobiscum sentiunt Complutenses, docetes analogiam entis : ergo licet numerus non sit unum ens per se &c. Vide dicta lib. 5. q. 5. ubi tale argumentum solutum est à nobis, & objectum à Scotistis pro invocatione entis ad substantiam, & accidens.

Probatur ergo communis sententia efficaciter sic. Essentia quantitatis consistit in extensione partium : sed quantitas discreta verè participat extensionem partium : ergo verè participat essentiam quantitatis ; & consequenter est verè species quantitatis. Major probata est supra quæst. 4. minor probatur. Extensio partium consistit in eo, quod una pars sit extra aliam : sed in quantitate discreta verè una pars est extra

extra alteram, ut constat ex eius diffinitione : ergo &c.

4. Nec urgent fundamenta posita num. 2. Ad primum neg, antecedens : ad probationem ejus dist. maj. materialiter, concedo ; formaliter nego maj. & concessa min. nego consequentiam. Numerus ternarius materialiter, vel integraliter sumptus, constat ex tribus unitatibus, quarum qualibet est ens in actu. Ceterum formaliter, & essentialiter sumptus constat ex dualitate se habente, ut materia, & ex tertia unitate se habente ut forma, qua ternarius constituitur. Hinc dicitur cum Philosopho id satis vulgatum *Eis tria non sunt sex, sed quinque & unum sunt sex*. Est sensus, quod ternarius non componitur ex duplici numero ternario, alioquin non foret ternarius unus numerus per se, sed per accidens compositus ex duplici ente numerali in actu. Quare componitur ternarius per se essentialiter ex quinario, se habente in potentia ad ulteriorem unitatem, & ex unitate illa, ut actuante per modum formæ illam potentiam, unde N. B. Doct. loco laudato dicit quod *ternarius est unus secundum speciem, & formam suam* (intellige ultimam unitatem) *licet sit multiplex secundum partes integrantes*.

Ad 2. dic, quod quanti-

tas continua est prior in essendo quantitate discreta, sed non est prior in participando essentiam quantitatis. Sic N. B. D. loco citato. Ad 3. dic numerum numeratum dicere relationem realem ad mensuram, licet non à contrario, quia mensura, & numerus, solum dicit relationem rationis ad mensuratum. Quantitas discreta non est numerus numerans, quia hic est intra animam, ut dicimus 4. *Physicorum*, sed est numerus numeratus ; & sic quid reale.

Ad 4. dic, quod in Deo, & Angelis solum datur numerus analogicè, & improprie. Observa, quod datur duplex unitas, una transcendentalis, altera prædicamentalis. Prima est passio entis, & sequitur quamcumque entitatem : secunda est effectus quantitatis continuæ. Quid addat secunda supra primam, dicemus, Deo favente, in *Metaphysicæ*. Quantitas discreta, quæ est numerus prædicamentalis, hoc est, de prædicamento quantitatis, solum datur in rebus quantitatibus, ut hec constat ex unitatibus prædicamentalis. In Deo autem, & Angelis, non habentibus quantitatem, datur unitas transcendentalis, & ex ea resultat numerus transcendentalis, qui proprie est multitudo, & numerus improprie.

§. II.

Subdividitur quantitas continua, & quaedam dubiola deciduntur.

5. **Q**uantitas cōtinua subdividitur in permanentem, & successivam. Permanentis est *cujus partes sunt simul*. V. g. domus, lignum &c. successiva est *cujus partes existunt ordine prioris, & posterioris*, vel una post aliam. V. g. tempus, *cujus partes sunt præsens, præteritum, & futurum*, quæ non sunt simul, sed una pars post alteram.

Quantitas permanens communiter subdividitur in lineam, superficiem, & corpus. Et dicitur, quod linea est solum divisibilis secundum longitudinem, unde diffinitur *extensio versus longitudinem*. Superficies est divisibilis secundum longitudinem & latitudinem, unde diffinitur *extensio partium versus longitudinem & latitudinem*. Corpus est divisibile secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem; quare constat triplici dimensione longa, lata, & profunda, & diffinitur *extensio partium secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem*. Et cum hæc tria sint quantitates continuæ, *cujus partes copulantur termino communi*, sciendum

DE PRÆDIC.

est partes lineæ copulari punctis indivisibilibus: partes superficiæ uniuntur lineis, partes corporis superficiebus.

Hæc divisio quantitatis continuæ est diminuta in principijs Augustinianis, nam est solum trimembris quantitatis permanentis, & debebat esse quadrimembris. Audi S. P. lib. de Categ. cap. 10. ubi quinque species quantitatis continuæ designat, quarum sola quinta est successiva. *Cohærens* (intellige quantitatem continuam) est *gramma, epiphania, corpus, locus, & tempus*. Gramma est idem ac linea; epiphania græcè id quod latinè superficies, vel manifestatio. Quare S. P. Augustinus addit locum pro quarta specie quantitatis continuæ.

Quod si velis diffinitiones Augustinianas harum species, dic sic cum S. P. linea est *longitudo sine latitudine*. Libro 2. Soliloq. cap. 19. superficies est *latitudo sine profunditate*. Libro de Quantitate Animæ cap. 1. corpus est *altitudo longitudini, & latitudini sociata*. De Categ. cap. 10. ubi latè explicat quomodo istarum quantitarum species copulantur termino communi.

6. Plura hic disputantur, de quibus vide Mag. N. Garvardi ea dilucidè, & prolixè tractantem, quæ quoniam partim in Philosophia, partim

alibi

QVÆST. VI.

§. II.

alibi discutuntur enucleatius, nostram sententiam breviter insinuabimus, ut ad alia properemus. Quæritur primò: An linea, & superficies sint veræ species quantitatis? Negant Hurtado, Cabero, & alij secuti nominales: & probant, quia pars non constituit diversam speciem, ac totum: sed linea est pars speciei, & superficies est pars corporis: ergo non sunt species distinctæ.

Contraria sententia est communis cum Arist. & M. P. N. Augustino, qui lineam, & superficiem numerat inter species quantitatis, ut ex dictis patet. Probatur ratione. Quia omnia relata participant extensionem partium, quæ est essentia quantitatis; aliunde differunt essentialiter penes diversas extensiones, ut ex diffinitionibus datis constat: ergo sunt species essentialiter distinctæ. Nec urget ratio in contrarium; nam sicut punctus non est pars lineæ, sed nexus partium; sic linea non est pars superficiæ, nec superficies pars corporis, sed unio partium.

7. Quæritur secundò: An motus, locus, & tempus, sint species quantitatis? Pro quo suppone horum diffinitiones ex dicendis. Motus juxta Philosophum 3. Physicorum est *actus entis in potentia secundum quod in potentia*. V. g. calor dum

paulatim introducitur, partim est productus, partim non est productus; unde partim est actualiter, partim in potentia. Actio qua fit hic calor successivè, est motus. Tempus diffinitus 4. Physicorum: *Numerus motus secundum prius, & posterius*. ubi nota, quod tempus non est numerus cujuslibet motus, sed solum motus primi mobilis, id est cœli, qui ab anima nostra numeratur secundum prius, & posterius. Locus est *ultima superficies corporis continentis immobilis*. V. g. locus aquæ est superficies vasis continentis aquam. De quo 4. Physicorum, ubi explicatur quid sit superficies concava, quid convexa.

His suppositis. Dicimus primò, quod motus non est species quantitatis. Est expressa in P. Augustino, ubi supra, qui motum non numerat inter quantitatis species. Probatur auctoritate, & ratione N. B. Doct. q. 40. super Prædic. ubi dicit: *De ratione quantitatis est habere partes, idè illud, quod per se habet partes, est quantitas per se: & quod non habet partes per se, non est quantitas per se*. Motus autem non habet partes per se, nisi à subjecto, neque habet continuationem; nam motus est continuus, ex eo quod mobile est in qualibet parte semper, & sine quiete. En ratio. Quod per se, & ratione sui non habet partes, non est

est

est quantitas ratione sui : sed motus ratione sui non habet partes, sed ratione subiecti: ergo ratione sui non est quantitas, & sic nec species quantitatis.

Dices. Motus mensuratur à tempore : sed quod mensuratur est quantum, aut quantitas: ergo motus est quantitas. Respondemus ex dictis, quòd sicut motus ratione sui non habet partes, sed ratione subiecti, in quo est; sic nec ratione sui est mensurabile, nec habet partes mensurabiles, sed ratione subiecti. Quare nil contra nos.

8. Dicimus secundò, quòd tempus est species quantitatis. Sic M. P. N. August. ubi supra, & N. B. Ægidius q. 10. de Mensura Angelorum §. Propter primum, ubi ait : *De tempore autem nostro, quod fundatur in motu locali, dicimus quòd sit formaliter in predicamento quantitatis.* Et ratione probatur. Quia tempus verè habet partes unitas, licèt non simul existentes; constat enim ex præterito, & futuro unitis instanti præsentis: ergo est vera species quantitatis, licèt successivæ.

Dicimus tertio, quòd locus est vera species quantitatis, licèt habeat modum quædam relationis. Ita M. P. N. August. ubi supra num. 5. & N. B. Ægidius 4. Physicorum

lect. 6. utrumque probatur ex eodem. Nam locus duo dicit, scilicet ultimam superficiem, & immobilitatem: sed superficies est species quantitatis, ut probatum est: ergo & locus dicens ultimam superficiem. Jam verò quòd immobilitas sit quædam relatio; constat, nam modo quo res dicitur distans, vel indistans per relationem distantiam, respicientem Polos mundi; sic dicitur locus immobilis per relationem distantiam invariabilis ad eòdem Polos. Ergo locus, ut dicens immobilitatem, dicit relationem.

Dices: Si locus solùm est quantitas, ut est superficies, erit quidem species quantitatis, sed non erit quarta species distincta à superficie: sed P. Augustinus ponit locum quartam speciem: ergo restat reddere rationem distinctionis loci à superficie. Respondemus, quòd locus non est qualibet superficies, sed corporis continentis immobilis. Per hoc differt à superficie corporis, de cuius ratione non est immobilitas, ut patet in aëre, quòd corpus est, & flante vento, movetur. Et licèt hoc discrimen sistere videatur in immobilitate, quam diximus pertinere ad relationem: non est pura relatio, sed adhibita ratione continentiam, qua locatum conti-

net; & ambit, dicit extensionem ambientem, quæ est quid absolutum de genere quantitatis.

§. III.

Subdividitur quantitas discreta: & explicantur proprietates quantitatis.

9. **Q**VANTITAS discreta subdividitur in numerum, & orationem. Ita P. August. de Categ. cap. 10. *Separata verò sunt numerus, & oratio.* Differunt inter se, quia numerus causatur ex divisione continui, & diffinitur *Multitudo numerata per unum.* Oratio causatur ex divisione aëris: quare hæc vox *Barbara* diversa oratio est, ac ista *celarent*, quia aliter verberatur aër in prima, quam breviter pronunciamus, ac in secunda, quam accentu longo proferimus. Hic oratio non sumitur, ut in Summulis, pro voce composita ex multis dictionibus; sed pro quacunque dictione composita ex syllabis, quarum aliæ longæ, aliæ breves, quasi discòtinuantur, & segregantur, ut varijs instantibus existant, dū pronuntiantur. Oratio sic supra diffiniri potest, *Syllabæ naturæ segregatæ penes brevem, & lon-*

gam pronuntiationem. Desumitur diffinitio ex P. August. de Categ. cap. 10. dicente: *Natura segregantur syllabæ, cum unam brevem, alteram longam dicimus, sicut segregantur numeri, cum duos, vel tres dicimus.*

Quæres in quo differunt oratio, & tempus? Nam videtur non differre, quia idè oratio est quantitas, quia mensuratur motus linguæ pronuntiantis penes durationem longam, & brevem. Tempus etiam est mensura motus, ut supra dictum est. Respondemus discriminè esse, primò, quia oratio est in ore hominis ut in subiecto; tempus autem est in primo mobili, scilicet coelo. Secundò, tempus est mensura motus continui, oratio autem mensura motus discreti. Quo fit, ut tempus sit species quantitatis continuæ, oratio autem quantitatis discretæ.

10. Subdivisiones hucusque datæ, pertinent ad Logicam, considerantem naturam quantitatis, & ejus species essentielles: at quoniam Geometria amplius considerat quantitatem, quàm Logica, v.g. dividens lineam in rectam, & curvam, quæ divisio non est essentialis relatè ad Logicam, sed individualis, sicut homo rectus, & curvus solo numero differunt, idè

logicus sistit in divisionibus datis, Mathematicus ultra sub dividit lineam, numerum, & alias species quantitatis. De his non erat animus quidquā dicere: sed quoniam apud N. B. Ægidium, & D. Thomam plura invenies, quæ ab eisdē explicantur, & ostenduntur exemplis Geometriæ, & Arithmeticæ, idē, ut saltem nomina, & significata percipias, quædam breviter attingemus.

Subdividitur linea in rectam, & curvam. Recta est *que ex equali suis interjicitur punctis.* Curva est, *que si ducatur cum equali distantia circa centrum, & ejus finis conjungatur principio, circumulum format, & peripheria, seu circumferentia dicitur.* Linea perpendicularis est, *que ducitur à summitate circuli usque ad imum intercidendo circumulum.* Diameter est *linea, que secat circumulum à dextra ad levam.* Parallelæ sunt *duæ lineæ in eodem plano ductæ nunquam convenientes.*

Ex lineis fiunt figuræ geometricæ, ut *triangulus* rectilineus ex tribus lineis æqualibus. Ex quatuor lineis æqualibus fit *Quadratus æquilaterus.* Ex quinque fit *Pentagonus æquiangulus,* ex sex lineis fit *hexagonus,* ex decem fit *decagonus.* Ex quindecim fit *quindecagonus æquiangulus.* De his multa apud Euclydem sex libris elementorum Geometricorum.

Punctus, qui est terminus lineæ, diffinitur *Cujus pars non est.* Quare etiam apud mathematicos est divisibilis. Observe, quod quantum est magis divisibile mathematicè, quàm physicè. Nam divisa linea, venimus ad partes ita parvas, ut si contendas dividere, pereunt, eò quod pro sui conservatione perunt determinatam magnitudinem. Quare Philosophus agens de termino intrinseco magnitudinis, & parvitatatis, sistit dum venit ad terminum parvitatatis naturalis, quo diviso perit res. At mathematicus non sistit ibi, quia non curat de existentia, & conservatione substantiæ quantæ, sed de sola quantitate: unde dividit in infinitum sine termino. Quare si punctus est indivisibilis, nedum physicè, sed metaphysicè, signum est nullas habere partes, & sic non esse quantitatem, sed terminum quantitatis.

11. Sicut linea secundum se pertinet ad Geometriam, sed ut visualis spectat ad Perspectivam, quæ Geometriæ subalternatur: ita numerus, ut proportionalis consideratur ab Arithmetica, ut sonorus autem à Musica, quæ idē Arithmeticæ subordinatur, & ab illa accipit probata principia sua. Numerus propor-

portionalis Arithmeticus subdividitur in parem, & imparē; in superfluum, diminutum, & perfectum; in linealem, superficiale, & solidum. De quibus vide N. Gavardi in Logica quæst. 2. de Quantitate art. 4. ubi innumeras explicat divisiones.

Numerus sonorus, qui est relatus ad sonum, subdividitur in tres consonantias, vel harmonias simplices, quæ sunt diapason, diapente, diatesseron. De quibus N. B. Ægidius quodlib. 3. quæst. 5. Transitus per has consonantias non fit semper per integros tonos, qui sunt octo: sed per semitonia, quæ est pars duplex toni, sed non æqualis, quia una excedit alteram aliquo, quod dicitur *coma.* Hæc sufficiat adubrassè. Vide, si plura desideres, N. B. Ægidium, & Gavardi loco citato: sed præcipuè P. N. Augustinum, qui sex libros scripsit de Musica, quibus conclusiones musicales reducit scientificè in sua principia.

Id observa pro numeris, eorum proprietatem esse crescere in infinitum. Nullus est numerus, qui non possit suscipere novam unitatem: sed addita unitate, crescit numerus: ergo proprium est numero posse crescere in infinitum. Hinc S. P. de Categ. cap. 10.

Dicit: Ista vis numero inest, ut omnis dictus, finitus sit, non dictus autem infinitus. Quia scilicet quemcumque dixeris, habet ultimam unitatem: ergo est finitus. Ceterum, qui non est dictus, sed est possibilis, infinitus est, quia crescere potest in infinitum. An autem sit possibilis numerus omnium maximus? Disputatur 3. Physicorum; ubi respondebimus negativè.

12. Proprietates quantitatis sunt. Prima non habere contrarium. Hæc convenit etiam substantiæ, ut supra dictum est. Etsi dicas magnum, & parvum, augmentum, decrementum &c. sunt contraria; & in genere quantitatis ergo jam quantitas suscipit contraria. Respondemus cum P. August. de Categ. cap. 10. talia esse relativa, non autem quantitativa; quia denominationes illæ sumuntur à relatione, qua magnum refertur ad parvum, sursum ad deorsum &c. In quantitate secundum se, quæ est ens absolutum, nulla apparet contrarietas.

Secunda proprietas est non suscipere magis, & minus. Sic unus palmus non est magis palmus, quàm alter. Hæc non convenit soli quantitati, cum etiam conveniat substantiæ, ut dictum est.

Tertia proprietas, & quæ

foli quantitati convenit, est esse æqualem, vel inæqualem, parem, aut imparem, sicut enim unitas, & convenientia in substantia facit identitatem, in qualitate similitudinem, sic in quantitate æqualitatem: quare res per substantiam sunt idem, per qualitatem similes, per quantitatem æquales. Et licet aliquando dicatur quod Petrus, & Paulus sunt æquales in scientia, fortitudine &c. quæ sunt qualitates, istæ locutiones sunt improprie, & denominativæ, quia æqualitas stricta solum est in quantitativis. Sic etiam Personæ Divinæ dicuntur æquales, sed æqualitas tunc dicit identitatem essentialis Divinæ, & omnium perfectionum Divinarum, quæ



QUÆSTIO SEPTIMA.

Quid sit relatio, & quotuplex?

§. I.

Explicatur definitio, & essentia relationis.

POST quantitatem venit relatio ordine doctrinæ, sed non naturæ: nam cum absolutum sit prius relativo, & qualitas sit ens absolutum, qualitas naturaliter præcedit relationem. Rursus cum qualitas funda-

per identitatem conveniunt tribus Personis.

Ex his proprietatibus ab Aristot. designatis, aliæ originantur, quæ ex dictis satis constât: ut divisibilitas in partes; quæ licet substantiæ, & qualitati conveniat, non per se, ut quantitati, sed per participationem quantitatis. Rursus extensio in ordine ad locum, & commensuratio cum eo, quæ ratione sui convenit quantitati, & ratione quantitatis substantiæ, & qualitati. Rursus passivè mensurari. Impe netrabilitas cum alia quantitate. Tandem habere figuram. De qua ultima proprietate reddibit sermo in prædicamento qualitatis.

mentum relationis sit, & fundamentum præcedat rem fundatam; qualitas ordine naturæ præcedit relationem. At ut monet S. P. N. August. lib. de Categ. cap. 11. coactus est Aristot. tractare de relatione ante qualitatem pro plena intel-

telligentia quantitatis explicatæ, & prævia qualitatis exponendæ. Hic ordo doctrinæ servatur à P. N. August. & alijs interpretibus, cum quibus nostram sententiam circa relationem exponemus: & licet doctrina hujus prædicamenti utilissima sit pro theologicis, & philosophicis questionibus; adeoque prolixius solito exponenda; plures tamen quæstiones prætermittimus, in Metaphysica, Deo dante, explicandas, ut facilius percipiantur, quæ hic juvenibus proponuntur. Relatio in communi est idem ac ordo, respectus, & tendentia unius ad aliud. Hinc relatio non dicitur aliquid, sed ad aliquid. Nec hoc est ludere terminis, ut aliqui nobis objiciunt apud Suarez in Metaphysica; sed est propriissima locutio ab Aristotele usurpata, quam commendat P. N. August. lib. 17. de Trinit. cap. 1. dicens: *Omnis essentia, que relativo dicitur, est etiam aliquid, excepto relativo; sicut homo dominus, homo servus &c.* En omnis essentia absoluta est aliquid, non tamen essentia relationis, vel relativa. quam cum Aristotele sapius vocat ad aliquid. Eodem modo loquitur N. B. Egidius in 3. Senten. dist. 8. par. 3. q. 1. Art. 2. §. 1. *Isti autem, ubi ait: Omnes res aliorum prædicamentorum,*

sunt aliquid, ex eo quod sunt constituta in suis prædicamentis; sola autem relatio ex suo prædicamento non est aliquid, sed ad aliquid. Et ideo si relatio est aliquid, non est ex suo prædicamento, sed ex suo fundamento.

Nec putes litem istam pure de nomine; quia hic fere elauditur tota essentia relationis, & notio illius; ut patebit. Interim hoc tibi dogma statue ex utroque Beato Doctore nostro, quod *Relatio formaliter ratione sui est quidditas; ceterum non est entitas, vel modus ratione sui formaliter.* Ratio primi est; quia relatio vocatur à P. N. Augustino essentia, ubi supra: sed essentia est quidditas; ergo relatio ratione sui est quidditas. Rursus relatio ratione sui formaliter est diffinibilis; & sic habet essentiam; ergo & ratione sui formaliter est quidditas. Ratio secundi est; quia quod est entitas, vel modus, est aliquid; sed juxta dicta relatio non est aliquid ratione sui; ergo ratione sui non est entitas, vel modus. Adde quod nullus modus constituit diversum prædicamentum à reliquis, ut dictum est quæst. 1. hujus libri, sed pertinet indirectè ad prædicamentum rei, cujus est modus: ita relatio constituit diversum prædicamentum à reliquis; ergo ratione sui formaliter non est modus.

2. Dices : quòd non est aliquid, est nihil : sed relatio ratione sui formaliter nō est nihil : ergo est aliquid. Major patet, quia aliquid, & nihil sunt contradictoria, inter quæ nullum cadit medium. Rursus. Quòd est ens, est aliquid : sed relatio formaliter ratione sui est ens : ergo aliquid. Probatum min. quia relatio formaliter est unum ex prædicamentis, contentis sub ente : sed ens descendit ad omnia prædicamenta formaliter : ergo relatio ratione sui formaliter est ens.

Ad primum, nego maj. cuius probatio falsum assumit. Hæc enim sunt contradictoria *ens, & nihil*, & inter illa nullum est possibile medium. Ceterum hæc *aliquid, & nihil*, talia non sunt, sed admittunt medium scilicet *ad aliquid*, quòd nec nihil, nec aliquid est. Prima sunt contradictoria, quia *ens* includit omne esse absolutum, & relativum : quare quòd nullo modo est ens, nullum habet esse absolutum, vel relativum, & sic nihil est : unde inter *ens, & nihil* nullum cadit medium. Ceterum *aliquid* dicit solum esse absolutum, & inter esse absolutum, & nihil, cadit medium, scilicet esse relativum, quod vocatur *ad aliquid*. Sic inter rem & nihil, cadit medium, scilicet modus,

qui nec est res, nec nihil. Quare sicut latius patet *ens*, quam *res* ; quo fit, ut nullo cadente medio inter ens & nihil, cadat inter rem & nihil : sic latius patente ente, quam aliquid ; cadit medium inter aliquid & nihil, quòd non cadit inter ens & nihil.

Hinc ad secundum, nego maj. quia quod habet esse relativum formaliter, est ens : & tamen non est aliquid, sed ad aliquid ; *ens* enim dicit esse ; quare præscindit ab absoluto, & relativo. *Aliquid* dicit esse absolutum. Cumque relatio nullum habeat formaliter esse absolutum, sed purè relativū, non est formaliter aliquid, licet sit formaliter ens, sed est *ad aliquid*. Hæc doctrina difficilis apparet adhuc logiculis, quoniam inter transcendentia numerantur *Res, ens, verum, bonum, aliquid, unum* : quo fit, ut quidquid rationem entis habet, dicatur *aliquid*, sicut dicitur *verum, & ens*. Ceterum, sicut apud omnes *ens* latius patet, quam *res*, ob rationem supra datam : sic latius patet, quam *aliquid*, ut cum Philosopho P. N. August. & B. Egido ostensum est, & latius infra patebit.

3. Relatio in communi diffinitur *Purus ordo unius ad aliud*. Vel, *Cujus totum suum esse est in ordine ad aliud*. Colligitur ex Phi-

Philosopho hic dicente : *Ad aliquid sunt, quæcumque id quod sunt, aliorum dicuntur*. Consonat P. N. Augustinus de Categ. cap. 11. dicens : *Ad aliquid categoriam vocamus eam, quæ quod est, dicitur ex altero, ut duplum simpli dicitur duplum, majus minoris*. Sic pater alicujus filij est pater, & per ordinem ad filium ; filius item alicujus patris filius ; duplum per ordinem ad simplum dicitur, majus tale est, & dicitur relatè ad minus.

Observa quòd non est idè relativum, ac relatio : nam relativum est concretum ex subjecto quod refertur, & relatione, qua refertur. Relatio autem est forma, & sic abstractum. Philosophus, & P. N. Augustinus diffiniunt relationem in concreto ; quare diffiniunt relativa, sicut capite de Quantitate eam in concreto explicarunt. Dux autè diffinitiones primæ sunt relationis in abstracto. Pro quantum intelligentia.

Observa 2. quòd pro relatione plura desiderantur, scilicet fundamentum, ratio fundandi, terminus, & ordo fundamenti ad terminum. Sic exemplum in similitudine, qua sunt similes in albedine duo homines, v.g. Petrus, Francisco. Petrus est fundamentum remotum ; albedo est ratio fundandi similitudinem ; Fran-

ciscus cum sua albedine est terminus ; & ordo, qui intervenit, est relatio. Hujus ratio est, quia totum esse relationis est purus ordo unius ad aliud, at esse Petri, Francisci, & albedinis, non est purus ordo, sed est esse absolutum substantiæ, & qualitatis : ergo relatio similitudinis in exemplo dato non est Petrus, Franciscus, aut albedo utriusque, sed ordo unius ad alterum. Explicatur hoc. Petrus in se est substantia, & absolutè est ens ; in se est albus, & qualis sine ordine ad aliud ; at non est in se absolutè similis, nisi comparatus, & in ordine ad alterum, scilicet Franciscum : ergo quia esse similitudinis, & relationis plene, & totaliter est *ad aliud* ; quare non est aliquid, sed ad aliquid, ut supra dicebamus.

4. Hic queritur quid dicat relatio formaliter, & in recto. Conducit hoc dubium pro majori intelligentia essentie relationis ; & ut ab eo breviter, & clariùs expediamur, nota, quòd vocabimus fundamentum subjectum habens rationem fundandi, v.g. Petrum album relatè ad alterum album. Prima sententia docet quòd relatio utrumque simul in recto importat æquè primo, scilicet fundamentum, & terminum. Ratio est, quia simili-

tudo v.g. nil est aliud, quam coëxistentia duplicis albi. Quod fit, ut dñm Petrus dicitur similis Paulo, & relatus; denominatio est partim intrinseca Petro, & partim extrinseca: est intrinseca, quatenus dicit albedinem Petro intrinsecam; est extrinseca, quatenus dicit albedinem Francisci; quæ Petro extrinseca est. Sic docent Hurtado, Arriaga, Aversa, & Oviedo, citantes pro sua sententia N. B. Egidium, & Ariminensem, licet immerito.

Nam expressè impugnatur sententia ista à Doctore nostro in 1. Sent. dist. 21. quæst. 1. art. 1. hac ratione. Si relatio includeret, & æquè diceret utrumque extremum, unum relativum includeret aliud: sed hoc est falsum: ergo falsum est, quod relatio dicat formaliter utrumque extremum. Major patet in sententia horum DD. in qua relatio non distinguitur à fundamentis, quare si relatio dicit fundamentum, & terminum, fundamentum etiam dicere debet se, & terminum; & sic illud includere. Minor probatur. Si unum relativum includit aliud, dicendo Duplum dimidium, & pater filij, committitur iniquitas: sicut dicendo homo animal, quia homo includit animal: sed hoc revera est falsum: ergo nec relatio includit

utrumque extremum, nec unum alterum.

Clariùs impugnatur sententia ista, ab Argentinare nostro sic. Si relatio diceret æquè primò fundamentum, & terminum, relatio esset ens per accidens, constans ex duobus entibus in actu: sed hoc est tollere prædicamentum relationis: cum non haberet unitatem per se, quæ requiritur ad prædicamenta: ergo relatio non dicit utrumque extremum æquè primò.

Pater Arriaga sibi objicit hanc rationem, & concedit consequentiam, dicens nil interesse auferre unum à Logica prædicamentum, quia inde non aufertur ab Ecclesia aliquod Sacramentum. Hæc ille: cui respondimus non esse quidem, ut hereticum denunciantium, ceterum teneri ad rigorosam restitutionem. Baccificè possidebat Logica sua decem prædicamenta à pluribus seculis, prima quæ dicitur homo, quartam dicens ordinem, & sex ultima, quæ dicunt rem sub ordine. Tolle relationem unam, tollis sex ultima prædicamenta, quæ sunt rem sub ordine: quare septem prædicamenta tollis à denario antiquo, & venerabili Logica. Peccatum est ablatio rei gravis, nec tollitur nisi restituatur ablatum. Pa-

Pater Oviedo respondet rationi factæ, quod relatio est una unitate logica per se tali, quod sufficit, ut sit speciale prædicamentum; non tamen est una unitate physica, per se tali, quia importat plures entitates fundamenti, & termini, quæ faciunt unum per accidens. Sed nec solutio ista valet, nam unitas illa logica vel est realis, vel rationis. Si rationis? Ergo omnis relatio erit ens rationis, cujus contrarium infra probabimus. Si realis? Ergo non est unitas per se, cum constet ex pluribus entibus realibus, ut supra arguebamus. Observa, hos DD. non sibi coherere circa hoc; nam hæc illativè saltem negant relationes reales, dum eis concedunt solum unitatē logicā rationis. Cum tamen impugnant Thomistas de objecto Logicæ, dicunt quod rectitudo syllogismi non est ens rationis, quia est relatio realis.

6. Fortius impugnatur hæc sententia argumēto theologico, nam in Divinis Personæ Divinæ constituuntur per relationes diversas: sed relatio Paternitatis non dicit æquè primò Patrem, & Filius; aliàs Pater, qui constituitur per relationem Paternitatis, constitueretur per Filium: ergo nec in creatis relatio dicit utrumque extremum. Si dicas

disparitatem esse, quod relationes in Divinis sunt transcendentes, ex quibus non valet consequentia ad nostras, quæ sunt prædicamentales. Contra: Nam Paternitas in Divinis fundatur supra actionem generativam Filij: sed relatio fundata in actione, est prædicamentalis; ut dicemus: ergo tales sunt in Divinis, & valet consequentia ad nostras. Observa, quod P. N. August. lib. 5. de Trinit. cap. 5. negat relationes Divinas esse prædicamentales; hoc idè solum, quia *In Deo nihil quidem secundum accidens dicitur, & in rebus creatis, & mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat ut secundum accidens dicatur.* Hinc probat S. P. quod relatio in nobis est accidens, quia non dicitur secundum substantiam. Ceterum observato, quod relatio in Deo est substantia; servat in Deo modum relationis nostræ; immò ex nostris relationibus explicantur Divinæ, & comprobantur, ut videbimus.

7. Secunda sententia, quam docet Suarius, Lerma, & alij, tenet relationem dicere in recto fundamentum, ut connotat terminum. Quare relatio similitudinis inter Petrum & Paulum, dicit de formali albedinem in Petro; quæ, ut denominet Petrum similem, debet connotare terminum e-

xistentem, scilicet albedinem in Paulo. Hec sententia magis accedit ad veritatem, sed evertitur, quia relatio formaliter est *Ordo unius ad aliud*. Sed fundamentum, ut connotans terminum, non est ordo unius ad aliud; sed est id quod ordinatur ad aliud: ergo relatio non est fundamentum, ut connotans terminum. Rursum. Fundamentum, ut connotans terminum, realiter denominatur relatum ad illum: ergo ab aliqua forma distincta oritur denominatio illa relati; sed fundamentum dicitur relatum à relatione, ut à forma denominante: ergo relatio non est fundamentum connotans terminum. Rursum. Fundamentum connotans terminum, dicitur, & est relatum: sed relatio non est, nec dicitur relata: ergo relatio non est fundamentum connotans terminum.

Ratio à priori est, quod relatio est ordo unius ad aliud: ergo est forma medians inter utrumque, & illud jungens: ergo non est præcisè fundamentum connotans terminum, sed formaliter aliud ab utroque. Accedit tamen hæc sententia ad veritatem in nostris principiis, quia cum relatio non sit realitas distincta à fundamento, connotante terminum, ideò in sensu identico relatio nihil est, nisi

fundamentum connotans terminum. Ceterum in sensu formali relatio est quidditas à fundamento distincta, ut videbimus: & in hoc sensu sententia ista impugnata est.

8. Tertia sententia docet quod relatio non dicit formaliter utrumque extremum, nec unum connotando alterum, sed solum purum ordinem unius ad aliud. Ita N.B. Ægidius quæst. 4 de Mensura Angelorum §. *Dicemus enim*, quem sequuntur DD. nostri citati à M. Villanova in præsentia, qui cum nostro Gerardo docet, quod relatio exigit fundamentum, & coexigit terminum. Hanc sententiam eligimus, quæ quoad duas primas partes probata est ex dictis.

Quoad tertiam probatur sic. Relatio formaliter est forma denominans fundamentum relatum, & ordinatum ad terminum: sed forma sic denominans relatum, & ordinatum, est purus ordo unius ad aliud: ergo relatio formaliter solum dicit purum ordinem fundamenti ad terminum. Probatur secundò ex Philosopho hic, & ex P. August. lib. de Categ. cap. II. docentibus quod relativa sunt *Simul natura, & cognitione*: quod N. Ægidius ait; *Simul natura, idest aliqua natura communi, que est quidditas respectus*. Sed solum ordo unius ad aliud est

Est natura utrique communis, & quidditas quædam in qua fundamentum, & terminus conveniunt: ergo relatio, vi cuius relativa sunt simul natura, solum dicit formaliter quidditatem ordinis, & respectus.

9. Dices. Implicat quod una, & indivisibilis quidditas sit in duobus subjectis realiter distinctis: sed si quidditas relationis esset communis fundamento, & termino, illa esset in hæsi in duobus subjectis realiter distinctis; immò & esset in subjectis summè distantibus, ut in Petro Matriti, qui similis est Paulo, Romæ degenti: ergo implicat quod relatio sit quidditas medians inter extrema relativa, & utrique communis. Major patet, quia accidentia individuatur à subjectis; & sic implicat unicum accidens simul esse in duobus subjectis distinctis.

Hoc argumentum pluries urget Aureolus in 1. Sentent. dist. 30. ut probet, quod non dantur in rebus relationes reales, sed quod relatio est quædam denominatio extrinseca, fundata in coexistentia duplicis relativi. Solvitur tamen ex professo à N.B. Ægidio hic quæst. 45. ubi quærit, utrum eadè numero relatio sit in pluribus, ut in subjecto? Respondet negati-

vè: & dicit in corpore, quod relatio est in solo fundamento ut in subjecto, in alio verò extremo est ut in termino. Dū plura dicuntur similia, non sunt talia per unicam numero relationem, sed per tot diversas numero, quot sunt fundamenta relata. Sicut enim Petrus, & Paulus non sunt alibi eadem albedine, sic nec similes eadem similitudine, nec relati eadem relatione. Sed observa, quod albedo Petri non est communis ullo modo Paulo, benè verò quidditas similitudinis, & relationis Petri, communis est Paulo. Ratio primi est, quod albedo est quid absolutum, quare non est communis, nisi cui in hæret; in hæret soli Petro: at relatio est ens relativum, & ad aliud, quare est communis fundamento, & termino; sed aliter, nam fundamento est communis in hæsi, termino autem secundum ad, quatenus refert ad illum fundamentum. Quare est intrinsecè in fundamento, extrinsecè in termino.

Hinc cessat replica facta, & quotquot in ejus confirmationem adducit Aureolus, nã certè implicat, quod eadem quidditas sit in duobus subjectis distinctis, & separatis, in hæsi; sed non implicat quod in uno sit in hæsi, & in alijs terminativè extrinsecè. Hoc

modo ponimus quidditatem relationis, communem fundamento, & termino. Et cum in solo fundamento sit inhæsi- vè, à solo fundamento indivi- duatur. Aliqui fortassis pote- rant negare majorem replicè, quia eadem unio recipitur in materia, & forma, quæ realiter distinguuntur. Eadem etiam actio est perfectio agētis, & pas- si, quæ sūt realiter distincta, ita ut perficiat agens per conce- ptum *ab*, & patiens per conce- ptum *in*: ergo cum in relatio- ne sit conceptus *in*, & conce- ptus *ad*, per hunc perficit ter- minum, & per illum fundamē- tum. Sic poterat dici, sed stan- dum est solutioni datæ, quæ expressa est in N.B. Doct.

10. Quæres secundò: An tota essentia relationis sal- vetur in conceptu *ad*? Videtur quòd sic. Quia tota essentia re- lationis est totum esse relatio- nis: sed totum esse relationis est ad aliud: ergo tota es- sentia ejus salvatur in conce- ptu *ad*. Et cōfirmatur. Nā juxta D. Thom. 1. p. q. 28. art. 1. relatio ex suo conceptu for- maliter non est substantia, nec accidens; & hinc probat, quòd datur relatio rationis, secus quantitas rationis, vel quali- tas rationis: ergo relatio for- maliter non dicit *in*, qui est conceptus accidentium; quare salvatur tota essentia ejus in

conceptu *ad*. Idem docetur à N. B. Ægidio Quodlib. 4. q. 8.

In contrarium est Arist: hic, qui relationem numerat inter accidentia. Consonat M. P. N. August. de Categorijs cap. 11. & 5. de Civitat. Dei cap. 5. cujus verba dedimus num. 6. tenens, quòd in crea- turis quidquid dicitur, & non secundum substantiam, dicitur secundum accidens: at relatio in creaturis non dicitur se- cundum substantiam: ergo est accidens: sed omne accidens est ens in alio, & habet conce- ptum *in*: ergo relationis es- sentia constat ex conceptibus *in*, & *ad*.

Hoc dubium pendet ex alio infrà expendendo, an sci- licet relatio sit distincta reali- ter à fundamento? Nam si non distinguitur: ergo sicut non habet esse, nisi esse fundamen- ti, non habebit *in* nisi ratione fundamenti. Si verò distingui- tur; erit entitas distincta, quia nullus modus potest cōstitue- re speciale prædicamentum, ut dictum est. De illa entitate distincta, verior est secunda sententia, quia entitas illa de- bet inhærere fundamento, ut illud constituat intrinsecè relā- tum; nulla enim forma dat formaliter suum effectum sub- jecto, nisi illud intrinsecè in- formet, & afficiat: ergo ultra *ad* relationis, oportet in ea

ponere conceptum *in*. An au- tem hoc *in* sit unicum & spe- ciale, an duplex, unum com- mune omni accidenti, aliud speciale relationis? Dubiū est, quod invenies apud Godoy tom. 3. in 1. partem tractatu de constitutivo Divinarū Per- sonarum. Quid autem in no- stris principijs tenendum sit, di- cam infrà latius.

Interim, dic quòd tota quidditas relationis salvatur in conceptu *ad*: ceterum habet *in*, quo afficit subjectum rela- tum. Hoc *in* non est propriū relationis formaliter, sed sui fundamenti. Ratio est quia relatio licet ratione sui sit quidditas, at ratione sui non est entitas, ut dicemus cum N. B. Ægidio, sed ratione fun- damenti: sed petit *in*, quia est entitas accidentalis: ergo ha- bet *in* ratione fundamenti, non autem ratione sui. Quo fit, ut tota essentia relationis forma- liter salvetur in conceptu *ad*.

§. II.

Explicantur divisiones relationis in communi.

II. **R**elatio in communi primò dividitur in realem, & rationis. Realis est, quæ datur ante ope- rationem intellectus, ut simi-

litudo duorum, qua similes sunt, adhuc intellectu nihil cogitante. Relatio rationis est, ille ordo, qui resultat ex con- ceptibus objectivis, factis ab intellectu præscindēte. De hac relatione satis actum est lib. 2. præcedenti, quare hic solūm subdividenda est relatio realis. Et observæ, quòd licet aliqui negent dari in creatis relatio- nes reales prædicamentales, ne- mo negat transcendentales. De utrisque erit postea sermo; nunc supponenda est commu- nis sententia, admittēs in crea- tis reales relationes. Hoc sup- posito.

Dividitur primò relatio realis in relationem secundum esse, & relationem secundum dici. Hæc divisio variè expli- catur à DD. quorum senten- tiam nimis prolixum esset ex- pendere. Nobis sufficiat uni- cus N. B. Ægidius quodlib. 4. quæst. 8. Si aliorum mentes varias videre optas, vide in Prado q. 21. Logicæ, & apud Parra dub. 2. Nos cum N. B. Doct. dicimus: relativa secū- dum esse sunt quæ secundum id, quod sunt formaliter, pertinent directè ad prædicamentum relationis. Rela- tiva autè secundum dici sūt, quæ secundum id, quod sunt, pertinet ad aliq̄ prædicamenta, sed habent modum re- lativorum. Sic similitudo, pa- ternitas, & æqualitas, sunt re- lationes secundum esse, quia

earum essentia est relatio, nec spectat esse illarum ad aliud prædicamentum, quàm relationis. E contra scientia est relativa ad objectum relatione secundum dici, quia scientia est qualitas, & per suum esse pertinet ad prædicamentum qualitatis. Ceterum habet modum relativum, quatenus dependet à suo objecto, & cognoscitur & diffinitur per ordinem ad objectum.

12. Hanc divisionem probat N. B. D. ex Philosopho, qui duplicem diffinitionem dedit relationis, unam pro relativis secundum dici, qualis est: *Ad aliquid talia dicuntur, quæcumque hoc ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur.* Alteram dedit pro relativis secundum esse, & explicata est supra num. 3. In ea non dicitur *Ad aliquid dicuntur, sed Ad aliquid sunt.* Nec dicitur esse talia, quia sic dicuntur, sed quia eorum esse est ad aliud se habere. Ergo quia de mente Arist. relativa secundum esse talia sunt, quia eorum esse est de prædicamento relationis; relativa autem secundum dici habent esse de alio prædicamento, sed cum modo relativo.

Confirmatur, & exemplis illustratur hæc distinctio à N. B. Doct. Sicut in relatione distinguimus unam secundum esse, alteram secundum dici: sic in substantia distinguere pos-

sumus substantiam secundum esse, & substantiam secundum dici. Substantia secundum esse est illa, quæ per suam entitatem est ens per se. Substantia secundum dici est illa, quæ per suam entitatem est accidens, attamen habet modum quemdam substantiæ; talia sunt accidentia Eucharistica, quæ per suam entitatem accidentia sunt, quia tamen existunt per se, sine subjecto inhæsionis, ideo habent modum substantiæ, & vocari substantia secundum dici.

Sic etiam in qualitate distinguere possumus duas, unam secundum esse; & est quæ per suam entitatem est in illo prædicamento, ut calor, frigus, albedo &c. alteram secundum dici, & est, quæ per suam entitatem pertinet ad aliud prædicamentum, habet tamen modum qualitatis. Sic rationale, & omnes aliæ differentiæ essentialis, secundum suam entitatem sunt substantia: quia tamen prædicantur in quale, habent modum qualitatis, & sunt qualitates secundum dici. Sic datur habitus secundum esse, & est ens quod per suam essentiam pertinet ad prædicamentum habitus: & datur habitus secundum dici, ut patet in humanitate Christi D. quæ ab Apostolo dicitur habitus ad Philip. 2. *Et habitu inventus ut homo*

110. Humanitas autem substantia est, sed habet modum habitus in Christo, quia est veluti vestis, qua indutum Divinum Verbum mūdo apparuit, dum temporaliter ex Matre Virgine nasci dignatus est, qui ante sæcula genitus, ex mente Omnipotentis procedit æternaliter. Patet ex dictis, quàm vera sit expositio N. B. D. & quàm merito ceteris aliorum præferenda.

13. Putant aliqui citati à Prado relationem secundum esse esse relationem realem, relationem autem secundum dici esse relationem rationis. Falluntur, quia utraque relatio secundum esse, & secundum dici, potest esse vel realis, vel rationis. Probat ex dictis. Divisio substantiæ in secundum esse, & secundum dici, non est divisio in substantiam realem, & substantiam rationis (idem de alijs exemplis datis:) ergo divisio relationis in secundum esse, & secundum dici, non coincidit cum relatione reali, & rationis. Rursus relatio paternitatis, quæ est secundum esse; & relatio scientiæ ad objectum, quæ est secundum dici, sunt relationes reales: ergo relatio secundum dici non est rationis. Imo intra genus relationis rationis, datur relatio secundum esse, & talis est relatio speciei ad individua; & re-

latio secundum dici, ut est illa, quam Deus ut Creator, dicit ad creaturas. Totum enim esse speciei est secunda intentio relationis, & sic est relatio rationis secundum esse. At esse Creatoris est esse absolutum, cõceptum à nobis cum modo relativo, & sic dicitur relationem rationis secundum dici.

14. Rursus dividitur relatio in prædicamentalem, & transcendentalem. Variat AA. in explicanda hac divisione: Quidam se expedire putant, dicentes prædicamentalem esse, quæ habet omnes conditiones relationis prædicamentalis; quæ secus, est transcendentalis. Sed præter quàm quod non constat inter DD. de conditionibus requisitis ad prædicamentalem, ut videbimus; adest quod relatio, eis carens, potest esse solum secundum dici, & non transcendentalis; ut relatio fundata in substantia: quare sic dicentes, non benè decidimus dubium, nec benè explicatur divisio.

Thomistæ quam plures docent relationem prædicamentalem esse, quæ per suam entitatem ponitur in prædicamento relationis, unde coincidit cum relatione secundum esse, supra explicata. Relatio autem transcendentalis est illa, quæ divagatur per omnia prædicamenta. Quare non est relatio

latio secundum esse, sed secundum dici. Hæc expositio non tenet; quia multa sunt relationes secundum dici, quæ non sunt transcendentales. Suadetur. Nam relationes fundatæ in substantia, v. g. relatio conformitatis, propinquitatis, distantia unius substantia ab altera, sunt relationes secundum dici, quia in substantia nulla relatio prædicamentalis fundari potest, ut dicemus cum Thomistis: at istæ non sunt transcendentales: ergo non omnis relatio secundum dici est transcendentalis. Probat minor. Relatio transcendentalis debet transcendere fundamentum, ita ut ab eo nequeat separari, nec sine illa cognosci: sed sine illis relationibus potest substantia existere, & cognosci; sicque sunt præscindibiles, & separabiles: ergo transcendentales non sunt.

Hinc dicendum est nobis relationem transcendentalem esse, quæ ita includitur in suo fundamento, ut nequeat ab illo præscindi. Si se habent creaturæ ad Deum; scientia ad objectum; potentia ad actum; actus ad potentiam. Non enim cognoscere poteris creaturam, quin cognoscas relationem, quam dicit ad Creatorem. Ob id vocatur transcendentalis, quia transcendit, & essentialiter includitur in fundamen-

to, ut nequeat ab ipso præscindi. Hanc expositionem putamus de mente D. Thomæ & B. Ægidij, licet nullibi à BB. DD. manifestata sit, ut de D. Thoma observat Prado.

15. Plures differentias utriusque relationis invenies apud AA. sed sine fructu: sat nobis sit quod prædicamentalis per suum esse pertinet ad prædicamentum relationis: unde est relatio secundum esse. Relatio autem, quæ sic non se habet, vel erit transcendentalis, si essentialiter includitur in fundamento; vel secundum dici, si ita non includitur, ut de relationibus, fundaris in substantia, dictum est. Omnis relatio secundum esse est prædicamentalis, & è contra. At licet omnis relatio transcendentalis, sit secundum dici, non autem è contra, quia dantur secundum dici, quæ transcendentales non sunt, ut ostensum est.

Observa cum N. M. Villanova hic quod unica res potest ad eundem terminum dicere duas relationes, unam secundum esse, & prædicamentalem, alteram secundum dici, & transcendentalem. Sit exemplum in potentia visiva respectu coloris; nam si respicit colorem ut existentem, dicit ad illum relationem prædicamentalem mensurati ad mensuram;

si tamen præscindat colorem ab existentia, dicit relationem transcendentalem ad illum. Rursus creatura ut mensurata à Deo, dicit relationem prædicamentalem tertij generis,

quam infra explicabimus. Si tamen consideratur creatura ut talis, dicit relationem transcendentalem ad Creatorem, ut talem. Hæc amplius patebunt ex dicendis quæst. sequenti.

QUÆSTIO OCTAVA.

An detur in rebus relatio prædicamentalis, quotuplex sit, & quas habeat proprietates?

§. I.

Probat communis sententia docens in rebus relationes prædicamentales.

Negarunt in rebus relationes reales prædicamentales N. Bafilus Legionensis in varijs q. s. Scholastica, sequutus Aureolum in 11. Sent. dist. 30. qui hanc sententiam prolixè, & accuratissimè propugnavit. His accedunt N. M. Bernardinus in manuscriptis, ex parte etiam Izquierdo in Pharo, & alij; qui putant relationem solum consistere in extrinseca denominatione intellectus, comparantis unum ad aliud: quare solum admittunt à parte rei fundamentum hujus comparationis. Secunda sententia huic affinis, licet admittat à parte rei relationes reales, dicit quod non tribuunt suum esse

autem formalem, & denominationem relati, independenter à vocibus, & conceptibus nostris. Tertia sententia distinguens in relatione conceptum *in*, & conceptum *ad*, docet quod secundum *in* relatio est quid reale: secundum *ad* est quid rationis. Ita Soncinas & aliqui Thomistæ antiqui. Si autem impugnationes harum sententiarum desideres sigillatim, vide Bajonam q. 8. Logicæ art. 8.

Quarta & vera sententia, quam quidam putant deduci ex principijs fidei, docet dari in creatis relationes reales; nam dari in Divinis reales relationes est de fide, statutum in Concilio Rhemensi sub Eugenio

nio III. Hæc sententia est communis apud omnes DD. qui uno ore fatentur dari in rebus quosdam respectus reales, quibus res invicem referuntur, ut unum album alteri assimilatur, & nigro est dissimile. Cum his sit nostra sententia.

2. Probatur primò ex Arist. 5. Metaphysicæ textu 20. ubi docet relationes primi & secundi generis esse reales ex parte utriusque extremi; secus relationes tertij generis, mensurati ad mensuram, quæ solum ponunt aliquid reale ex parte unius extremi, ut dicemus infra: ergo quia sentit dari in rebus relationem, quæ est quid reale, & non rationis. Rursus lib. de Categorijs ponit relationem, ut prædicamentum divisivum entis realis, quod partitur in decem prædicamenta: ergo quia relatio creata prædicamentalis est quid reale. Rursus juxta Arist. 12. Metaphysicæ textu 52. Bonum ordinis est bonum magnum, post bonum ducis, quod est bonum primi: sed juxta Arist. 6. Metaphysicæ textu 6. bonum, & malum sunt in rebus: ergo ordo, & relatio sunt quid reale.

3. Idem docuit M. P. N. August. dicens relationem in creatis esse accidens reale. Ita de Categ. cap. 8. ait: *Reliquæ novem Categoriæ accidentia sunt.* Et

cap. 10. *Descripta vsia, accidentium diffinitione necessarius ordo posebat.* Et lib. 5. de Trin. cap. 5. *In rebus creatis, atque mutabilibus, quod non secundum substantiam dicitur, restat, ut secundum accidens dicatur: omnia enim accidunt eis, quæ vel amitti possunt, vel minui, ut magnitudines, & quod dicitur ad aliquid sicut amicitia, propinquitates, servitutes, similitudines, equalitates, & si qua ejus modi.* Vbi vides S. D. nedum designare relationes, quæ sunt in rebus, verum dare rationem à priori, qua probatur eas esse accidens, & distingui à fundamento; quia scilicet possunt amitti, & minui, non minuta substantia, nec deperdito subiecto: nam accidens est, quod potest adesse, & abesse sine corruptione subiecti, ut dicitur communiter.

In eodem lib. 5. cap. ultimo dicit S. P. N. *Dei substantia ita dicitur relativè ad creaturam, quod quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipsi substantiæ Dei aliquid accidere intelligitur, sed illi creature ad quam dicitur.* Ex his verbis en argumentum contra primam sententiam. Illa relatio, quam dicit M. P. N. Augustinus accidere creaturæ, vel est denominatio extrinseca, proveniens ab intellectu, comparante creaturas ad Deum; vel est denominatio intrinseca, proveniens à forma reali, intrinsecè existente in creaturæ

ra. Si secundum? Ergo dantur in rebus relationes reales, quæ non consistunt in denominatione purè extrinseca, ut docet prima sententia: nec pendet ab intellectu, ut docet secunda. Si primum? Ergo male concludit Augustinus; quia Deo non repugnat extrinseca denominatio relati, quæ nihil est intrinsecum; quare eodem modo Deus referretur ad creaturam, ac creatura ad Deum, si creaturæ relatio, pura denominatio extrinseca est.

4. Quoniam apud communissimam sententiam relatio causæ ad effectum, & Domini ad servum, est realis; & petit terminum realiter existentem; ideò cum ab æterno non existat creatura, sed in tempore, non dicitur Deus ab æterno Creator, & Dominus creature, sed in tempore: nec sic dicitur per relationem realem, sed per relationem rationis. Hæc communia sunt apud Theologos cum Magistro sententiarum. At M. P. N. Augustinus non audet fateri Deum incepisse in tempore esse Dominum, & quod aliquando non fuerit Dominus, sed humiliter se subtrahit à decisione hujus difficultatis, docens nos, quid facere debeamus, dum certa veritas non apparet, maximè de Deo loquentes.

Audi humillimum Docto-

rem lib. 12. de Civitate Dei cap. 15. dicentem: *Ego quidem, sicut Dominum Deum aliquando Dominum non fuisse, dicere non audeo, ita hominem nunquam antea fuisse, & ex quodam tempore primum hominem creatum esse, dubitare non debeo. Sed cum cogito, cujus rei Dominus semper fuerit, si semper creatura non fuit, affirmare aliquid pertimesco; quia & meipsum intueor, & scriptum esse Credo. Quis hominum potest scire consilium Dei? Aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Cogitationes enim timida, & incerta.*

En Augustinus suspendit sententiam, quia non audet affirmare, Deum unquam non fuisse Dominum. Cui addimus doctrinam D. Thomæ, quæ est etiam N. B. Ægidij circa constitutum Divinæ libertatis, ubi docent, quod licet libertas nostra sit dominium supra nostros actus defectibiles; secus libertas Dei, quia actus ejus sunt ipse Deus, & indefectibiles: quare constituitur per dominium supra terminum actus, scilicet supra creaturam. At nemo audebit dicere Deum ab æterno non liberum: ergo nemo potest dicere Deum ab æterno non Dominum creaturæ.

Ne tamen difficultatem istam tactam, & insolutam reponam, en breviter quid tentas, proponam. Est ergo ab æterno Dominus creaturæ, dominio constituyente Divinam li-

bertatem; & hoc est supra creaturam futuram, quam ab æterno liberè facit futuram, & decernit producere in tempore, sed hoc decernit decreto æterno, quo dominium supra creaturam exercet. At nō est ab æterno Dominus creaturæ existētis, quia hæc non existit ab æterno, sed in tempore. Hoc secundo sensu loquuntur DD. communis sententię; nec illi adversatur dominium æternum creaturæ, constitutivum Divinæ libertatis; quia est supra creaturam, non quoad existentiam, sed quoad futuritionem, quæ ab æterno est.

5. Hæc sententia de relationibus realibus in creatis expressa est in D. Thoma, qui directè probat quod relatio est ens naturæ, & non aliquid rationis 1. p. q. 13. ar. 7. & q. 28. ar. 2. & q. 39. ar. 1. & sc̄pè alias. Sub alio titulo disputatur à B. Ægi. q. 42. super prædicamenta. Eorum authoritates omittimus, quia nemo dubitat de illorum mente.

A ratione probatur ex nostris B. Ægidio, & Ariminensi. Similitudo est relatio: sed similitudo est à natura, & non ab intellectu: ergo relatio in creatis datur realiter, & non per intellectum. Minor patet, quia similitudo est duorum eadem qualitas; & totum hoc est reale, & à natura. Rursus

sicut à natura est albedo in me & in te; sic similitudo in albedine, consistens in eo, quod ego sim qualis tu. Si dicas cum secunda sententia, quod duo alba sunt similia solum fundamentaliter antecedenter ad intellectum: & per solam comparisonem intellectus sunt formaliter similia. Contra est. Nā non idèd unum est alteri simile, quia comparatur per intellectum, sed potiùs idèd intellectus unum comparat alteri, quia est ipsi simile: ergo similitudo formaliter non pendet ab intellectu, sed est à natura, & sic tenet ratio facta.

6. Fortius argumentum desumitur ex Theologia. Nam in Divinis dantur relationes reales: ergo in creaturis. Antecedens est de fide statutum in Concilio Rhemensi sub Eugenio III. Et ratione suadetur: nam in Divinis omnia absoluta sunt unum, & idem; quare, ut dicitur, *ibi omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*; & inde est quod Personę Divinæ constituuntur, & distinguuntur per relationes: sed Personæ Divinæ realiter distinguuntur: ergo relationes Divinæ reales sunt. Consequentia ad creaturas valet, quia si Pater Æternus realiter refertur ad Filium, cur non etiam pater temporalis ad suos filios; causa ad effectum; & sic de alijs?

Ref.

Respondet N. Legionensis solum sequi debere dari in creaturis relationes reales transcendentes, non autem prædicamentales. Secundò respondet, nec hoc probari, quia relatio transcendentalis datur inter duo extrema, quorum unum non manet, pereunte alio: quod non contingit in creaturis. Tertio respondent alij, negando consequentiam, quia dicunt antecedens esse certum, & nobis revelatum: ex quo non licet inferre ad creaturas, de quibus nil certum. Sic licet Filius in Divinis sit consubstantialis Patri, non sequitur idem dicendum de creaturis. Istæ sunt solutiones hujus fundamenti, sed nulla satisfacit.

Contra primam adest, quod jam admittit in creaturis relationes reales transcendentales: ergo si adsint conditiones etiam ad prædicamentalem, tenetur eam admittere in creaturis. Atqui in creatis adsunt conditiones pro relatione prædicamentali, ut patet ex dictis, & infra constabit: ergo dantur in creatis relationes prædicamentales reales. Rursus idèd relationes Divinæ sunt prædicamentales, quia fundantur in actione, & passione, ut in generatione activa, & passiva: sed idem accidit paternitati, & filiationi creatæ: ergo sunt relationes prædicamentales. Con-

tra secundam solutionem stat M. P. N. Augustinus lib. de Categ. cap. 11. dicens: *Duplum & simplum, alterutrum se vel per i. munt, vel ostendunt: apparente enim duplo, nascitur simplum, dupla pereunte, nec simplum poterit manere. Ecce in creaturis unum relativum non manet sine alio. Imò hoc dicit esse necessarium ad veram, & realem relationem, nā ait ibidem: Tunc ergo verè & propriè ad aliquid dicitur, cum sub uno ortu, atque occasu, & id quod jungitur, & id cui jungitur, invenitur; ut puta servus, & Dominus: utrumque vel simul est, vel simul non est. Imò ex hoc principio philosophico, ut noto in creaturis, impugnat Arium, ponentem Filium incepisse in tempore à Patre Æterno, & non esse coæternum Patri: ait enim sic lib. 2. de Symbolo cap. 3. *Si das initium Filio, das initium & Patri. Pater enim à Filio appellatus est Pater.* Hinc evertitur tertia solutio. Nam SS. PP. explicarunt relationes Divinas per exemplum relationis creatę, ut patet ex dictis ex M. P. N. Augustino, & ex eodem Epist. 66. & 5. de Trin. cap. 5. *Quare si negantur relationes creatæ, ruit fundamentum explicandi Divinas.* Sicut enim scimus substantiam creatam dari, & realiter distinguì à substantia; & hoc scimus per revelationem Mysteriorum Incarnationis: sic debemus*

mus Trinitati revelatæ certitudinem sententiæ nostræ de realitate nostrarum relationum.

7. Præcipuum fundamentum primæ sententiæ tactum, & solutum est quæst. præcedente num. 9. Alia plura adducit Aureolus, quæ solum probant, quòd relatio non distinguitur realiter à fundamēto, de quo infra. Noster autem Legionensis plura objicit, sed teste N. Mag. Villanova, nil convincit. Nam primò citat verba Arist. quæ non inveniuntur. Secundò adducit verba Commentatoris, quæ non sunt ex propria ejus sententia. Tertio, verba Averrois, quibus probatur relativa esse simul cognitione. Quarto, verba ejusdem, dicentis relationem esse debilissimæ entitatis. Quintò, verba Anselmi, docentis relationem posse advenire subiecto sine sui mutatione: quæ omnia vera sunt, quare nil adducit contra nos. Pro secunda sententia nil speciale est.

8. Pro tertia sententia argues sic. Relatio creaturæ ad Deum, ut dicitur *ad*, est ens rationis: ergo idem de alijs. Probatur antecedens. Si esset quid reale, esset quid creatum; & sic dependeret à Deo per aliam relationem; & cum de ista sit idem argumentum; dabitur processus in infinitum;

ergo secundum conceptum *ad* non est quid reale, sed rationis. Confirmatur 1. Relatio refertur ad subiectum, in quo est: ergo refertur per aliã relationem; & hæc per aliã, & sic in infinitum: sed in entibus realibus non potest admitti processus in infinitum, bene verò in entibus rationis: ergo relatio est quid rationis. Confirmatur 2. Si relatio secundum conceptum *ad* esset quid reale, non posset multiplicari relatio, nisi multiplicaretur realitas, sicut quia homo est rationalis, nequit multiplicari homo, nisi multiplicetur rationalitas: sed in Deo multiplicatur relationes, quin multiplicentur realitates; sunt enim in Deo quatuor relationes, & non sunt in Deo multæ realitates, nec res relatæ: ergo &c.

Tertio, relatio filiationis Christi D. ad B. Virginem Matrem est rationis: sed hæc est ejusdem rationis cum alijs: ergo omnes sunt rationis. Quarto, si relatio esset quid reale, esset aliquid: sed conceptus *ad* relationis non est aliquid: ergo non est quid reale. Probatur min. tum ex dictis q. 1. num. 1. Tum quia si esset aliquid, esset substantia, vel accidens: at non est substantia, ut patet: nec accidens, quia hoc habet *in*, cum sit ens in alio

alio; & conceptus *ad* non est *in*: ergo &c. Hujus confirmationis doctrina est D. Thom. & N. B. Ægidij, ut videbis quæ præcedente num. 10.

9. Hæc levia sunt. Ad argumentum nego antecedens: ad probationem ejus, nego min. nam, ut relatio dependeat à Deo, non eget alia relatione distincta, sed per se ipsam refertur, & dependet. Sic differentia faciens differre alia, per se ipsam differt ab alijs; quia quod est ratio formalis respectu aliorum, est ratio formalis respectu sui. Solutio est N. B. Ægidij Quodlib. 4. q. 3. ex qua ad confirmationem primam patet.

Ad secundam dic, quòd in rebus absolutis nequit dari multiplicatio, quin realitas multiplicetur; secus in relativis. Ratio est: quia ex diverso capite habet relatio quòd sit realitas, & quòd sit relatio. Est realitas ratione fundamēti; est relatio per ordinem ad terminum. Quo fit, ut stante eodem fundamento, potest multiplicari relatio per solam multiplicationem termini. Sic stante in Petro eadem albedine, si ponas in Paulo aliam, erit relatio similitudinis Petri ad Paulum. Si à Paulo tollas albedinem; & ponas nigredinem, erit in Petro relatio dissimilitudinis. De hoc latè quæst.

sequenti. Pro nunc nego maj. secundæ confirmationis propter dicta, & dicenda.

Ad tertiam Thomistæ cōcedunt majorem, & negant minor. quia Christus est Persona Divina, quæ nequit dicere relationem realem ad creaturam: alij verò filij sunt quid creatum, & sic realiter referuntur ad suos parentes. At N. B. Ægidius in 3. Sent. dist. 8. par. 3. q. 1. art. 2. Et ibi N. Argentinas, docent relationem Christi ad Sanctissimam Matrem esse realem. Unde juxta hanc sententiam neganda est major confirmatio. Ad quartam confirmationem utere doctrina data quæst. præcedenti num. 10. Et vide quæst. sequentem.

§. II.

Explicantur relationes primi generis fundatæ in unitate, & numero.

10. **P**ROBATO dari in rebus relationem realem prædicamentalem, restat videre quotuplex sit. Aristoteles eam dividit in tres species, quas vocat relationes primi, secundi, & tertij generis. Nam aliæ fundantur in unitate, & numero, & hæc sunt primi generis. Aliæ fundantur in actione, & passione; & hæc sunt secundi generis. Aliæ in mensura, & mensurabili; & hæc sunt tertij generis.

Et quoniam ad plura conducit notitia hujus divisionis, idè per partes explicanda est; & in hoc §. crit sermo de sola prima specie.

Vt ergo relationes primi generis explicemus, nota, quòd datur duplex unitas, sicut & duplex numerus. Unitas transcendentalis, quæ est passio entis, vi cuius quodvis ens est unum. Ex hac unitate fit numerus transcendentalis, qui est multitudo entium. Alia est unitas prædicamentalis, quæ est effectus quantitatis molis, & solum datur in rebus corporeis. Ex hac constat numerus prædicamentalis, qui est species quantitatis discretæ, ut supra dictum est q. de Quantitate. Dum ergo Philosophus dicit, quòd relationes primi generis fundantur in unitate, & numero, dubium est, an loquatur de unitate, & numero prædicamentali- bus?

II. N.M. Villanova, cum aliquibus respondet affirmativè. Et suadetur, quia supra unitatem, & numerum transcendentalem, fundatur relatio transcendentalis: ergo relatio prædicamentalis debet fundari supra unitatem, & numerum prædicamentalem. Nihilominus oppositum videtur verius. Nam ex sententia contraria sequeretur, quòd in fo-

la quantitate fundaretur relatio, cum unitas prædicamentalis sit passio solius quantitatis: at etiam fundantur relationes prædicamentales in qualitate: ergo fundantur in unitate, & numero transcendentalibus. Revera dubium ferè nullum est, quia omnes DD. concorditer asserunt unitatem, & numerum hic sumi pro convenientia, & disconvenientia. Hanc voca quomodo volueris prædicamentalem, vel transcendentalem.

Observa, quòd convenientia, & unitas in substantia, est identitas; in qualitate est similitudo; in quantitate est æqualitas. Quare relationes omnes identitatis, æqualitatis, & similitudinis sunt primi generis, fundatæ in unitate. Numerus autem, & disconvenientia in substantia, est distinctio; in quantitate est inæqualitas, in qualitate est dissimilitudo. Quare relationes omnes distinctionis, inæqualitatis, & dissimilitudinis, sunt relationes primi generis, fundatæ in numero. At quoniam Deus distinguitur à creaturas & una substantia creata differt ab alia, quæ relationes videntur prædicamentales, fundatæ in numero. Rursus cum duæ paternitates sint similes, & sic relatæ relatione fundata in unitate; tria disputantur hic à

DD

DD. An scilicet possit fundari relatio prædicamentalis in Deo? An in substantia? An in relatione? Quæ breviter decidemus.

12. Circa primum affirmant relationem realem in Deo fundatam ad creaturas N. Viterbiensis, Tolertanus, Ariminensis, Sciera, & Massa, citati à N. Villanova hic dub. 9. cap. 3. quos sequuntur ex R.R. Hurtado, Aversa, & aliqui. Contraria sententia docetur à Thomistis cum D. Thoma, & à reliquis nostris DD. cum B. Egidio in 1. Sent. dist. 30. par. 1. quæst. 1. art. 2. Et est sententia communissima. Probatur à multis, quia si adveniret Deo relatio realis in tēpore ad creaturas, mutaretur intrinsicè, & foret compositus ex suo esse, & ex relatione adveniente; quæ omnia repugnant summæ simplicitati, & immutabilitati Dei. Hæc ratio in nostris principiis non urget, quia, ut videbimus, relatio advenit, aut deperditur sine mutatione subjecti. Nec facit compositionē cum subjecto, ut dicemus q. seq.

Vera probatio sententiæ communis sumitur ex Beato Egidio, qui cum Philosopho hic docet, quòd mensura nō dicit relationem realem ad mensuratum, sed solam relationem rationis: atqui Deus

est mensura creaturæ, nec potest Deus concipi relatè ad creaturam, nisi ut mensura illius: ergo in Deo nequit fundari relatio realis ad creaturam. Adde pro prædicamentali ex dicendis: quòd supra substantiam nequit fundari relatio prædicamentalis: sed quidquid in Deo est, substantia est: ergo in Deo nihil est, supra quod fundari possit relatio prædicamentalis. Hinc est quòd Deus dicitur realis causa, & Creator creaturæ; ceterum non refertur realiter ad illam, sed per rationem; quare realitas denominationis causæ fundatur supra realem causalitatem, & actionem Dei, qua facit creaturam sibi realiter relatam.

Contra hæc objicit N. Ariminensis P. N. Augustinum, & alios PP. docentes Deum referri ad creaturas. Ceterum id non negamus, sed dicimus referri per rationem, cuius contrarium non dicunt PP. Objicit secundò, quòd inter causam, & effectus datur relatio realis fundata in actione, & passione: sed Creator, & creatura, sunt causa, & effectus: ergo &c. Respondemus majorem esse veram, quando causa agit ut mota, secus quando à nullo movetur; & talis est Deus, cuius relatio non est tam causæ, quam mensuræ

ra, & sic est relatio rationis. Solutio est N. B. Ægidij ubi supra in solutione ad secundum, ubi ait: *Cum agens agit actum, & movens motum, tunc est relatio in utroque extremorum realiter; quia tunc sic relativa non re-ducuntur per se ad mensuratum, & mensuram. Deus autem non motus movet, non actus agit.*

13. Circa secundum dicendum est, quod supra substantiam nequit fundari relatio prædicamentalis. Ita N. B. Ægidius Quodlib. 4. quæst. 8. & sæpè aliàs. Eum sequuntur DD. nostri citati à Villanova, estque sententia Thomistarum cum D. Thoma. Probat. Nam relatio prædicamentalis, & secundum esse, est quæ per suum esse est in prædicamento relationis: sed substantia nequit esse in tali prædicamento, quod numeratur inter novem accidentia: ergo in substantia nequit fundari relatio prædicamentalis. Hæc ratio supponit, quod relatio non est entitas, distincta à fundamento, quod probabitur quæst. seq. Confirmatur. Substantia est ens per se, & ad se: sed in ente ad se nequit fundari relatio, quæ est ad aliud: ergo idem. Observa, quod in quantitate, & qualitate fundatur relatio prædicamentalis, quæ non est realitas, sed quidditas distincta

à fundamento, secus in substantia. Disparitas est, quia relatio est prædicamentum accidentale perens in: sed hoc in solum potest haberi ratione fundamenti: ergo cum non possit haberi à fundamento substantiæ, benè autem à quantitate, & qualitate; ideò &c.

Contrariam sententiam docet Scotus, quem aliqui sequuntur. Probat ex Philosopho 5. Metaph. textu 20. dicente: *Ex uno enim omnia dicuntur: eadem enim sunt, quorum substantia est una; similia, quorum est una qualitas; equalia, quorum quantitas est una:* ergo sentit Philosophus, quod sicut relationes similitudinis; & æqualitatis, sunt prædicamentales; sic relationes identitatis fundatæ in substantia. Respondetur Philosophum ibi explicuisse suam mentem, dixit enim *Quare hæc universa ad aliquid dicuntur, non tamen eodem modo.* Dicendum est relationem fundatam in unitate, esse realem: attamen si unitas sit in quantitate, vel qualitate, erit relatio prædicamentalis: si tamen unitas in substantia; erit relatio realis, ceterum solum secundum dici: & in hoc stat ly *non tamen eodem modo.*

Arguunt secundò. Si Deus crearet substantiam sine aliquo accidente, diceret relationem realem ad Deum produ-

ducentem: sed relatio producta est prædicamentalis, fundata in passione: ergo hæc fundaretur in substantia. Respondetur, quod tunc relatio illa foret transcendentalis, & secundum dici. Hinc colliges quod creaturæ dicunt ad Deum duas relationes, unam prædicamentalem secundi, aut tertij generis; cujus fundamentum sunt accidentia creaturæ; ut à Deo producta, & mensurata: alteram transcendentalem, & secundum dici, fundatam in substantia producta. Verius tamen dicendum, esse unicam prædicamentalem, fundatam in toto esse creaturæ, constante ex substantia; & accidentibus.

14. Circa tertium, dicendum nobis est unam relationem non posse fundari supra alteram. Ita N. B. Ægidius quæst. 4. de Esse & essentia 5. *Secunda via.* Et est communior sententia. Probat. Quia quod est formaliter tale, nequit esse tale per participationem; lux enim nequit esse lucida, & visibilis per aliam lucem: sed relatio est formalis ratio referendi: ergo nequit relatio referri per aliam relationem; & sic nequit una relatio fundari supra aliam, & illam referre. Rursus: Relatio ratione sui non est substantia, vel accidentis, ut dictum est,

& amplius constabit; quare debet esse unum ex istis ratione fundamenti: sed si fundaretur supra aliam relationem, nil horum esset ratione fundamenti, ut patet: ergo &c.

Contrariam sententiam tenent Scotus, Suarez, Scotista, Moneda, & alij. Probat, quia duæ relationes paternitatis in abstracto, sunt similes: ergo referuntur per relationem similitudinis diversâ, supra illas fundatam. Sed contra: Nam sequeretur dari in Divinis infinitas relationes; quod est absurdum. Pater sequela. Quia relatio Paternitatis est dissimilis relationi Filiationis: ergo est dissimilis per relationem dissimilitudinis, distinctam à Paternitate, & Filiatione. Et cum de illa relatione dissimilitudinis comparata cum alijs, possit inquiri, an esset similis, vel dissimilis; daretur processus in infinitum in divinis relationibus. Hæc ratione etiam probatur nostra sententia. Et ad fundamentum contrariam respondetur, duas relationes paternitatis esse similes, & relatas per se ipsas: nam quod est ratio referendi aliam, est ratio respectu sui. Observa quod paternitas in eo casu habet quod sit relatio, quod sit similitudo aliarum Paternitatum, & quod sit Pa-

§. III.

ternitas. Sub duobus primis conceptibus respicit aliam Paternitatem, sed non sub ultimo; quia Paternitas, ut talis, solum habet pro termino formali relationem filiationis, aut filium.

Objicies secundò. Proportionalitas est similitudo proportionum; & sic est relatio, quia omnis similitudo relatio est: sed proportiones sunt relationes: ergo supra relationem fundatur relatio. Respondemus, quòd proportionalitas nò est similitudo relationum proportionis, sed est similitudo rerum, quæ stant sub relatione proportionis. Sic ubicatio dicit corpus sub ordine ad locum, & idè similitudo inter duo ubi, non est similitudo inter duas relationes ad locum, sed est similitudo duorum corporum, quatenus ubicantur, sunt similia, & dicunt relationem conformitatis ad locum. Et hæc de his tribus dubijs; unde colliges, quòd relatio prædicamentalis solum fundatur in quantitate, qualitate, actione, & passione. Quæ in quantitate, & qualitate fundantur, sunt primi generis, fundati in unitate, & numero: aliæ vero sunt secundi generis, de quibus §. seq.

Explicantur relationes secundi generis, fundatæ in actione, & passione.

15. **R**ELATIONES secundi generis dicuntur, quæ fundantur in actione, & passione; vel in potentia agendi, & potentia patiendi. Tales sunt patris ad filium, & filij ad patrem; causæ ad effectum, & effectus ad causam; moventis ad mobile, & mobilis ad movens. Quæ relationes patris, causæ, & moventis, fundantur supra actionem generativam, causativam, & motivam: relationes autem filij, effectus, & mobilis, fundantur supra passionem, qua terminant actionem patris, causæ, & efficientis. Observa, quòd sicut in patre est potentia activa ut generet, sic in filio est potentia passiva, ut generetur. Observa etiã, quòd actio, & passio sunt eadem entitas, ut dicemus infra, & uberius 3. Physicorum. Hæc entitas, ut egreditur ab agente, est actio; prout verò terminatur ad effectum, est passio. His notatis.

Magna difficultas est in explicando fundamento relationis Paternitatis. Nam in Patre

tre datur substantia Patris, quæ est principium radicale generandi. Datur virtus proxima generativa, quæ est accidens de genere qualitatis, ut dicemus lib. 2. Physicorum. Rursum datur actio generativa, quæ est accidens de prædicamento actionis; maxime ut includit alterationem. Dubiũ est, in quoniam ex his fundatur relatio Paternitatis?

P. Suarius docet fundari in substantia Patris. Probat, nam semper manet Pater, tractata actione generativa; & sæpè manet in esse Patris, etsi deperdat virtutem generativam: sed relatio nequit manere, deficiente fundamento: ergo si pereunte actione, & potentia generativa, manet relatio Paternitatis; hæc fundatur in substantia Patris, quæ sola manet. Hæc sententia est contra N. B. Ægidium, apud quem nulla relatio prædicamentalis fundatur in substantia, ut vidimus num. 13. Nec urget ratio Suarii: quia vel nunquam deperditur vis generativa Patris, sed impeditur à contrarijs qualitatibus: vel deperdita, Paternitas redditur relatio secundum dici, & cessat esse prædicamentalis.

Pro eadem sententia objicit nobis Moneda, D. Thomam negantem in Christo duas filiationes, quia relatio

filiationis immediatè fundatur in supposito; & in Christo non est duplex suppositum, sed unicum. Atqui suppositum est substantia: ergo relatio filiationis, quæ prædicamentalis est, fundatur in substantia de mente D. Thomæ. Imprimis hanc sententiam non defendunt Ægidiani, quia D. N. in 3. Sent. dist. 8. quæst. 1. art. 2. & ibi Argentinas noster cum alijs docet in Christo duas relationes filiationis, unam ad Patrem æternum, aliam ad Matrem Virginem; quia licet sit in Christo unicum suppositum, & una Persona tantum, eò quòd *Non duo, sed unus est Christus*; at est duplex natura, Divina, & humana; & relatio non fundatur supra solum suppositum, sed supra suppositum habens naturam, quæ cum in Christo Domino duplex sit, fundat duplicem filiationem in eodem supposito. In neutra utriusque Beati Doctoris sententia relatio fundatur supra substantiam suppositi, aut naturam immediatè, sed mediatè; median- te scilicet passione, aut generatione passiva. Quare cessat argumentum.

17. Thomistæ R.R. de quo latè PR. Complutenses docent fundari in actione, & passione. Ceterum contra hæc sententiam N. Villanova citat:

N. B. Egidium, nostros Ariminensem, Argentinatem, & alios, quos sequitur, impugnans sententiam istam sic. Relatio, quando manet, debet manere illius fundamentum: sed actio generativa transit, & non manet; ratio autem Paternitatis durat: ergo in illa non fundatur ratio Paternitatis.

Ob hæc Scotus cum suis docet Paternitatem fundari in potentia generativa. Sic sentit etiam Rubius. Sed contra: nam ratio ad terminum determinatum non potest fundari supra fundamentum indifferens: sed potentia generandi est indifferens ad hunc, vel illum filium generandum, & solum determinatur per actionem generativam: ergo potentia generandi non est fundamentum relationis paternitatis.

Nobis autem dicendum est, relationem paternitatis fundari supra potentiam generandi, ut determinatam per actionem generativam. Ita N. Villanova. Probatur primo ex dictis à sufficienti partium enumeratione. Secundo ex B. Egidio 3. Metaphysicæ textu 20. ubi ait: *Activa verò, & passiva secundum potentiam activam sūt, & actiones potentiarum.* En activum non est tale, nec dicitur relativè secundum potentiam activam tantum, sed ratione

utriusque, scilicet potentia & actionis potentia. Observa, quod activum relativè ad agibile ut sic, solum dicit relationem transcendentalem; si verò respiciat agibile tale, & existens, dicit relationem prædicamentalem. Ratio hujus est, quia ratio prædicamentalis petit terminum existentem; secus transcendentalis, ut dicemus §. sequenti.

§. IV.

Explicantur relationes tertij generis, nec non conditiones, & proprietates relationis prædicamentalis.

18. **T**ERTIA species relationis est illa, quæ mensuratum dicit ad suam mensuram. Non loquimur de mensura rigorosa, qualis est ulna respectu panni, sed de mensura analogicè tali, hoc est de principio extrinsecè mensurante perfectionem alicujus rei. Talis est Deus respectu creaturarum; color respectu potentia visiva; bonum respectu voluntatis. Hæc relatione tertij generis referuntur omnes scientia ad sua objecta; omnes potentia ad objecta sua; omnes creatura ad Deum Creatorem; omnes servi ad dominum suum.

Sed notandum quod istæ

relationes tertij generis non sunt mutua, bene verò primi, & secundi generis. Non enim minus Pater refertur ad Filium, quàm Filius ad Patrem; & sic de alijs relationibus, supra explicatis. Ceterum licet creatura dicant relationem reale ad Deum Creatorem; Deus autem non realem, sed rationis relationem dicit ad creaturam; quia non possumus cognoscere Deum ut mensuram, quin cognoscamus esse alicujus rei mensuram. Sic etiam licet scientia, & potentia dicant relationem realem ad objectum, à quo mensuratur; objectum autem, quod est mensura, non dicit relationem realem, sed rationis ad scientiam, & potentiam.

Hujus plures rationes assignantur: sed eis omisis, en potissima, scilicet, quia licet mensurabile dependeat à mensura, mensura verò non pendet à mensurabili: atqui hæc tertia species relationis dicit dependentiam fundamenti à termino: ergo licet mensurabile realiter referatur ad mensuram, non è contra. Ob id creatura referuntur realiter ad Deum, secus Deus, qui independens est à creatura. Observa doctrinam datam intelligi de mensura extrinseca, realiter distincta à mensurato: non de intrinseca, & indistin-

cta, qualis est *animal rationale*, respectu hominis. Ratio est, quia ratio realis petit extrema, realiter distincta: mensura autem indistincta, non distinguitur à mensurato. Hic quaeritur, an divisio relationis in tres species explicatas, sit univoca, & adæquata? Respondemus affirmative contra quosdam, qui sine urgenti motivo recedunt à communi sententia.

19. Quatuor sunt conditiones desideratæ ad relationem prædicamentalem, & quilibet deficiente, ratio erit vel rationis, vel transcendentalis, aut secundum dici. Prima est, quod ejus fundamentum sit aliquod accidens. Hæc non admittitur ab omnibus; ceterum probatur ex dictis hic num. 13. Probatur 2. ex dicendis quaest. seq. Nam ratio non est realitas distincta à fundamento: ergo nequit esse accidens, & computari inter prædicamenta accidentis, nisi ratione fundamenti. Sed ad hoc est necesse, quod fundetur in aliquo accidenti: ergo sic fundatur.

Secunda conditio est distinctio realis inter extrema relata. Sic docetur ab omnibus. Et ratio est, quia ejusdem ad se ipsum non datur ratio realis, sed rationis. Item ratio est ordo unius ad aliud:

ergo relatio realis est ad aliud, realiter aliud. Ergo petit extrema realiter distincta relatio prædicamentalis, quæ realis est.

Tertia conditio est, quòd utrumque extremum relationis sit realiter existens. Hæc negatur ab Arimin. Soncinare, & alijs, sed est expressa in P. August. qui lib. de Categ. cap. II. dicens se velle relationem rigorosè diffinire, ait: *Tunc ergo verè & propriè ad aliquid dicitur, cum sub uno ortu, & occasu, & id quod jungitur, & id cui jungitur invenitur, utputà servus, & dominus: utriusque enim vel simul est, vel simul non est. Etenim cum Dominum dixeris, necessariò existet & servus: cum enim Dominum tuleris, nec servus apparet.* Ob id dicitur, quòd relatio non habens terminum existentem, est transcendentalis.

Quarta conditio est, quòd ratio fundandi sit realiter distincta in utroque extremo. Colligitur ex secunda conditione, quia si relatio petit extrema distincta, sic in utroque distinctam rationem fundadi. Pone Petrum similem Paulo in albedine. Dicimus, quòd ut relatio similitudinis sit realis, nedum Petrus debet differre à Paulo, sed albedo Petri ab albedine Pauli. Est doctrina Thomistarum, & nostra, qui dicimus cum D. Thoma,

& B. Egidio, Patrem æternum non esse realiter similem Filio suo relatione reali: quia licèt Pater realiter differat à Filio; at ratio fundandi similitudinem, est natura Divina, quæ non est distincta in Filio à natura Patris, sed eadem in utroque.

20. Quatuor item proprietates relationis prædicamentalis assignantur communiter. Prima, quòd relatio nō habet contrarium. Hæc maximè ostēditur in nostris principijs. Nam relationes similitudinis, vel dissimilitudinis, fundatæ in qualitate albedinis, vel nigredinis, ratione sui formaliter non sunt entitas, sed ratione sui fundamenti: ergo ratione sui non habet contrarium, sed ratione fundamenti, quia fundantur in qualitate, quæ suscipit contrarietatem. Rursus juxta Aristot. 5. Physicorum ad relationem nō datur per se motus: sed motus datur per se, ubi adest contrarium: ergo quia juxta Philosophum relatio non habet contrarium.

Secunda proprietas est, quòd relatio non suscipit magis & minus. Hæc constat ex præcedenti. Nam quòd Petrus sit magis, vel minus similis, non nascitur ex relatione, sed ex fundamento, quia magis, vel minus habet de albedine,

&

& qualitate; quare licèt dicatur magis vel minus similis, non tamen magis vel minus relatus: ergo quia relatio ratione sui formaliter non suscipit magis & minus.

Tertia proprietas est, quòd relativa dicantur ad convertentiam: valet enim, & mutuo inferuntur: datur Pater: ergo datur Filius: datur Filius: ergo & Pater. Hinc sequitur quarta proprietas, scilicet quòd relativa sunt simul natura, & cognitione. Quæ omnia constāt ex suprā dictis, & sunt expressa doctrina Aristot. & P. August. locis datis.

21. Observa hinc doctrinam, quam difficile ab aliquibus explicatam vidimus. Omnis causa est correlativa sui effectus: & cum correlativa sint simul natura, & cognitione; fit ut omnis causa sit simul natura, & cognitione cum suo effectu. Ex alia parte non videtur sic. Quia apud omnes Philosophos omnis causa est prior natura suo effectu. Quare cum Pater æternus non sit prior natura suo Filio; idè negatur esse causam Filij, & dicitur principium ejus: quæ vox principium, nec petit prioritatem naturæ, & in quo, sed solum à quo, & originis, ut dicunt PP. & DD. nec dicit limitationem, & de-

pendentiam termini à principio, quam dicit vox causa. Si ergo causa est prior natura suo effectu; quomodo est correlativa effectus, & simul natura & cognitione cum effectu?


Respondeo, quòd esse causæ potest sumi dupliciter, vel ut est absolutum in se existens; vel ut est fundamentum relativum ad suum effectum. Primo modo causa est prior natura effectu, quia prius est effectum contineri in causa, quam produci à causa; nemo enim producit nisi quòd præcontinet. Secundo modo causa est simul natura cum effectu, quia est correlativa effectus; & correlativa sunt simul natura & cognitione. Nec implicat unum & idem, diverso modo sumptum, esse prius natura, & simul natura: quare causa absolutè sumpta, est prior; relativè accepta, est simul natura cum effectu.

22. Ultra illas quatuor proprietates, communi calculo explicatas, alias adducit Villæ nova ex principijs nostræ scholæ: quare quinta est, quòd relatio non est res respectu fundamenti, sed ratio; relatè autem ad terminum est res. Probatur, quia juxta N. B. D. relatio solum est res ratione fundamenti: ergo sicut fundamentum relatè ad terminum est res, sic relatio. At respectu fun-

da-

damenti relatio non est res distincta, sed quidditas, ut dicemus: ergo ratione sui solum est quidditas respectu fundamenti. Hinc oritur sexta, scilicet, quod relatio adest, & abest sine mutatione fundamenti. Patet, quia nil mutatur, nisi acquirēdo vel deperdēdo realitatē: at relatio nō est realitas respectu fundamenti: ergo adest, & abest sine mutatione illius. Inde colligitur septima. Nam reliqua prædicamenta, ut unum distinguant ab alio, faciunt compositionem; v. g. actio distinguit

agentem à seipso non agente; sed sic distinguens, facit agentem compositum ex sua entitate, & actione. Relatio autem distinguit fundamentum relatum à seipso non relato; sed non facit compositionem cum fundamento. Hæc omnia pendent ex sententia N. B. Egidij docentis relationem non esse entitatem, realitatem, vel modum distinctum à fundamento: esse tamen quidditatem realiter distinctam. Pro cuius explanatione sit.



QUÆSTIO NONA.

Utrum relatio distinguatur realiter à suo fundamento

§. I.

Proponuntur fundamenta sententiæ affirmantis.

Affirmat Thomistæ RR. quos longo catalogo refert Bajona in presenti: pro eadem sententia allegantur antiqui, quorum mentem prolixè expendit P. Vallius, ostendens quosdam non tenuisse distinctionem realem strictam rei à re, sed vel modalem, vel formalem ex natura rei, quam ipse latissimè

propugnat. Scotus cum suis docet quasdam relationes distinguere realiter à fundamento, ut relationes similitudinis, & æqualitatis, & generaliter quæcumque non manent per ablationem solius termini: alias verò non distinguere, ut relatio creaturæ ad Deum, partis ad totum, & totius ad partem. Ex nostris sunt pro hac sententia affir-

affirmante Paulus Venetus ingeniosissimus, apud quem brevitate, & claritate invenies quæcumque excogitari possunt pro confirmanda hac sententia.

Ex ipso argues primò auctoritate Philosophi 5. Metaphysicæ dicente, quod unum in substantia facit idem; unum in quantitate, facit æquale; in qualitate simile: sed nihil facit seipsum: ergo æqualitas non est quantitas, nec similitudo qualitas, nec identitas est substantia, sed aliquid aliud: & consequenter relatio distinguitur à fundamento. Confirmatur ex Philosopho 5. Physicorum dicente ad relationem nō dari per se motum; tum quia relatio ex se non habet contrarium; tum quia potest adeste sine mutatione subjecti: sed quantitas nequit adeste substantiæ sine mutatione ejus: ergo relatio nō est quantitas, aut qualitas; sed quid distinctum à fundamento.

Confirmatur secundo: Omnis quantitas est æqualis, vel inæqualis; quia hoc est proprietas ejus: sed nulla æqualitas est æqualis, vel inæqualis; sicut nulla caliditas est calida; quia nil de seipso prædicatur adjectivè, vel denominativè: ergo nulla æqualitas est quantitas; unde relatio æqualitatis distingui-

tur à quantitate fundante. Tertiò: Potest minui albedo, & augeri relatio similitudinis supra albedinem fundata: ergo relatio similitudinis distinguitur à qualitate fundante. Patet consequentia, quia alioquin si identificarentur, æquè crescerent, & minuerentur. Probatur antecedens. Pone in Petro sex gradus albedinis, erit similis Paulo habenti quatuor. Tolle à Petro duos gradus, ut sic maneat cum quatuor; tunc tollis, & diminuis albedinem Petri; sed auges similitudinem: nam major est similitudo Petri, & Pauli, si uterque habeat eisdem gradus albedinis, quam si unus plures habeat quam alter.

2. Argues secundo cum eodem pro hac sententia. Petrus per eandem albedinem est similis Paulo, & dissimilis corvo: ergo si similitudo, & dissimilitudo identificantur cum albedine, etiam identificantur inter se, juxta illud principium: *Quæ sunt idem cum uno tertio &c.* Sed similitudo non est idem cum dissimilitudine, ut patet, quia sunt contradictoria, aut saltem contraria: ergo falso dicitur relatio similitudinis identificata cum fundamento.

Confirmatur primò ex Philosopho docente 1. Physicorum quod subjectum non est sua privatio, quia cor-

rupta privatione, manet sub-
e etum: sed si maneat in solo
Petro albedo, deficit similitu-
do ex solo defectu termini; non
tamen deficit albedo Petri, quæ
erat fundamentum relationis
similitudinis: ergo quia rela-
tio similitudinis differt à fun-
damento. Hæc ratio fundatur
in illo principio, Quæ realiter
separantur, realiter distinguū-
tur. Confirmatur secundò: Ni-
hil est fundamentum sui ipsius:
sed quantitas, & qualitas, sunt
fundamentum relationis: ergo
relatio distinguitur à quanti-
tate & qualitate. Tertio: Nul-
la entitas absoluta est entitas
respectiva: sed relatio est quid
relativum, & fundamentum
est quid absolutum; cum su-
pra relationem non fundetur
relatio, ut dictum est: ergo
nulla relatio identificatur cum
fundamento.

3. Hæc sententia vi-
detur expressa in D. Thoma 1.
p. q. 28. art. 2. ubi ait: *Sicut in*
creaturis in eo quod dicitur relativè,
non solum invenitur respectus ad alte-
rum, sed aliquid absolutum, ita in
Deo: sed aliter, nam id quod invenitur
in creatura præter id quod continetur
sub significatione nominis relativi, est
alia res, in Deo autem non est alia res.
En duo: Primò discrimen in-
ter relationes Divinas, & crea-
tas, quòd Divinæ non distin-
guuntur realiter à fundamēto;
benè verò in creaturis, Secun-

dò docet distinctionem illam
esse realem entitativam, nam
dicit quòd relatio est alia res.

Confirmatur ex eodem
S. Doct. q. 8. de Potentia art.
2. ubi ait: *Substantia creata non*
potest sibi identificare relationem, quia
est diffinita ad tale genus: in quo differt
à substantia Dei, quæ cum infinita sit,
& super omnia genera, potest alia sibi
identificare. En iterum discrimen
Dei à creaturis quoad suas re-
lationes, & en ratio proba-
tiva hujus discriminis, nempe
infinitudo Dei, & limitatio
creaturæ. Ex quo à ratione sic.
Nulla substantia finita potest
identificare rem alterius præ-
dicamenti, distincti à substan-
tia; alioquin non esset finita
intra limites substantiæ, si ali-
quid extra tales limites secum
identificaret: sed plures rela-
tiones prædicamentales fun-
dantur in substantia, ut relatio
identitatis specificæ inter Pe-
trum & Paulum, & relatio di-
stinctionis specificæ inter Pe-
trum, & equum: ergo tales
distinguuntur à fundamento
suo juxta D. Thomam, & ve-
ritatem. Idem docuit S. Tho-
mas pluribus locis, præcipuè
in 1. Sent. dist. 4. q. 1. art. 1.
ad 3. ubi ait: *Nulla relatio est sub-*
stantia in creaturis. Et dist. 20. q.
1. art. 1. & quarto contra Gē-
tes cap. 14.

Quòd si dicas S. Docto-
rem negare esse relationem
præ-

prædicamentalem, quæ fun-
datur immediatè in substan-
tia; unde immediatè omnis
fundatur supra accidens quan-
titaris, & qualitaris, ut à no-
bis dictum est supra q. 8. præ-
cedente num. 13. Quantitas
autem, & qualitas, à quibus
relatio est indistincta, sunt alia
res à substantia. Sed nil con-
tra secundam sententiam, quæ
non negat relationem distin-
gui à fundamento mediato, sed
ab immediato, & de hoc est
quæstio. Si hoc dicas: Insurgit
multis Bajona hic, sed præci-
puè ex D. Thoma q. 3. de Po-
tentia art. 3. ad tertium, ubi lo-
quens de creatione passiva,
quæ est relatio, dicit: *Quòd illa*
relatio accidens est, & secundum suum
esse considerata prout inheret subje-
cto, posterius est re creata. En crea-
tio passivè sumpta, juxta D.
Thomam relatio est, & acci-
dens prædicamentale: at crea-
tio passivè sumpta, fundatur
immediatè in substantia: ergo
dum S. Doct. docet relationem
distingui à fundamento, loqui-
tur de relatione prædi-
camentali immediatè
fundata in sub-
stantia.

§. II.

Explicantur fundamenta sententiæ ne-
gantis.

4. **C**ontrariam sententiam
de indistinctione re-
lationis à fundamen-
to docent ferè omnes DD. So-
cietatis, & alij antiquiores, de
quibus vide Suarium in Meta-
physica disp. 47. sect. 2. ubi
citatur Nominales in 1. Sent. dist.
30. & nostros Gregorium Ari-
minensem in 1. dist. 28. q. 2.
art. 2. N. B. Ægidium Rom. in
1. dist. 26. q. 4. dum ait rela-
tionem nullum esse proprium
habere ultra esse fundamenti,
neque aliquam compositio-
nem ei adjunctam: quod non
potest esse verum, nisi ratio-
ne omnimodæ identitatis.

Hæc sententia videtur etiã
D. Thomæ, qui Opusculo 48.
tractatu de his, quæ sunt ad
aliquid cap. 2. dicit, *similitudinem*
in Sorte, & consequenter rela-
tionem in quacumque re, non
esse aliam rem ab albedine, seu
à fundamento. Et q. 7. de Po-
tentia art. 8. dicit relationem
non facere compositionē cum
fundamento. Et 5. Physicorū
dicit lect. 3. *Quòd cum aliquid in-*
cipit esse æquale alteri, nihil de novo
illi advenit. Quæ doctrina est
etiam Philosophi ibidem textu

10. En argumentum. Si relatio distingueretur à fundamento, dum quis incipit esse æqualis alteri, reciperet aliquā rem novam in ipsa relatione de novo adveniente; vel aliquod esse reale relativum, quod unitum subjecto faceret cum eo compositionem: sed hoc negat D. Thomas expressè, dicēs relationem non esse rem distinctam à fundamento; nec cum eo facere compositionem, nec aliquid de novo advenire subjecto, quod incipit referri ad tertium, & esse æquale alteri: ergo relatio nullo modo est res, modus, vel aliquid à fundamento distinctum.

5. Secundò probatur hæc sententia ratione deducta ex SS. PP. Si relatio esset entitas, modus, aut realitas distincta à fundamento, adveniente relatione de novo, mutaretur intrinsecè subjectum: at hoc est falsum juxta SS. PP. ergo & quòd relatio sit realiter distincta à fundamento. Major patet, quia tunc subjectum intrinsecè mutatur, quando aliter se habet intrinsecè, ac antea se habeat; constat autem quòd qui nunc habet entitatem, modum, aut realitatem intrinsecam, quam non habebat, aliter se habet intrinsecè nunc, ac antea; quare intrinsecè mutatur. Minor est expressa in M. P. N. August. lib. 5.

de Trinit. cap. ultimo ubi ait: *Numus cum dicitur pretium, relativè dicitur, neque tamen mutatus est, cum esse cœpit pretium: neque cum dicitur pignus, & sic que sunt similia.* Accedit S. Anselmus in Monologio cap. 24. dicens de relationibus similitudinis, & dissimilitudinis: *Omnes has habere potero sine mei mutatione.* Adde etiam D. Thomam ubi suprà 5. Physicorum lect. 3. negantem aliquid de novo advenire subjecto, dum incipit esse relatum.

Et confirmatur. Nam si relatio de novo adveniens, mutaret subjectum intrinsecè, sequeretur, quòd ad motum formicæ, mutarentur omnes res universi: sed sequela est absurda: ergo relatio non immutat subjectum; immutaret tamen, si esset quid distinctum realiter à fundamento, ut ostensum est. Probatur sequela majoris. Quia formicæ movēte pedem, omnes res universi variantur relationes distantia ad formicam; unde solo motu formicæ, deficerent antiquæ relationes, & advenirent novæ: ergo si istæ mutarent suo adventu subjectum, sequeretur quòd &c.

6. Nec valet, si dicas cum aliquibus, quòd relatio, etsi distincta, non immutat subjectum, quia est minimæ entitatis. Non valet: primò, quia juxta Froylanum, & alios quos

quos Thomistas relatio est res distincta; juxta Bajonam, & alios, est modus: sed modus realis, (& potiori titulo res, quæ quid amplius est, quàm modus) revera immutat subjectum, cui advenit, ut patet in modo unionis, ubicationis, & alijs: ergo relatio, si ponitur distincta realiter à fundamento, immutat. Secundò: Nam apud ipsos Thomistas Deus nequit in tempore dicere relationem ad creaturam, quia mutaretur intrinsecè: ergo non est apud ipsos tam minimæ entitatis, ut per ejus adventum subjectum non mutetur. Tertio: Quod habet veram causam efficientem, aut principiū emanationis, verè immutat subjectum, ut patet in risibilitate, quæ immutaret, si de novo adveniret: sed relatio ad minus dimanat realiter à fundamento posito termino: ergo idè. Quarto: Quod facit compositionem cum subjecto, verè immutat, nam subjectum simplex mutatur, dum fit compositum cum altero: sed relatio si est res, aut modus realiter distinctus, unita subjecto, facit compositionem cum eo; nam compositio est distinctorum unio; tunc autem daretur unio fundamenti, & relationis, quæ per se sunt distincta: ergo daretur compositio, & mutatio intrinseca subjecti.

Nec valet si secundò dicas, variari distantias ad motum formicæ, sed non variari relationes; quia per eandem relationem, per quam res universi referebatur antea ad formicam, refertur post ejus motum. Sic respondet cum pluribus Bajona. Sed non valet, quia mutato fundamento, variatur relatio: sed fundamentum relationis propinquitatis est distantia, vel indistantia: ergo si distantia rerum à formica mutantur, & variantur, mutantur relationes. Pone Petrū album ut sex, est similis Paulo albo, ut quatuor. Ceterum si à Petro tollas duos gradus albedinis, erit similior Paulo, habenti quatuor. At per eandem relationem nequit esse similior, ac erat: ergo per diversam. Idem dic de relatione distantia, nam nota formica, red dicitur propinquior aliquibus, & distantior alijs: ergo nedum variantur distantia, sed relationes.

7. Tertio probatur hæc sententia, quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate: sed non est necessitas ponendi relationem distinctam à fundamento: ergo non distinguitur. Probatur minor. Per hoc præcisè quòd ponantur duo alba, etiam si non alia entitas, vel modus distinctus, sunt formaliter similia,

lia, & sic relata relatione similitudinis: ergo &c. Probatum antecedens. Similitudo formalis est rerum differentium eadem qualitas, sicut æqualitas est rerum differentium eadem quantitas: sed positus duobus albis, & omni alio secluso, datur res diversa, quarum est una qualitas: ergo sunt formaliter similes. Major est Arist. 5. Metaphysicæ textu 15. ubi ait: *Similia sunt, quorum qualitas una est.*

Si dicas: Duo illa alba sine relatione superaddita esse fundamentaliter similia, non formaliter. Contra est primò. Quia vel Plus diffinit similitudinem formaliter, vel non. Si primum? Ergo tenet argumentum, nec prodest solutio. Si secundum? Ergo nullibi proderunt verba Philosophi, qui non diffinit res formaliter, & sed materialiter, & fundamentaliter.

§. III.

Nostri sententia proponitur, & probatur.

8. **N**ostri sententia docet relationem prædicamentalem non esse entitatem, aut modum distinctum à fundamento; ceterum esse quidditatem realiter distinctam à fundamento. Sen-

tentia nostra negat inter relationem, & fundamentum distinctionem realem entitativam, & modalem; adstruit tamen distinctionem realem quidditativam. Hujus distinctionis omisimus disputationem lib. 3. præcedenti, quoniam ibi non poterat congruenter explicari, idèò hic dilucidabitur, postquam sententiam nostram explicemus, & probemus. Docetur hæc sententia à N. Mag. Villanovano hic, ut Ægidiana; & pro ea allegantur alij ex nostris, licet nemo sic expressè ac N. M. Villanova. Crediderim non esse aliam sententiam. P. Vallij, negantis distinctionem entitativam, & modalem, propugnantisque distinctionem realem formalem. Pro quo asserto citat plures antiquos, qui in tali modo loquendi non aliud contendunt, nisi ostendere quòd relatio est quid reale defectibile, non tamen mutans intrinsecè subjectum, qualiter immutant res, & modus denuò adveniens.

Sicut de mente D. Thomæ est ratio dubitandi in utraque partem, quoniam 1. p. q. 28. art. 2. dicit quòd relatio est alia res: & Opusc. 48. cap. 2. dicit non esse aliam rem. Ita de mente B. Doct. nostri pulsatur dubium, nam in 1. Sent. dist. 27. q. 1. & dist. 33. q. 3. §. *Notandum.* docet quòd *Ipsa relationis*

QVÆST. IX.

tionis quidditas quodam modo quædam res est. Et tamen dividendo ens in decem prædicamenta, ostendit sufficientiam divisionis ex hoc principio: *Ens vel dicit rem, vel dicit ordinem, vel rem sub ordine.* Si dicit rem, est substantia, qualitas, & quantitas. Si purum ordinem, est relatio: si rem sub ordine, est unum ex sex ultimis prædicamentis. Vbi vides, quòd relatio non est res, nec dicit rem, sed ordinem, contrapositum rei. Ergo sicut D. Thom. de relatione dicit esse rem, & non esse rem; ita N. B. Ægidius: quare utriusque Beati Doctoris mens indaganda est, ne vel apparenter sibi ipsis contradicant.

9. Noster Mag. Gavardi Egregius Doct. nostri interpretor tom. 1. Theologiæ Ægidianæ quæst. 2. de Attributis in communi art. 2. num. 1. versat hanc difficultatem, & conciliat dicta N. B. Ægidij sic. Relatio eo modo est res, quo est ens: at non est ens ad se, & in se, sed ad aliud: ergo non est res in se, & ad se, sed est res ad aliud, nempe ad tertium. Confirmat hoc ex eo quòd ens dicitur tale, quod respicit realem existentiam: at relatio non respicit existentiam in se, & ad se, sed ad tertium: ergo non est ens, nec res primo modo, sed secundo. Quare hoc secundo

modo affirmat N. B. Ægidius relationem esse rem, & primo modo id negat.

Hæc explicatio non evaduat difficultatem; nam nemo dubitat de relatione, an realiter distinguatur à termino, sed an distinguatur à fundamento: ergo sicut ponere relationem distinctam à termino, non conducit pro dubio; sic nec dicere relationem esse rem ad terminum. Urgetur. Pone cum secunda sententia, quam etiam docet M. N. Gavardi in Logica, relationem non distingui realiter à fundamento; adhuc tunc relatio est res ad terminum; hoc est res distincta à termino, & relata ad illum. Patet, quia relatio est idem entitativè cū fundamento: sed fundamentum est res distincta à termino, & per relationem fit ad terminum, quæ ante relationem erat in se: ergo dato quod docet Gavardi, nil habemus pro speciali dubio de relatione comparata cum fundamento, an sit res, nec ne?

10. Ob hæc melius exponitur à Nostro Villanovano, docente, quòd relatio comparata fundamento, non est res, aut modus ab eo distinctus: sed est quidditas realis, ab eo realiter distincta, & separabilis. Ceterum comparata cum termino, est res,

res, & entitas. Primum assertum quoad utramque partem est expressum in Nost. B. Doct. Nam quod relatio non sit entitas realitas, aut modus distinctus à fundamento, docet in 1. Sent. dist. 26. q. 4. dicens, relationem nullum esse proprium habere ultra esse fundamenti, neque aliquam cum eo facere compositionem. Iam verò quod sit quidditas defectibilis, & distincta à fundamento, docet Quodlib. 5. quæst. 13. dicens: *Quare si totum esse quidditativum relationis sit ad aliquid se habere, etiam solo defectu alterius potest deficere quidditas relationis*: nempe defectu termini, manente fundamento, ut ibi se exponit. Hinc sequitur secundum assertum; nam si esse relationis est esse fundamenti: ergo sicut fundamentum est res, & entitas relatè ad terminum, sic relatio ad terminum comparata. Quare dum N. B. Ægidius negat relationem esse rem, loquitur de relatione comparata ad fundamentum. Dum affirmat, loquitur de relatione comparata ad terminum. Idem dicemus infra exponendo D. Thomam.

Hinc facile redarguuntur RR. Ægidiani, tenentes quod relatio solum conceptibiliter differt à fundamento; quatenus est quidditas, quæ per nostros conceptus differt à funda-

mento, non realiter; unde N. Doctorem trahunt cum Suario in secundam sententiam. Redarguuntur: Quidditas relationis juxta N. B. Ægidium realiter est separabilis à fundamento, nam *solo defectu alterius* (nempe termini) *potest deficere quidditas relationis*. Sed quæ realiter separantur, realiter distinguuntur: ergo quidditas illa nedum conceptibiliter, sed realiter distinguitur à fundamento. In rationibus, quæ probant esse quidditatem distinctam, suadent esse quidditatem realem, distinctam realiter, ut infra patebit.

II. Ante probationem nostræ sententiæ oportet explicare quomodo relatio sit quidditas ratione sui, non verò entitas: nam quidditas, & essentia rei, est entitas ejus. Pro hujus explicatione observa quod aliquæ sunt res absolute, quarum essentia non consistit in aliquo exercitio, sed in suo esse absoluto. Tales sunt omnes substantiæ, omnes qualitates, omnes quantitates. Aliæ sunt, quorum essentia consistit in aliquo exercitio, ut unio, actio, passio, relatio. Harum essentia non est nuda entitas, sed entitas, ut exercens aliquod exercitium uniendi, agendi, patiendi, referendi; quare deficiente illo exercitio, deficit quidditas, licet maneat entitas. Hoc

QVÆST. IX.

Hoc explicatur in sententia plurium Thomistarum, quæ satis communis est, docentium unionem materiæ cū forma, non esse entitatem, aut modum distinctum ab extremis. Isti dicunt, quod quando in morte hominis separatur materia à forma, tunc manet entitas unionis, quia manet entitas materiæ, & formæ, à qua non distinguitur entitas unionis. Ceterum non manet exercitium uniendi materiam cum forma. Quod isti AA. vocant exercitium unionis, nos vocamus unionis essentiam, & quidditatem consistentem ex parte materiæ in entitate ejus, ut actualiter recipiente formam; & ex parte formæ in entitate ejus informante materiam. Quare sicut isti AA. docent, quod in morte hominis deficit unio non quoad entitatem, sed quoad exercitium, quare manente entitate unionis, deficit exercitium ejus: sic dicimus nos in morte hominis deficere unionem quoad quidditatem, & manere quoad entitatem; unde deficit quidditas, non entitas.

Nec voluntaria est explicatio nostra in hoc asserto, sed ratione fundatur. Nam quidditas, & essentia unionis, est quidditas rei consistentis in actuali exercitio: ergo si in morte hominis deficit exer-

citium uniendi, deficit plenè quidditas, non entitas. Quare idem est deficere quoad exercitium, ac deficere quoad quidditatem, consistentem in actuali exercitio. Observa, quod quia quidditas materiæ (idem dic de forma) non consistit in actuali exercitio recipiendi, sed in posse recipere; idè deficiente exercitio recipiendi, non deficit entitas, nec quidditas materiæ, quæ salvatur in posse. At essentia unionis non est posse unire, sed actu unire; nam, ut dictum est, unio est de numero eorum, quorum essentia consistit in actuali exercitio: ergo deficiente exercitio uniendi, deficit quidditas unionis. Sed in sententia laudata deficit exercitium uniendi, quin deficiat entitas unionis: ergo manente entitate unionis, deficit ejus quidditas.

12. Ne autem sententiam nostram singularibus principiis ligatam proponamus, en aliud exemplum in omnium principiis. Actio, & passio apud omnes sunt eadem entitas, ceterum constituunt diversa prædicamenta, & distinguuntur formaliter. Quod talis distinctio sit realis, patet, nam sicut causa realiter distinguitur ab effectu, & agens à patiente, sic actio à passione; cum per actionem agens agat

in actu secundo, & patiens patiatur. Ergo actio, & passio debent realiter distingui. Quomodo ergo distinguuntur realiter, si sunt eadem entitas? Respondetur ab alijs, quod non distinguuntur realiter entitativè, sed realiter formaliter, vel modaliter. Prima pars responsionis est vera, quia si supponitur esse eandem entitatem, non differunt entitativè. Ultima est falsa, quia modus non pertinet directè, sed indirectè ad prædicamentum, ut dictum est quæst. 1. hujus libri num. 4. ergo non sufficit distinctio modalis diversificare prædicamenta. Restat ergo differre realiter formaliter, sed non benè explicatur quid sit hæc distinctio realis formalis, an ne sit quæ tertio libro impugnatur à DD. contra Scotistas.

In nostra sententia dicitur clarissimè quid sit hæc distinctio realis formalis: nam dicimus esse distinctionem realem quidditativam, qua actio differt quidditativè à passione. Et vocatur distinctio formalis, ut denotetur non esse distinctionem entitativam, nec modalem. Et differt à Scotica, quia Scotica datur inter duas formalitates incompletas ejusdem essentiae; hæc nostra datur inter essentias adequatas, & completè distinctas. Rursus

Scotica datur inter formalitates inseparabiles realiter; hæc nostra datur inter quidditates realiter separabiles. Ob hæc nostra sine implicatione est distinctio actualis, quæ probatur ex actuali separatione quidditatis: Scotica verò implicanter, aut saltem difficulter dicitur actualis, cum sit inter extrema inseparabilia. Adde tertium discrimen, quod est ratio à priori nostræ distinctionis quidditativæ, & est, quod nostra distinctio solum ponitur inter extrema, quorum essentia consistit in actuali exercitio; potest autem eadem entitas habere duo exercitia realiter distincta, ut patet de actione, & passione. At Scotus cum suis ponit distinctionem suam realem formalem inter extrema absoluta, quorum essentia non consistit in actuali exercitio, sed in entitate nuda, & actu primo de linea operandi, v.g. *rationalis*, & *animalis*; quorum neutrum consistit in actu sentire, & discurre, sed in potentia ad utrumque.

Hinc solvitur difficultas major nostræ sententiæ, qua non percipitur quomodo actio & passio sunt unica entitas, si sunt duplex quidditas realis, actu distincta? Solvitur: quia quidditas actionis non est sola entitas ejus, sed en-

ti-

titas ut egrediens ab agente, quare est entitas ut in exercitio egrediendi. Passio similiter non est entitas sola, sed ut recepta in passio; quare consistit in exercitio receptionis talis entitatis. Cum ergo eadem entitas habeat illa duo exercitia; & exercitia illa sint realiter distincta; sequitur clarè quod in illa entitate sunt duæ quidditates realiter distinctæ. Ergo stat quod actio & passio non differant entitativè, vel modaliter, & differant quidditativè realiter. Stat etiam cum identitate entitatis duplex quidditas realiter distincta. Ergo in relatione relatè ad fundamentum stabit non differre entitativè, vel modaliter, differre autem quidditativè: stabit etiam in unica entitate fundamenti duplex quidditas, una propria entitatis absolutæ, & secundum se; altera entitatis ejusdem ut exercentis munus referendi, & hæc est quidditas relationis. Patet consequentia. Quia idè in actione, & passione, idè ab omnibus docendum est, quia sunt quidditates consistentes non in entitate nuda, sed in exercitio egrediendi ab agente, & receptionis in passio. At etiam essentia relationis consistit in exercitio referendi, quod est defectibile per solum termini de-

fectum: ergo quidditas relationis est realiter distincta à fundamento, licet non sit entitas, aut modus distinctus.

13. Sic explicata sententia nostra probatur primò fundamentis aliarum sententiarum, supra positis: nam argumenta Thomistica probant relationem distingui realiter quidditativè à fundamento; argumenta autem secundæ sententiæ probant non distingui entitativè, vel modaliter: ergo vel nostra sententia dirimit litem propositam, concordas utramque sententiam; vel si extra chorum saltat, probatur tamen earum rationibus. Antecedens constabit, dum infra expendamus fundamenta utriusque sententiæ.

Directè probatur conclusio nostra ex M. P. August. lib. 7. de Trinit. cap. 1. ubi dicit: *Omnis essentia, quæ relativè dicitur, est etiam aliquid, excepto relativo, sicut homo dominus, homo servus &c.* En verba, quibus formaliora non dicerentur ab ullo ex Peripateticis. Loquitur P. N. de relatione formaliter ratione sui, ut distincta à fundamento; nam contraponit relativum ad essentiam fundamenti, quæ dicitur relativè: *ly Omnis essentia, excepto relativo, de relatione sic formaliter contrapositione, negat quod sit aliquid: ergo negat quod ratio-*

ne

ne sui sit ens, aut modus; alioquin ratione sui esset aliquid. De eadem relatione sic formaliter sumpta, concedit quòd sit essentia, & quidditas: nam si ratione sui non esset essentia, non comprehenderetur sub illa universali *Omnis essentia*: si non comprehenderetur, superflua esset exceptio, qua excipitur ab illa universali per *ly Excepto relativo*; nam quia *nihil* non habet essentiam, vana esset exceptio ista, *Omnis essentia relative dicitur, excepto nihilo*: ergo quia relatio, quæ formaliter ratione sui non est entitas, modus, aut aliquid; ratione sui est quidditas, & essentia. Ergo cum sit quidditas defectibilis iuxta P. N. Augustinum ibi, & sæpè explicantem relationem creatam; sequitur quòd relatio non est entitas, aut modus distinctus à fundamento; benè tamen quidditas ab eo realiter distincta.

Confirmatur ex eodem S. P. lib. de Categor. cap. de relatione, ubi ait: *Quamvis ipse quoque Aristoteles magnus ingenio, huic penè permixtioni concesserit, ac dixerit posse contingere, ut quod qualitatis fuerit, idem referatur ad aliquid; nec esse importunum, si una res duarum categoriarum vocabulo concludatur.* Id explicat in scientia, quæ relatè ad hominem est qualitas, relatè ad ob-

jectum scibile est ad aliquid. En primò quod supra diximus de actione, & passione, quæ diversæ essentiæ sunt, sed *una res*, & una entitas. Ne autem putares esse etiam unicam quidditatem, indicat P. N. esse duas, tum quia quidditas unica unico prædicamento concluderetur; illa autem *res una* concluditur duplici categoria. Tum etiam, quia sicut permiscetur categoriæ, dum sunt unica entitas; ita plus permiscerentur, si forent etiã unica quidditas; immò tunc foret permixtio totalis in entitate, & quidditate: sed juxta Augustinũ non est permixtio totalis, sed *penè*, aut ferè totalis: ergo est unitas in entitate cum distinctione in quidditate. Hæc & non alia est sententia nostra.

14. Sensum, & ferè verba à P. N. Augustino mutuavit N. B. Ægidius in 3. Sentent. dist. 8. par. 3. quæst. 1. §. *Isti autem*, dicens: *Omnes res aliorum prædicamentorum sunt aliquid, ex eo quòd sunt constituta in suis prædicamentis: sola autem relatio ex suo prædicamento non est aliquid, sed ad aliquid. Et ideò si relatio est aliquid, non est ex suo prædicamento, sed ex suo fundamento.* En ferè verba Augustini dicentis: *Omnis essentia quæ relative dicitur, est aliquid, excepto relativo.* Exponuntur autem

rem

tem à D. Nostro docente, relationem non esse ens, modũ, aut realitatem ratione sui, sed ex suo fundamento: est tamè ratione sui quidditas consistens in actuali exercitio referendi, & hæc vocatur *ad aliquid*. Vide dicta hoc lib. quæst. 7. num. 1. Atqui hoc ad aliquid, & hoc exercitium referendi, manente fundamento, est defectibile per solum defectum termini: ergo quidditas relationis est realiter distincta à fundamento, etiam si non sit entitas, aut modus à fundamento distinctus.

Hæc B. Ægidij nostri verba non sunt tantum de mente ejus, sed ab ipso allegantur de mente D. Thomæ, ut patet: quo vides tres Doctores nostros in idem collimare. Accedit quòd D. Thomas docet relationem secundum conceptum *ad non* petere inhaerentiam: ergo secundum conceptum *ad non* est accidens. Sed aliunde non est substantia, ut patet: ergo secundum conceptum *ad non* est ens, est tamen quidditas, & distincta, ut vidimus ex defectibilitate. Rursum S. Doct. 1. par. quæst. 28. art. 1. docet, quòd relatio ex suo conceptu formali non est substantia, vel accidens; & inde probat dari relationem rationis, non autem substantiam rationis, aut qualitatem

rationis: ergo ex suo conceptu formali non est ens, sed ratione fundamenti. Est tamè quidditas distincta, & defectibilis, ut dictum est. Vide dicta hic q. 7. num. 10.

In hac doctrina fundatur pulchra observatio N. B. Ægidij quæst. 4. de Mensura Angelorum. Observat quòd P. N. August. lib. 5. de Trin. cap. 1. docet Deum esse sine quantitate magnum, & sine qualitate bonum; quia scilicet non est capax alicujus accidentis. At nunquam dicit, quòd Deus est sine relatione Pater: diceret sanè si relatio ex suo conceptu formali foret accidens. Immò dicit, quòd ex prædicamentis decem sola duo transferuntur ad Deum, & hæc sunt *substantia*, & *relatio*, quia ista sola non includunt imperfectionem, Deo repugnantem. Quare cap. 5. concludit sic: *In Deo quidem nihil per accidens dicitur, quia nihil in illo mutabile est: nec tamen omne quòd dicitur, secundum substantiam dicitur, dicitur enim ad aliquid sicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem, quòd non est accidens.* Ecce relatio isti Deo non est accidens, nec substantia formaliter; quia non dicitur secundum substantiam. Ergo ad aliquid est quidditas ratione sui formaliter; non tamen ens, substantia, vel accidens, nisi ratione fundamenti.

15. Tertiò probatur conclusio nostra à ratione. Ea, quæ per suam essentiam pertinent ad diversa prædicamenta, habent essentiam formaliter distinctam; sed ratio, & fundamentum per suas essentias pertinent ad prædicamenta diversa: ergo habent essentias formaliter diversas; & cōsequenter ratio est quidditas distincta à fundamento. Major patet, nam quæ habent eandem essentiam, sunt sub eodem genere, habent idem genus, & pertinent ad idem prædicamentum. Minor est certa, nam ratio, quantitas, & qualitas sunt diversa prædicamenta: sed ratio per suam essentiam ponitur in prædicamento relationis; ob idque dicitur ratio prædicamentalis; fundamentum autem ejus est vel quantitas, vel qualitas, ut supra dictum est: ergo.

Confirmatur. Implicat quòd actio constituat diversum prædicamentum à passione, & quòd non sit quidditas à passione distincta: ergo implicat quòd ratio constituat diversum prædicamentum à qualitate, & quòd nō sit quidditas à qualitate distincta. Cōsequentia tenet à paritate, & à ratione; : nam ratio probans veritatem antecedentis, probat veritatem consequentis,

Antecedens probatur. Implicat quòd actio constituat diversum prædicamentum à passione, & quòd non sit genus supremum distinctum à passione: sed quæ sunt genera primò diversa, nequeunt cōvenire in aliquo genere superiori, & sic nequeunt habere eandem essentiam: ergo &c.

16. Dices distingui formaliter per rationem, non autem realiter formaliter. Contra est: nam, ut dicebamus num. 12. actio & passio debent realiter distingui, quia per ipsas constituuntur agens, & patiens in actu secundo, & sine dubio agens, & patiens sic in actu secundo debent distingui realiter; cum nemo possit agere in se ipsum: ergo ratio nostra, quæ de actione probat distinctionem formalem, & quidditativam, probat realem formalem. De relatione constat idem. Nam quidditas relationis, quæ probatur formaliter distincta, ostenditur defectibilis manente fundamento, ut num. 10. probatum est: sed quæ realiter separantur, distinguuntur realiter: ergo distinctio quidditativa relationis à fundamento est realis formalis, & non per rationem. Ultrà. Signa distinctionis realis sunt separabilitas unius ab alio, & ratio causa, & effectus. Sed primum signū

gnum adest inter relationem, & fundamentum, secundum inter actionem & passionem: ergo distinctio formalis probata realis est. Tandem exercitia agendi, patiendi, & referendi, in quibus probatum est consistere essentiam actionis, passionis, & relationis, non sunt exercitia per rationem, & à nobis conceptibilia, sed realia in rerū natura, quæ aliquando existunt realiter, aliquando realiter deficiunt. Nec essentia sic cōstitutæ sunt essentia per rationem, & putè à nobis conceptibiles, sed reales, & independentes à nostris conceptibus, sicut actio est realis actio; passio realis passio; & ratio est ratio realis: ergo distinctio formalis à nobis probata ex essentijs actionis, passionis, & relationis, non est distinctio per rationem, aut à nobis conceptibilis, sed realis quidditativa. Hæc credo sufficere pro hac ratione, & sequentibus. Quare.

17. Quartò probatur conclusio nostra à ratione, desumpta ex doctrina communiter tradita circa relationem. Nam apud omnes ratio secundum esse differt à relatione secundum dici: sed si ratio prædicamentalis non differret realiter quidditativè à fundamento, nulla daretur re-

latio secundum esse, & omnes forent relationes secundum dici: ergo ex communi doctrina colligitur distinctio quidditativa relationis à fundamento. Probatur min. Ratio secundum esse est quæ per suum esse pertinet ad prædicamentum relationis, ratio secundum dici est, quæ per suum esse pertinet ad alia prædicamenta, & solum habet modum relativum, quatenus concipitur ad aliud. Vide q. 7. num. 11. sed si ratio prædicamentalis nō differret quidditativè à fundamento, non haberet ullum esse, nisi esse fundamenti, & sic non pertineret per suum esse ad prædicamentum relationis, sed ad alia prædicamenta, ad quæ pertinet fundamentum: ergo &c. Hæc ratio confirmat præcedentem.

Confirmatur juxta Arist. 5. Metaphys. textu 20. quem omnes admittunt: Relationes primi, & secundi generis sunt reales ex parte utriusque extremi; quæ verò dicuntur tertij generis, nempe mensurati ad mensuram, solum ponunt aliquid reale ex parte unius extremi: sed si ratio non est quidditas realis distincta à fundamento, non subsistit hoc discrimen: ergo &c. Probatur min. Nam si non est quidditas realis distincta, tunc nil rea-

le mediat inter fundamentū, & terminū, quare solum in re dantur realitates fundamenti & termini. Atqui etiam in relationibus terrij generis datur realitas fundamenti, & termini; ut patet in relatione creaturæ ad Deum mensuram: ergo.

Confirmatur secundò ex D. Thoma, qui 1. p. q. 13. art. 7. & q. 28. art. 2 & q. 39. art. 1. directè probat, quòd relatio est ens naturæ, & non aliquid rationis. Sed si relatio non esset quidditas distincta à fundamento, non esset hoc probandum: nam tunc esse relationis foret esse fundamenti; & de esse fundamenti nulli dubium quòd sit ens naturæ, & non aliquid rationis: ergo relatio est quidditas realis distincta à fundamento. Observa, quòd relatio dicitur à D. Thom. ens naturæ lato modo; quatenus contraponitur enti rationis. Non autem dicitur ens nature strictū, ut dicitur entitatē, quia 1. p. q. 28. art. 1 & alibi sæpè probat quòd relatio formaliter ratione sui nō est substantia vel accidens. Vide hic dicta num. 14.

13. Confirmatur tertio: Essentia relationis est realiter relativa, & realiter tota ad aliud, ut constat ex ejus definitione; essentia autem fundamenti est realiter absoluta, & realiter tota ad se, ut constat

in essentia quantitatis, & qualitatis. Sed realiter absolutum, & totum ad se realiter, differt realiter à realiter relativo, & toto ad aliud: ergo quidditas relationis differt realiter à quidditate fundamenti. Minor patet in hac propositione. *Realiter absolutum non est realiter realiter relativum*: ubi verè negatur unū de alio, negabilitas unius de alio est signū distinctionis; ut in antecedentibus dictum est. Imò implicat quòd eadem essentia sit tota ad se, & tota ad aliud; quia esset tota ad se, & non esset tota ad se, quod implicat: ergo realiter absolutum, & totum ad se, differt realiter à realiter relativo, & toto ad aliud.

Quartò: Fundamentum relationis realis est realiter relatum ad terminum; relatio autem realis non est realiter relata; nam nihil de seipso prædicatur adjectivè, & denominativè: sed realiter relatum realiter differt à nō relato realiter: ergo relatio realiter differt à fundamento. Vide dicta q. 7. num. 7. & 8. ex quibus probatum est, quòd relatio nō consistit in fundamento connotante terminum, sed ut ait N. B. Egidius in quidditate distincta puri ordinis, communis fundamenti, & termino; nam hæc vocantur relativa, & dicuntur simul natura, & co-

gnia

gnitione, id est (ait N. B. D.) *Simul natura, id est aliqua natura communis, quæ est quidditas respectus*. Sed quidditas fundamenti nō est quidditas respectus, sed est quidditas absoluta; item non est quidditas communis fundamenti, & termino, sed solius fundamenti: ergo quidditas respectus, & relationis, est realiter distincta à fundamento.

Quintò: Essentia relationis vel tota salvatur in conceptu *ad*, vel in conceptibus *in*, & *ad*: sed essentia fundamenti tota salvatur in conceptu *in*; nec habet ullum *ad*: ergo sunt essentiæ realiter distinctæ, & sic distinguuntur quidditative. Vide dicta q. 7. num. 10. ubi quæsitum est, an essentia relationis salvetur in solo conceptu *ad*? Ibi ex nostris principijs dictum est, quòd relatio ex se non habet conceptum *in*, sed ratione fundamenti. Hoc constat ex tota doctrina hic data de mente M. P. N. Augustini, & N. B. Egidij. Consentit D. Thomas 1. p. q. 28. art. 1. docens quòd relatio formaliter ratione sui non est substantia, vel accidens: ergo ex se formaliter non habet conceptum *in*, sed ratione fundamenti; nec computatur inter accidentia, nisi ratione fundamenti. Vide dicta num. 13. & 14.

Solvuntur quedam contra specialem B. Egidij sententiam.

19. **H**ÆC distinctio quidditativa realis, quæ non est entitativa, vel modalis, impugnari potest aliquibus argumentis, quibus impetitur distinctio Scotica. V. g. inter ens reale, & rationis, non datur medium: ergo cum distinctio sit passio entis, non dabitur medium inter distinctionem entitativam, & distinctionem rationis. At distinctio quidditativa est media inter entitativam, & rationis; quia est minor quàm entitativa, & major quàm rationis: ergo est distinctio implicans. De hoc, & alijs argumentis inefficacibus contra Scotistas egimus lib. 3. q. 7. §. 3. Ibi posita est instantia distinctionis modalis ab omnibus admittæ, quæ cum minor sit entitativa, & major distinctione rationis, est distinctio media inter entitativam, & rationis: ergo sicut mediat distinctio modalis, quæ entitativa non est, sic ponimus quidditativam. Vide ibi dicta, ut ad alia properemus.

Argues contra N. B. Egidij sententiam sic: Quidditas non

non distinguitur ab entitate rei: sed relatio per nos non distinguitur ab entitate fundamenti entitativè: ergo nec quidditativè. Explicatur. Relatio non est entitas distincta à fundamento: ergo nec quidditas distincta. Patet consequentia, quia quidditas non distinguitur ab entitate rei. Confirmatur primò: Implicat manere entitatem relationis, & non manere ejus quidditatem: sed destructo termino, manet in fundamento entitas relationis: ergo & quidditas. Minor probatur, quia entitas relationis manens, habet essentiam, & quidditatem: sed essentia entitatis relationis est essentia relationis; ergo implicat manere entitatem relationis, & non manere ejus quidditatem.

Confirmatur secūdò: Nulla entitas est separabilis à sua quidditate: ergo nequit manere entitas relationis, deficiente quidditate relationis. Consequentia patet, & antecedens est certum, quia nihil est separabile ab eo, quod est de ejus essentia; imò nec per intellectū potest præscindi à sibi essentialibus: sed quidditas est de essentia entitatis, cujus est quidditas: ergo nulla entitas &c. Confirmatur tertio: Si relatio est quidditas distincta à fundamento, est quidditas resultans ex fundamento, & ter-

mino: sed quod resultat ex duobus entibus in actu, est ens per accidens: ergo quidditas relationis est ens per accidens, quod implicat. Imò videmur incidere in sententiā suprā impugnatam, constituētem relationem per coexistentiam fundamenti & termini, vel saltem per fundamentum connotans terminum: quorū utrumque impugnavimus.

20. Hæc sunt contra nostram sententiā, quæ primò aspectu videntur difficilia, sed levia sunt, & ex dictis solvuntur facillimè. Ad argumentum dic, quod quidditas rerū consistentium in actuali exercitio, distinguitur ab entitate rei, ut ostensum est in actione, passione, & unione suprā num. 11. & 12. nam quidditas talium non est sola entitas, sed reale exercitium additum, & separabile. Quidditas autem rerum, quæ non consistit in actuali exercitio, illa non distinguitur ab entitate rei. Sub hac distinctione concede maj. & min. & neg. consequentiā, quam insta in unione, quæ in sententiā laudata non differt entitativè ab extremis; differt tamen ab eis quidditativè. Actio item in omnium sententiā non differt entitativè à passione: debet tamen realiter differre quidditativè, ut probatum est num. 12. & 16. Ad

explicationem argumenti utere eadem distinctione data.

Pro prima confirmatione observa, quod entitas relationis non est propria sui, sed propria fundamenti; deficiente autem quidditate relationis, manet entitas relationis, non ut propria ejus, sed propria fundamenti. Hæc entitas duplicem habet essentiam, unā convenientem ei, ut est entitas propria fundamenti; alteram convenientem ei, ut est entitas appropriata relationi. Exemplum in qualitate, cujus essentia primo modo est qualificare subjectum; & essentia ejusdem secundo modo est referre actualiter subjectum ad terminum. Stante qualitate, & deficiente termino relationis, deficit quidditas relationis, licet maneat entitas relationis; quia entitas illa manet, ut propria fundamenti, & cum quidditate ei sic convenienti, quæ est qualificare; non manet entitas illa relationis, ut appropriata relationi, quare nec quidditas illius entitatis, ut sic appropriata, quæ consistit in actu referre ad terminum. In forma dist. maj. implicat manere entitatem relationis, entitatem propriam, nego suppositum, quia relatio non habet talem: entitatem appropriatam, concedo maj. & dist. min. destructo termino, ma-

net entitas relationis, entitas propria, vel appropriata, neg. min. entitas relationis, exercitè illi non appropriata, concedo min. & nego consequentiam.

Hinc ad secundam confirmationem dist. antecedens. Nulla entitas est separabilis à sua quidditate, eo modo quo est quidditas ejus, concedo modo quo non est quidditas ejus, nego antecedens. Et dist. min. subsumptam, quidditas est de essentia entitatis, quidditas absoluta, concedo min. quidditas respectiva, subdist. est de essentia entitatis ut propriæ fundamenti, neg. min. ut appropriata relationi, concedo min. & neg. consequentiam. Suprà in actione, & passione ostensum est, quod eadem entitas potest habere duplicem quidditatem: quo posito in entitate etiam relationis, dicendum est, quod nulla entitas est separabilis à sua quidditate modo quo est quidditas ejus. Quare stante fundamento solo, cum maneat entitas relationis non reduplicativè, ut relationis, & ei appropriata, sed ut propria fortius fundamenti, entitas sic non habet aliam quidditatē quàm absolutam, & ab ea non est separabilis adhuc per rationem. Similiter stante fundamento & termino, stat entitas nedum ut

ut propria fundamenti, sed ut appropriata relationi, quare debet stare quidditas relativa, nec per rationem est ab ea separabilis. Dicimus tamen illam quidditatē relativam realiter separari ab entitate fundamenti, ut propria fundamenti est, ceterum sic quidditas illa non est quidditas talis entitatis.

Ad tertium dic, quòd quidditas relationis de materiali dicit fundamentum & terminum, ex quibus resultat; de formali autem dicit purum ordinem, & quidditatem ab utroque distinctam, nempe à fundamento quidditativè, & à termino entitativè, ut dictum est num. 10. Imò resultantia arguit realem distinctionem, quia nemo ex seipso resultat, nec à seipso dimanat, sed ab alio: ergo si relatio est quidditas resultans ex fundamento & termino, est quidditas ab utroque realiter distincta. Talis ergo est per se una, & ideo constituit speciale prædicamentum.

21. Dices: Hæc quidditas relationis vel non distinguitur à fundamento, vel si distinguitur, ut sic distincta erit ens, & aliquid: sed quod est ens, & aliquid distinctum ab alio, distinguitur entitativè: ergo vel hæc quidditas nõ distinguitur à fundamento, vel

si distinguitur, distinguitur entitativè, ut docet prima sententia; quare non stat distinctio nostra purè quidditativa, Confirmatur. Vel hæc quidditas in linea entis est plus quàm modus; vel æquè, aut minus. Si plus quàm modus, erit entitas; & sic erit distinctio entitativa major modali. Si minus, vel æquè: ergo sicut modus non sufficit cõstituire diversum prædicamentum à re, cujus est modus, sic nec quidditas ista distincta: unde tollitur à nobis prædicamentum relationis. Confirmatur secundo: Hæc quidditas distincta vel est aliquid, vel nihil: si nihil? non erit distincta, quia distinctio est passio entis, non nihili. Si aliquid? ergo est ens; & sic distinctio ejus à fundamento erit entitativa entis ab ente. Tertio: Hæc quidditas est prædicamentum contentum sub ente: ergo transcenditur ab ente: sed quod transcenditur ab ente, est ens: ergo hæc quidditas est ens. Ergo distinctio ejus à fundamento est entis ab ente, & sic entitativa.

Hæc replica cum suis probationibus solvenda est ex dictis hic q. 7. num. 1. & 2. ubi ostensum est ex Arist. ex M.P. N. Augustin. B. Egidio, & D. Thoma, quòd relatio ratione sui non est aliquid, sed ad aliquid quare

quare est medium inter aliquid, & nihil; licet non sit medium inter ens, & nihil. Ens latius patet quàm aliquid, nam aliquid dicit esse absolutum tantum; ens comprehendit esse absolutum, & relativum. Sic ens latius patet quàm res: quo fit apud omnes, ut inter rem & nihil detur medium distinctum ab utroque, scilicet modus; secus inter ens & nihil. Ob id etiã licet inter ens & nihil non detur medium, sumpto ente in sua latitudine; datur tamen inter aliquid & nihil, nempe ad aliquid. Non benè percipitur hoc, quia ab initio Summularum nobis imprimitur esse æqualiter transcendentia res, ens, verum, bonum, aliquid, unum; quare putamus quòd quidquid est, illud est ens, res, & aliquid. Ceterum revera hic corrigenda est rudis illa impressio summulistica. Nam ens potest sumi strictè pro ente, quod propriè est ens, habens entitatem propriam, & hoc modo æquè patet ac res, & aliquid. Vel sumi potest in omni sua latitudine, ut comprehendit modos, & quidditates, quæ non habent entitatem propriam; sed appropriatam; & hoc modo latius patet ens quàm res, & aliquid; nam datur modus, qui non est res, sed distinguitur à re; & datur quidditas relativa, quæ non est aliquid,

sed ad aliquid.

22. Quia tamen non habemus nomina diversa, quibus explicemus ens in sua latitudine, & in sua proprietate, nam utrumque explicamus eodem nomine ens, ideo solutio erit prolixior, sed vera, & juxta modum loquendi Aristotelis, M.P.N. Augustin. D. Thomæ, & Beati Egidij: cum quibus ad replicam dic, quòd quidditas relationis distincta à fundamento, ut sic distincta non est aliquid, nec ens propriè sumptum; est tamen ad aliquid, & ens latè sumptum, ut comprehendit esse relativum non habens entitatem propriam, sed appropriatam. Et dist. minorem: sed quod est ens, & aliquid distinctum ab alio, distinguitur entitativè; quod est ens strictè, concedo min. quod est ens latè, & non aliquid distinctum, sed ad aliquid, nego min. nam tale non habet entitatem propriam, sed propriam quidditatē; unde distinguitur quidditativè, non autem entitativè.

Ad primam confirmationem dic, quòd hæc quidditas est plusquam modus. Nam modus non pertinet directè ad prædicamentum, ut dictum est q. 1. hujus libri num. 4. ceterum hæc quidditas pertinet ad prædicamentum directè; imò ratione sui formaliter diversificat


ficat prædicamenta, ut patet in sex ultimis, quæ dicunt rem sub ordine. Rursus modus in recto nullo modo est ens, sed in obliquo, quare est obliquitas entis, ut dictum est supra libro 3. q. 7. §. 1. At quidditas relationis in recto est ens, licet non strictum; quia ratione sui formaliter habet esse relativum. Ob id plus est in linea entis latissima quidditas, quam modus. Nego tamen sequelam confirmationis, nam licet quidditas plus sit quam modus, non est entitas, imò nec habet entitatem propriam, sed appropriatam, ut dictum est. Quare non probatur quòd distinctio quidditativa sit etiã entitativa.

Ad secundam confirmationem dic illam quidditatem non esse aliquid, nec nihil, sed quid medium, nempe ad aliquid: quare non est ens strictè, sed latè juxta expositionem datam. Quo fit, ut distinctio realis quidditatis à fundamento, non sit entitativa, sed purè quidditativa. Vide q. 7. hujus libri num. 2. ubi urgentissimè de hoc.

Ad tertiam confirmationem dic relationem contineri sub ente in omni latitudine accepto; non verò sub ente stricto, dicente entitatem propriam: quare transcenditur ab ente latissimo, non verò à stricto.

Inde solū sequitur, quòd relatio sit ens habens entitatem appropriatam, non autem ens habens entitatem propriam: & consequenter ejus distinctio à fundamento est purè quidditativa, nò entitativa aut modalis, cum relatio modus non sit; nec habeat entitatè propriam.

Cum N. B. Ægidius dividat ens in decem prædicamenta sic. Ens vel dicit rem, vel purum ordinem, vel rem sub ordine. Si primum? est substantia, quantitas & qualitas. Si secundum? est relatio. Si tertium? talia sunt sex ultima prædicamenta. Cum ergo N. B. Doct. sic dividat ens; ecce aliam distinctionem pro replica facta. Dic quòd relatio est ens, ut ens dicit purum ordinem, ceterum non est ens, ut ens dicit rem, vel rem sub ordine. Distinctio entitativa est rei à re; quare solū datur inter extrema, quæ sunt ens, ut ens dicit rem, vel rem sub ordine. At relatio non est hoc modo ens, sed est ens ut ens dicit purum ordinem, & puram quidditatem respectivam: ergo distinctio relationis à fundamento est purè quidditativa, non entitativa.



Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum.

23. **F**undamenta primæ sententiæ facile trahi possunt, ut probent nostram sententiam de distinctione solū quidditativa; nec suadent entitativam. Quare, ut ea nunc sigillatim expendamus juxta doctrinam supra datam, ad primum positum num. 1. dic, quòd quando Philosophus docet quòd unū in substantia facit idem, in quantitate æquale &c. ly *facit* non dicit efficientiam causæ efficientis, sed dicit constitutionem intrinsecam causæ formalis. Explicatur in sententia communi docente totum compositum non distingui à partibus simul sumptis, & unitis. In hac sententia DD. ejus dicunt, quòd materia & forma unitæ faciunt compositum. Ecce argumentum. Sed nihil facit seipsum: ergo compositū differt à suis partibus unitis? Mala consequentia. Nam variatur appellatio, vel significatum verbi *facit*: quia quando dicitur nihil facit seipsum, ly *facit* significat causam efficientem, quæ realiter distinguitur ab effectu; & de hac est verum, quòd nihil facit seipsum. Ce-

terum cum causa formalis intrinseca, & constitutiva, non distinguatur à constituto, idè idem sic facit seipsum. Philosophus ergo ibi intelligendus est de causa formali, & constitutiva, dum dicit unum in substantia facit idem, in quantitate æquale &c.

Et quidem de unitate in substantia est certissimum; nã identitas, quæ est unitas in substantia, non est entitas, vel modus distinctus ab unitate in substantia. Nam relatio idèritatis inter Petrum & Paulū in ratione hominis, non est quid distinctum ab unitate specificæ nature humanæ in qua conveniunt Petrus & Paulus, Vel si quid probatur distinctum, erit distinctum ad summum quidditativè. Adde ex dictis de mente etiam aliquorum Thomistarum, quòd relatio identitatis, sicut & quælibet fundata in substantia, non est prædicamentalis, sed vel transcendentalis, vel secundum dici. Hic quæstio est de sola prædicamentali; nam aliæ apud omnes sunt indistinctæ à fundamento.

Ad primam confirmationem dic illam probare distinctionem quidditativam, non entitativam. Nam idè juxta Philosophum non datur motus per se ad relationem, quia relatio per se non est entitas; quare per se non terminat motum,

tum, nec causalitatem; ob id etiam potest adesse & abesse sine mutatione subjecti, quia per absentiam ejus, vel presentiam nulla entitas adest, vel abest à subjecto. Quia tamen est entitas ratione fundamenti, idè ratione fundamenti terminat motum, & ratione fundamenti potest mutare subjectum. Ergo ex doctrina illa Philosophi nō probatur, quòd relatio sit entitas distincta; bene verò quòd sit quidditas; alioquin si nullo modo differret à fundamento, sicut per se datur motus ad quantitatem, qualitatem, & ubi, quæ fundant relationes, daretur per se ad relationem. Observa ex D. Thoma lib. 5. Physicorum lect. 3. quòd relatio produciatur radicaliter ab eo qui producit fundamentum. Est doctrina etiam B. Ægidij passim, quare qui generat Petrum album, producit radicaliter relationem, qua posito alio albo est illi similis, & nigro dissimilis.

24. Ad secundam confirmationem dist. maj. omnis quantitas est æqualis, vel inæqualis, sine entitate, aut modo distincto, concedo maj. sine quidditate realiter distincta, nego maj. nam æqualitas non est sola entitas quantitatis, sed est quidditas consistens in actuali respectu unius quanti-

tatis ad alteram sibi æqualem. Et concessio, quòd nulla æqualitas est æqualis propter rationem ab arguente assignatam, dist. consequens, ergo nulla æqualitas est quantitas, entitativè, neg. consequentiam; quidditativè, concedo consequentiam, quia æqualitas quidditas est distincta à quantitate, licèt non sit entitas, aut modus distinctus.

Ad tertiam confirmationem adducitur duplex solutio. Prima negando, quòd diminuta albedine augeatur similitudo: non enim augetur, sed deficit prima relatio, diminuta albedine, & nova resultat relatio ex albedine diminuta. Probatum sic. Nam relatio variatur ad variationem fundamenti: sed quando à Petro habente sex gradus albedinis, tolluntur duo, tunc non manet entitas albedinis, quæ erat antea: ergo nec relatio quæ erat antea, sed diversa. Si ergo diversa est: ergo quæ antea erat, nō augetur, sed plenè deficit, & nova reponitur. Hæc solutio pendet à questione Philosophica de modo quo intenditur, & remittitur qualitas, an per majorem radicationem in subjecto, an per additionem gradus ad gradum? Quare.

Secunda solutio facilior est concedendo, quòd diminuta

minuta albedine in Petro, crescit ejus similitudo; sed inde infertur, quòd similitudo est quidditas distincta, non autè quòd sit entitas. Nam si esset entitas, quomodo posset crescere ex vi solius actionis destructivæ? Patet enim quòd qui destruit, non ædificat; qui diminit, non auget: ergo si ex vi solius actionis destructivæ gradus albedinis, crescit similitudo, hæc non est entitas, aut modus distinctus. Est quidditas, quæ sicut revera non sit per se, sed resultat, potest resultare major ex entitate diminuta, quàm ex entitate aucta.

25. Ad secundum argumentum nostri Veneti, positum num. 2. respondeo primò instando in actione, & passione, quæ sunt eadem entitas: & tamen licèt identificetur cum eadè entitate, nō identificantur inter se, sed sunt realiter quidditativè distincta, ut ostensum est. Respondeo secundò, quòd similitudo, & dissimilitudo sunt duæ quidditates distinctæ; & sicut cum fundamento identificatur quoad entitatem, sed non quoad quidditatè; ita inter se quoad entitatem sunt idem, & differunt quoad quidditatem. Quare sunt quidditates distinctæ tum inter se, tum à fundamento, non tamen sunt entitates

distinctæ à fundamento, nec inter se. Quod de actione, passione, & termino dicere debes, stando doctrinæ supra datæ.

Ad primam confirmationem dic, quòd separatio est signum distinctionis realis. Manente fundamento, & destructo termino, manet relatio quoad entitatem, & deficit quoad quidditatem: ergo inde probatur sententia nostra de distinctione quidditativa relationis à fundamento. Imò ex hoc argumento probamus sententiam nostram contra DD. secundæ sententiæ, nam ipsi dicunt, quòd in casu dicto, manet relatio quoad entitatè & quidditatem, & solum deficit quoad exercitium referendi. Quomodo manet quoad quidditatem deficiente exercitio, in quo consistit quidditas, & essentia relationis? Jam vides hoc implicare, nam implicat manere essentiam sine constitutivis essentiæ. Ergo ex defectu exercitij referendi colligitur defectus quidditatis relationis: quare probatur quidditas distincta à fundamento.

Ad secundam confirmationem concedo, quòd nihil est fundamentum sui ipsius; concedo etiam quòd quantitas, & qualitas sunt fundamentum relationis: & dist. consequens;

sequens: ergo relatio distinguitur à quantitate, & qualitate, distinguitur quidditative, concedo consequentiam; entitative, vel modaliter, nego consequentiam. Ad tertiã confirmationem nego suppositum majoris. Supponit arguens, quòd datur entitas respectiva; & hoc est falsum, quia relatio formaliter non est entitas, sed quidditas. Ceterum admissò hoc, dist. consequens: ergo relatio distinguitur à fundamento, distinguitur quidditative, concedo consequentiam, entitative, vel modaliter, nego consequentiam. Quia relatio non habet entitatẽ propriam, nulla datur entitas formaliter respectiva. Quia tamẽ entitas fundamenti, quæ absoluta est, appropriatur relationi, quidditative distinctæ, ideò relatio distinguitur quidditative, ab entitate absoluta fundamenti.

26. Ad primam auctoritatem D. Thomæ positã num. 3. dic ibi S. Doctorem non dicere, quòd relatio creata est alia res à subjecto quòd dicitur relative, sed quòd illud absolutum supra quòd fundatur immediatè relatio, est res distincta à subjecto creato, & non sic in Divinis. Hoc est verum, & pro nobis, non contra nos. Sit exemplum in Paternitate, quæ tam in creatis,

quàm in Divinis est relatio. En utrobique est respectus, nempe relatio paternitatis, & aliquid absolutum, supra quòd fundatur immediatè, nempe potètia, vel actio generativa. Dicit D. Tho. discriminari Divina à creatis, quòd absolutũ illud in creaturis est alia res à subjecto creato; secus in Deo, ubi potètia generativa, & actio identificantur cum substantia Dei. Et quòd iste sit sensus nõ eget interprete, sed lectore, nã dicit, *Id quod invenitur in creatura præter id quod continetur sub significatione nominis relativi, est alia res.* At relatio continetur sub significatione nominis relativi, non autem præter; nam hoc est absolutum fundamentum relationis: ergo de fundamento dicit esse aliam rem à subjecto mediato, non de relatione, & sic nil contra nos. Confirmatio hoc ex dictis de mente D. Thomæ num. 14. & ex allegatis num. 4. pro secundã sententia.

Ad confirmationem ex D. Thoma omnes tenentur respondere. Nam sicut substantia creata non est infinita, sed limitata ad prædicamentum substantiæ; sic actio creata finitur, & limitatur ad prædicamentum actionis: & tamen juxta D. Thomam & communem sententiam actio creata non est entitas distincta à passio-

sione, sed entitative identificantur: ergo & substantia creata cum relatione poterit identificari. Respondeo directè, quòd juxta D. Thomam nulla relatio prædicamentalis fundatur in substantia creata. Id etiã à nobis defensatum est de mente Arist. M. P. Aug. & B. Ægid. ratio est clara. Relatio apud hos DD. est prædicamentum de numero accidentium; at relatio ratione sui non est accidens, nec substantia, sed ratione fundamenti, ut probatũ est, & docetur à D. Thoma, 1. p. q. 28. art. 1. ergo relatio nequit fundari in substantia, sed in accidente quantitatis, vel qualitatis: ergo cum entitas relationis sit entitas fundamenti, nequit substantia creata identificare relationem, nisi identificet secum fundamentum, nempe qualitatem, aut quantitatem. Hoc non potest creata, benè verò Divina, quia cum hæc sit infinita; quidquid in ea est, substantia est, & identificatur cum substantia Dei. Sed creatura non sic, quia ejus substantia finita non identificat secum magnitudinem, bonitatem, & alias perfectiones de diversis prædicamentis quãtitatis, & qualitatis. Hinc nil contra nos. Vnde.

Ad rationem formatam num. 3. ex secundis verbis D. Thomæ concedo, quòd sub-

stantia creata nequit identificare rem alterius prædicamenti, nego autem minorem, & suppositum illius. Minor expressè dicit relationes identitatis, & distinctionis specificæ esse prædicamentales. Hoc negamus, quia in substantia nulla relatio prædicamentalis potest fundari, ut dictum est. Dato esse prædicamentales, non forent distincte entitative, sed quidditative juxta dicta hic num. 23. Rursus supponit minor, ut concordet cum majori, quòd relatio est res alterius prædicamenti à fundamento. Hoc negamus in tota questione, nec probatur ab his DD. contra nos.

Ad solutionem hujus rationis, datam inter arguendũ, dic esse legitimam, ut hic ostensum est. Nec benè impugnatur à M. Bajona. Vnde pro intelligentia auctoritatis D. Thomæ nobis objectæ, observa, quòd creatio potest sumi active, & passive. Active sumpta, est actio Dei, cum Deo identificata, & æterna, quæ non producit terminum ab æterno, sed in tempore, quia est actio agentis per intellectum, & voluntatem liberam; quare agit quando vult, & quomodo vult, voluit autem, in tempore producere, non ab æterno. Creatio passive sumpta est ipsum esse creaturæ, ut productum à Deo,

Deo, & ab ipso dependens, ut mensuratum à mensura. Hoc esse nedum est substantialis, sed accidentale; quare relatio creaturæ ad Deum mensuratum non fundatur in sola substantia, sed in toto esse creato, quare immediatè fundatur in accidentibus, mediatè in substantia. Unde neg. min. nēpe quod talis relatio immediatè fundetur in substantia. At casu, quo substantia creata sola produceretur; tunc diceret relationem ad Deum, sed non prædicamentalem, sed transcendentalem, ut dictum est q. 8. num. 13.

27. Fundamenta secunda sententiæ sūt pro nobis, quatenus eis impugnatur distinctio entitativa, vel modalis; debent tamen expendi, ne illis evertatur distinctio quidditativa. Primum positum num. 4. non est contra nos, qui cum nostris DD. dicimus relationem non esse rem distinctam à fundamento. At quoniam dicimus esse quidditatem distinctam, quæri poterat, an dum hæc advenit de novo subjecto, illud mutet? Item, an cum subjecto faciat compositionem? Nam si facit, & mutat subjectum: id negatur à Philosopho, & à D. Thoma allegatis num. 4. Dicendum cum B. Egidio locis infra citandis, quod relatio advenit

substantia ad mensuratum, & non mensura ad substantiam.

subjecto sine mutatione subjecti; per solam mutationem termini. Ita docetur ab ipso q. 4. de Mensura Angelorum. Dicendum secundo, quod relatio nullam facit compositionem cum subjecto, sed sine compositione facit distinctionem fundamenti à termino. Ita B. Egidius Quodl. 4. q. 3. §. Tertio differt. Dicendum tertio, quod sola relatio est talis, ut faciat distinctionem sine compositione. Ita B. Egidius in 3. Sent. dist. 5. p. 1. q. 1. art. 1. dubio 1. §. Secunda via. B. Egidium sequitur de more N. Villanova in Log. disp. 6. de relatione dub. 5. cap. 3.

Primum assertum probatur à B. Egidio ex differentia relationis à reliquis prædicamentis: nam alia vel dicunt rem, ut tria prima; vel rem sub ordine, ut sex ultima, sola autem relatio non dicit rem, sed purum ordinem: at res non potest advenire subjecto sine mutatione subjecti, bene verò ordo, qui resultat per solam mutationem termini: ergo licet quantitas, qualitas, actio &c. non possint advenire subjecto sine mutatione subjecti, bene verò relatio, que est purus ordo, & quidditas resultans ex sola mutatione termini. Ob id S. P. Augustinus 5. de Tri. cap. ultimo, dicit quod quis incipit esse similis alteri

non per mutationem substantie, sed per mutationem termini.

sine sui mutatione, sicut numerus sine sui mutatione incipit esse pretium. Vide verba S. P. N. num. 5. Pone Petrum solum album, non est ulli similis, nec relatus. Fiat alibi aliud album: tunc incipit Petrus esse similis, & resultat in eo quidditas similitudinis distincta ab albedine. Hæc resultat sine mutatione Petri, cum sola mutatione termini de novo producti. Hoc solius relationis proprium est; quoniam ipsi soli convenit esse puram quidditatem, & purum ordinem, non dicentem rem.

Secundum assertum probat B. Egidius, quia relatio vel consideratur quoad entitatem, vel quoad quidditatem. Si primum? Ergo cum non habeat entitatem distinctam à fundamento, non facit compositionem cum eo; quia compositio est distinctorum unio. Si secundum? Ergo cum quidditas illa non sit aliquid, sed ad aliquid, sic nihil ponit in subjecto relativo, sed totum suum esse est ad terminum. Explicatur. Ut fieret compositio ex subjecto & relatione, debebat relatio esse aliquid unitum subjecto. At relatio aliquid non est, sed ad aliquid, nec est compositius subjectum relatum ad terminum, ac erat ante relationem, cum non habeat aliquid, quod antea non haberet, sed solum ad aliquid; nec

hoc est ludere terminis, ut vidimus q. 7. num. 1. ergo relatio non facit compositionem cum subjecto.

Tertium assertum sequitur ex primo, & secundo. Quare sicut sola relatio advenit sine mutatione subjecti; & sola advenit sine compositione cum subjecto, cum aliunde habeat distinguere, habet facere distinctionem sine compositione. Distinctio inter absoluta nequit fieri sine compositione, & mutatione, quia absoluta dicunt rem, vel rem sub ordine. Ceterum sola relatio dicit purum ordinem, sufficientem distinguere, non potentem immutare, nec facere compositionem. Ob id in Divinis Persona Patris differt à Filio per solam relationem, nec potest per aliquid absolutum. Quia cum sit summè simplex, & immutabilis, unice distingui potest per id, quod distinguit sine compositione, & mutatione: & hoc sola relatio est. Nec audiendi sunt docentes Deum non posse dicere relationem realem ad creaturas, quia per adventum ejus, vel absentiam mutaretur. Assertum est verum, sed causalis est falsa, quia non mutaretur Deus, eò quod sine mutatione habet relatio advenire subjecto, per solam mutationem termini, qui cum sit creatura mutari potest. Ratio autem

cur Deus ad creaturam non dicat realem relationem, data est à nobis cum B. Egidio q. 8. num. 12. quia nempe cum Deus sit agens non motum, est mensura creaturæ: & mensura nequit dicere relationem realem ad mensuratum.

28. Ad secundum fundamentum positum num. 5. dicimus probare relationem non esse entitatem, modum, aut realitatem distinctam à subjecto; quod concedimus. Non autem probat non esse quidditatem distinctam. Tota probatio sumitur ex eo quod per relationem non mutatur subjectum juxta doctrinam SS. PP. atqui licet relatio sit quidditas distincta, non mutat subjectum, cui advenit, ut ostensum est: ergo ex argumento non probatur, quod relatio non sit quidditas distincta. Dices: Per adventum quidditatis se habet aliter intrinsecè subjectum, ac antea; nam habet quidditatē realem, quam antea non habebat: ergo mutatur. Respondeo negando antecedens. Nam quidditas illa nil addens subjecto in ordine ad se, non dat alietatem intrinsecam: dat tamen alietatem extrinsecam, quatenus per illam quidditatē subjectum refertur ad terminum extrinsecum. Transit subjectū de non relato ad esse relatam per illam quidditatem: cete-

rūm cum transitus iste non fiat per additionem entitatis, modi, aut realitatis, sed per purū ordinem ad terminum extrinsecum; si quæ adest mutatio, extrinseca est, non intrinseca subjecto: quare non se habet aliter intrinsecè subjectum, sed extrinsecè, quatenus nunc respicit terminum extrinsecum, quem antea non respiciebat. Nec sic respicere, vel non respicere pendeat ex aliquo intrinseco subjecti, sed ex puro extrinseco, nempe ex positione vel defectu termini.

Nec confirmatio secundi fundamenti est contra nos, qui negamus mutari subjectū per adventum relationis. Id negatur etiam à pluribus prima sententiæ, quorum solutio data inter arguendum, satis urgeter impugnatur; nec impugnationes faciunt contra nostram doctrinam, quare de illis non sumus solliciti. Ob id etiam omitterimus secundam solutionem cum suis impugnationibus. Nos autem in casu illo motus formicæ dicimus, quod res universi mutant distantias ad formicam; quare variantur omnes relationes distantie. Non tamen mutantur res universi, quia per variationem quidditatis non mutatur subjectum, sed terminus, ut dictum est. Quare in casu sola formica mutaretur localiter, rebus

rebus omnibus immutatis; quia sola illa esset terminus illarum relationum, quæ variantur sine mutatione subjecti cum sola mutatione termini.

29. Ad tertium fundamentum positum num. 7. neg. min. de distinctione quidditativa. Ad probationem min. dic. quod positus duobus albis sunt similia formaliter sine entitate, aut modo superaddito; non tamen sine quidditate distincta, quia hoc implicat in terminis. Implicat duo alba esse similia sine similitudine; item duo quanta esse æqualia sine æqualitate: sed æqualitas, & similitudo, licet non sint entitas, aut modus distinctus à quantitate, & qualitate, sunt quidditas ab eis distincta, ut probatum est: ergo implicat esse similia sine quidditate distincta, licet similia sint sine entitate, aut modo superadditis. Iam vides hoc fundamentum probari nostram sententiā quoad utramque partem de distinctione tantum quidditativa. Et hæc sufficiat pro quæ-

stione ista, quam latè versavimus, quoniam distinctio ista quidditativa deservit pro dicendis de actione, & passione 3. Physicorum, de rationibus feminalibus, & unione materiæ cum forma 1. Physicorum. De ubi, & quando in 4. Physicorum, & de alijs. Imò & pro mysterio SS. Trinitatis, & Divinis relationibus, utilissima est. Observa, quod relationes Divinæ non distinguuntur realiter quidditative à Personis, quia per relationes constituitur Personæ, & nihil differt à suis constitutivis. Nec differunt relationes ab essentia adhuc quidditative realiter actualiter, sed solum virtualiter; quia essentia Divina plene identificatur cum fundamento proximo relationum, & sic quæ in nobis actualiter sunt distincta, in Deo solum virtualiter distinguuntur. Sunt etiam in Deo indefectibiles, tum propter identitatem, tum quia terminus nempe Filius, & Spiritus sanctus sunt indefectibiles.

Q U Æ S T I O D E C I M A.

Utrum relatio terminetur ad absolutum?

§. I.

Quibusdam notatis, proponuntur sententiæ cum suis fundamentis.

1. **A**ctum est de relatione comparata fundamen-

to, nunc quarimus de ea relatione ad terminum; nec est quæ-

stio de termino materiali, quia certum est esse aliquid absolutum: de formali dubitatur, id est de ratione formali terminandi, an sit quid absolutum, an solum relativum? Rem sic intellige. Habes ex dictis quod relationes primi, & secundi generis sunt mutuae, quia tam refertur pater ad filium, quam filius ad patrem. Relatione igitur pater refertur ad filium: filius qui est terminus, habet quod sit homo, & hoc est absolutum, habet insuper relationem filiationis fundatam in passiva generatione. Queritur an filius terminet relationem patris, qua filius est; an verò, qua homo? Si primum; ratio terminatur formaliter ad relativum, quia ratio formalis terminandi non est absolutum, sed ratio filiationis. Si secundum; ratio terminatur ad absolutum, quia formalis ratio terminandi in filio est natura humana, quae aliquid absolutum est.

Observa 2. ut detegas facilliter æquivocationem hinc frequentem, dubium non esse de termino denominativo relationis, sed de formali supra explicato. Ratio primi est, quia pater non denominatur pater filiationis, aut relationis filii, sed dicitur pater substantiæ filii, à se genitæ, & hæc quid absolutum est. Similiter pater

non est similis filio in relativo, sed in absoluto, quia non est similis relationi filiationis, sed dissimilis; unde solum similis est in natura, quæ est quid absolutum. Hinc fit, ut loquendo de termino denominativo relationis, extra dubium est esse quid absolutum. Queritur ergo de termino formali, vel de ratione formali terminandi relationem, an sit absolutum, an ratio fundata supra absolutum esse termini, ut supra dictum est?

2. Prima sententia docet omnem relationem terminari formaliter ad aliquid absolutum. Sic cum Scotus omnes Scotistæ in 1. Sent. dist. 30. q. 1. Ex DD. Societatis Suardi in Metaphysica disp. 47. sect. 16. Vazquez 1. p. disp. 159. cap. 6. & alij. Consentiant aliqui ex Thomistis, ut Moneda & Linæus. Eandem ut Egidianam sequitur N. Villanova in Logica disp. 6. dub. 11. cap. 1. citans ex nostris Argentanum, Coelestinum, & Landonum.

Probatum primò à Villanova ex N. B. Egidij 7. Physicorum lect. 6. ad illa verba: *Næque in habitibus.* Vbi N. B. Doct. dicit sic: *Nam cum motus recipiat speciem ex termino, & forma, ad quæ sunt, oportet formam illam esse aliquid absolutum. Si enim esset aliqua forma, quæ esset albedo in uno, & nigredo*

in alio, nullam speciem posset dare motui. Quia tunc motus, per quem acquiritur una eadem forma, in aliquo esset dealbatio, & in aliquo denigratio, quod est inconveniens. Hæc B. Doct. quibus nedum auctoritatem, sed rationem dat pro prima sententia.

Ratio formatur sic: Terminus motus juxta Aristotelem, ibi explicatum, debet esse quid absolutum: ergo & terminus relationis. Probatum consequentia: primò, quia juxta Arist. terminus motus debet esse quid absolutum, quia motus specificatur à termino: at etiam ratio specificatur à termino, ut dicemus q. sequenti: ergo sicut motus &c. ita ratio. 2. probatur consequentia. Ratio, quæ juxta Philosophum 3. Physicorum non terminat motum per se, sed per accidens, habet eundem terminum ac motus, quo per accidens acquiritur: ergo si motus terminatur ad absolutum, sic ratio tali motu acquisita. Explicatur. Pone unicum album hinc nulla est ratio similitudinis. Pone quod Romæ producatum aliud album; tunc incipit esse similitudo inter duo alba. Licet ergo ratio similitudinis albi Romani non fiat per motum, at album Romanum per se fit cum motu, & motus ille per accidens producit relationem similitudinis. Hinc vides, quod ratio habet eun-

dem terminum, ac motus in relationibus secundi generis, fundatis in actione, & passione; item in primi generis fundatis in unitate, & numero. Ergo si motus solum terminatur ad absolutum, pariter ratio. Tertio probatur consequentia. Quia ideò motus terminatur ad absolutum, quia quod est ratio formalis agendi, est ratio formalis terminandi actionem, ut patet in calore, qui in agente est ratio formalis calefaciendi, & in passo est ratio formalis terminandi calefactionem. Sed ratio formalis fundandi relationem agentis, est aliquid absolutum: ergo ratio formalis terminandi relationem agentis, est quid absolutum.

Confirmatur ex verbis datis B. Egidij. Specificativum debet esse invariabile; & ob id forma, quæ esset albedo in uno, & nigredo in alio, non posset esse specificativum motus: at ratio specificatur à termino; & nihil relativum est invariabile: ergo ratio non terminatur ad relativum, sed ad absolutum. Major præterquam quod docetur à B. Egidij cum Philosopho, patet. Quia specificativum dat speciem; species est essentia; & essentia debet esse invariabilis. Minor probatur quoad secundam partem. Nam ratio conformitatis humorum, quæ in cervo est sanitas, in leone est

est infirmitas. Commensuratio membrorum, quæ in equo est pulchritudo, in aquila foret deformitas. Ergo relatio non est invariabilis, sed variabilis juxta subjectorum variationem.

3. Secundò probatur eadem sententia à ratione. Posito fundamento & termino, resultat relatio: ergo terminus cum fundamento est causa, & prior ipsa relatione: sed terminus, ut relativus non est prior relatione: ergo relatio non terminatur ad terminum, ut relativum, sed ut absolutum. Confirmatur 1. Relatio diffinitur per terminum: sed non potest diffiniri per suum correlativum: ergo terminus relationis non est formaliter relativus. Probatur minor. Primò, quia id, per quod aliquid diffinitur, debet esse prius diffinito: sed correlativum non est prius relatione, sed simul cum illa: ergo. Secundò: Non potest relatio diffiniri per æquè ignotum: sed correlativa sunt æquè ignota; quia sunt simul natura & cognitione: ergo. Tertiò: Nam sequeretur quod diffinitum ingrederetur sui diffinitionem, quod est contra Arist. 2. Topic. cap. 2. sequela patet, nam cum filius, ut relativus sit ille *qui est ad patrem*, si diffiniretur pater per ordinem ad terminum relati-

vum, diffineretur sic: Pater est, *qui est ad illum, qui est ad Patrem*. Hac diffinitio ultra alios defectus habet quod pater ingreditur diffinitionem sui ipsius. Quartò: Nam D. Thomas 1. p. q. 25. art. 2. negat omnipotentiam diffiniendam esse per ordinem ad possibilia relative accepta, quia foret circulus vitiosus, qualis est iste, *Omnipotentia est talis, quia potest omnia, quæ potest*. Quare dum dicitur, *Omnipotentia potest omnia possibilia*, ly possibilia sumuntur absolute, non relative ad omnipotentiam: ergo nec relatio sine circulo diffiniri potest per ordinem ad terminum correlativum.

4. Tertiò probatur eadem sententia. In relationibus non mutuis datur formalis terminus in re: at terminus ille formalis non est relativus, sed absolutus: ergo relatio non terminatur formaliter ad relativum. Major patet, quia implicat relatio sine fundamento, & termino formali. Minor est certa, nam ideò dicitur non mutua, quia in termino nil est relativum, sed merè absolutum. Confirmatur. Vel relatio terminatur ad relativum, quia est relatio, ut sic; vel quia mutua est: sed non primum; quia cum relatio non mutua sit etiam relatio, peteret terminari ad relativum, &

hoc non potest. Non etiam secundum; quia etiam si in termino relationis mutua non esset relatio, adhuc foret terminus relationis mutua. Hoc docet D. Thomas in relatione maternitatis, quæ ex se mutua est; & tamen in Beatissima Dei Matre datur relatio realis maternitatis ad Filium; & in Filio non est relatio realis ad matrem. Ita 3. p. q. 35.

Confirmatur 2. Album non terminat relationem similitudinis, quia simile est, sed quia album est: ergo non terminat ratione relationis, sed ratione absolutæ albedinis. Explicatur. Pone album, & nigrum, sunt mutuo dissimilia: atqui relatio dissimilitudinis albi non terminatur ad nigrum ut dissimile, sed ut nigrum: ergo non terminatur ad relativum. Probatur min. In relatione dissimilitudinis non sunt dissimilia album, & nigrum, imò sunt similia in eo quod utrumque habet relationem dissimilitudinis: ergo relatio dissimilitudinis &c.

5. Secunda sententia docet, quod omnes relationes prædicamentales terminantur ad aliquid relativum. Est communissima inter Thomistas cum Caj. 1. p. q. 13. ar. 7. Ex nostris Lusitanus li. 5. Met. ca. 15. q. 3. Gavard. in Log. q. 3. de relatione art. 4. Et probatur ex D.

Thoma 1. ad Anibaldum dis. 30. q. unica art. 1. ad tertium dicente: *Terminus non potest intelligi, nisi sub opposita habitudine*. Et 2. contra Genit. cap. 11. dicit; *Quod non potest intelligi aliquid relative dici ad alterum, nisi è converso illud relative dicatur ad ipsum*. En filius v. g. non potest intelligi terminus patris, nisi sub habitudine filiationis opposita paternitati: ergo quia filius sic terminat, ut filiatio sit ratio formalis terminandi. En etiam pater nequit dici relative ad filium, quin filius intelligatur relative ad patrem: at filius non per suum esse absolutum, sed per relationem filiationis refertur ad patrem: ergo terminat formaliter per ipsam filiationem relativam.

Ratione probatur eadem sententia ex D. Thomæ verbis. Nam relatio versatur inter extrema distincta, & opposita; cum sit ordo unius ad aliud, & non ad seipsum. Imò tota ratio distinguendi extrema aliquando est relatio, ut patet in Divinis, ubi Personæ Divinæ, quæ sunt idem in omni prædicato absoluto, solum per relationes constituuntur, & distinguuntur. At terminus relativus solum ut relativus opponitur fundamento, aut subjecto relationis, non verò ut quid est absolutum: ergo non terminat ratione absolute,

soluti, sed ratione relativi formaliter. Minor patet. Quia pater Petri non opponitur relative Petro, qua homo est, sed qua filius est, quia sic intelligitur sub habitudine filiationis opposita relationi Paternitatis.

Confirmatur. Relationes Divinae non terminatur ad absolutum, sed ad relativum formaliter: ergo nec relationes creatae. Antecedens docetur ab omnibus, nam si paternitas terminaretur ad naturam Divinam Filij, faceret Patrem distinctum a natura Filij, quod est contra fidem; sicut facit Patrem distinctum a Filio, quia terminatur ut quo ad filiationem, & ut quod, ad Filium, ut Filium, & relatum. Probatur consequentia. Primum: Quia ex natura relationis venit, quod in Divinis terminentur ad relativum. 2. quia relationes creatae sunt participationes Divinarum relationum; dicit enim Apostolus de Deo loquens *A quo omnis paternitas*. Et cum omne esse creatum sit participatio Divini esse; relatio creata, quae non participat esse absolutum Dei, participat esse relativum Divinum.

Secundo probatur haec sententia a ratione. Nam relativa sunt simul natura, & cognitione; sed si terminus relationis non esset formaliter rela-

tivus, non forent correlativa simul natura, & cognitione: ergo relatio terminatur formaliter ad relativum. Probatur minor. Quia si terminus non est formaliter relativus, erit quid absolutum: sed omne absolutum est prius relativo; & sic non est simul natura, & cognitione cum suo correlato: ergo.

6. Tertia sententia docet, quod relationes mutuae terminantur formaliter ad relativum; sed non mutuae ad aliquid absolutum. Ira Bajona hic, & alij sequenti Ferrariensem 2. contra Gent. cap. 11. Probatur primo ex D. Thoma q. 9. de Potentia art. 8. dicente: *Relativa illa, in quibus non est eadem ratio referendi ex utraque parte, non sunt simul natura, sed alterum est prius naturaliter*. En relativa non mutuae, non sunt simul natura, ut Deus, & creatura, quia Deus est prior naturaliter, sed si relatio creaturae ad Deum, terminaretur ad relativum, foret simul natura, ut num. precedenti dictum est: ergo in relationibus non mutuis, terminus est aliquid absolutum formaliter.

Secundo: Deus nequit terminare relationem creaturae, ut relativus relatione reali, quia talem non dicit Deus ad creaturam. Nec ut relativus relatione rationis, quia relatio

ratio rationis non datur a parte rei; & Deus a parte rei est terminus realis relationis creaturae. Nec ut relativus extrinsecè per relationem creaturae ad Deum; quia cum extrinsecè denominatio sit indistincta a forma denominante, tunc relatio, quae terminaretur ad Deum, sic extrinsecè relatum relatione creaturae, terminaretur ad seipsam, quod implicat; quia relatio essentialiter est ad aliud: ergo restat quod relatio creaturae ad Deum terminatur ad Deum pure terminum absolutum, non autem ad ipsum relativum formaliter.

§. II.

Nostra sententia proponitur, & probatur.

7. **N**obis dicendum est cum DD. secundae sententiae, quod omnis relatio praedicamentalis terminatur formaliter ad aliquid relativum. Haec putamus expressam in Philosopho, in P. Aug. D. Thoma, & B. Aegidio: & cum rationes in contrarium non urgeant, merito haec sententia ceteris est praeponenda. Arist. hic cap. de relatione dicit: *Assignetur servus hominis, & alia avis; & circumscribatur ab homine esse dominum; non jam servus*

ad hominem dicitur. Cum enim Dominus non sit, servus non est. En servus dicitur ad dominum relative; sed taliter terminatur ad hominem, ut dominum, ut si circumscripto dominio, maneat homo; jam servus ad illum hominem non refertur. Ergo Dominus, ut formaliter relativus terminat relationem servitutis juxta Aristotelem. Quare cum exemplum hoc doctrinale sit pro omni relatione; dicendum est de mente Arist. omnem relationem terminari ad relativum formaliter.

De mente P. N. Augustini multa habemus. Nam de Categoria cap. 11. dicit: *Relativa debere simul esse ortu, & occasu: Sed pater, qua homo, est prior natura filio; & filius, qua homo, vivere potest patre defuncto; non tamen vivere sic potest qua filius: ergo quia pater, qua pater, terminatur ad filium, qua filius; & vice versa, sic ut semper terminetur ad relativum. Rursus docet Relativa a se vicissim pendere; pendet servus a Domingo, qua servus, non qua homo. Ibidem docet, Tunc vere aliquid relative dici, cum per vices converti potest. At conversio non fit, nisi per terminos formaliter relativos, ut docet S. P. N. Serm. 64. de Verbis Domini cap. 4. dicens: *Pater Filij qua Pater est, & Filius Patris est Filius.* Expressus lib. 1. de Doctr. Christi cap.*

30. Proximi nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus, nisi proximo potest. En non est proximus homini, sed proximo, eò quòd nomèn relativum est, nec potest terminari ad aliquid absolutum, sed ad vicissim conversum.

Tam alrè repositum est hoc dogma in mente Augustini, nempe *Omnia quæ relativè dicuntur, ad se invicem dicuntur*, verba sunt S. Doct. 7. de Trin. cap. 1. ut libro 5. cap. 12. fateatur, quòd pignus est nomen relativum, sed non inveniri pro termino vocabulum, quo vicissim dicatur; nam dicitur *Pignus gloriae, non gloriae pignoris*. Atqui non culparet defectum vocabuli, si relatio terminaretur ad absolutum, quia pro termino absoluto pignoris sunt plura vocabula, ut pecunia, vasa, frumenta, pro quibus pignus datur. Sic etiam docet Spiritum sanctum esse donum Patris, sed non dici relativè donum ad Patrem, sed ad donatorem; quia valet vice versa *Donum donatoris, donator doni*: sed non valet *Donum Patris, Pater doni*, quia Pater non est Pater Spiritus sancti, quem donat. Ergo P. Augustinus ubique totus est in docendo relationem formaliter terminari ad relativum.

8. De mente D. Thomæ satis constat ex dictis §.

præcedenti, & consentiunt ferè omnes Thomistæ. Solum dubitari potest circa relationes non mutuas: sed de eis infra erit sermo, dum expendamus fundamenta posita pro alijs sententijs. Major est difficultas pro mente B. Ægidij, eò maximè cum N. Villanova citet ejus verba in contrariū: nec Gavardi tenens sententiā nostram, ullam adducat B. Ægidij autoritatem.

Probatur ex N. B. Ægidio in 1. Sentent. dist. 12. q. 1. art. 1. in corp. ubi dicit: *Cum ergo dicitur, quòd relativa sunt simul natura, & cognitione, intelligendum est de relationibus oppositis, non de disparatis*. Hoc probat ex quo relatio est ad aliud; & subdit sic: *Et quia illud non est relativum quodlibet, sed oppositum solum; opposita relativa sunt simul natura*. Et infra: *Habitum est enim, quòd relativum à relativo quantum ad relationem secundam rationem quidditatis, non distinguitur, nisi ab opposito*. Sic probavit in 1. dist. 11. q. 1. art. 3. ergo juxta B. Ægidium terminus solum ut relativus terminat, & non ut absolutus. Probatur consequentia, quia sic terminat, qualiter est distinctus, oppositus, & simul natura cum subiecto relato: at solum est simul natura ut oppositus; & solum distinctus, ut oppositus; & solum oppositus, quatenus est relativus: ergo solum ter-

terminat, ut relativus.

Rurfus. In 1. dist. 27. q. 1. art. 1. in corp. postquam docet quòd relatio habet esse à fundamento dicit: *Attamen semper ei confert (nempe fundamentum) quòd sit relatio per comparationem ad suum oppositum, vel ad terminum*. Nota ly *semper*, ut videas relationem semper terminari ad oppositum fundamenti. Sed terminus solum ut relativus, est oppositus fundamento; non ut absolutus, ut ostensum est in Patre, & Filio: ergo semper relatio terminatur ad relativum.

Rurfus in 1. dist. 30. q. 1. art. 2. in corp. relatis tribus generibus relationum de mente Arist. 5. Metaphysicæ comm. 26. subdit: *Et est differentia secundum eundem ibi inter duos primos modos, & tertium, quia relativa secundum duos primos modos habent relationem realem ad se invicem modo converso; quia adificans realiter refertur ad adificatum, & è converso: sed relativa secundum tertium modum realiter ponunt aliquid in uno extremo, in alio autem quid rationis tantum*. En explicās omnes modos relativorum, dicit quòd habent relationem ad invicem; duo primi realem, tertius per rationem: ergo relatio omnis terminatur ad relativum, vel reale, si sit primi; & secundi generis; vel rationis, si sit tertium genus relationis.

9. Probatur à ratione ex B. Ægidio q. seq. allegando. Relatio terminatur formaliter ad terminum, à quo specificatur: sed relatio non specificatur à termino ut absoluto, sed ab eo, ut relativo: ergo relatio terminatur formaliter ad relativum. Probatur minor. Relatio nequit specificari ab aliquo extra suum genus: sed terminus, ut absolutus, est extra genus relationis, intra quòd solum est ut relativus formaliter: ergo &c. Supponit hæc ratio, quòd relatio specificatur à termino, de quo q. seq. Explicatur. Specificativum dat speciem, & species relationis est species relativa, non absoluta: at terminus absolutus nequit dare speciem relativam, quam non habet, benè verò terminus relativus: ergo solus terminus relativus potest specificare relationem, & esse terminus formalis illius.

Confirmatur. Ratio formalis, qua pater refertur ad filium, est relativa, nempe relatio paternitatis: ergo ratio formalis, qua filius terminat relationem patris, est relativa, nempe relatio filiationis. Antecedens patet, quia dempta paternitate, pater non refertur ad filium. Consequentia probatur. 1. Quia sicut fundamentum ex se absolutum, solum

per relationem fit extremum relativum; sic terminus ex se absolutus, solum per relationem potest esse terminus, & coextremum relativum. 2. Quia fundamentum, & terminus relationis, vel debent esse æqualiter relativa, hoc est de genere relativorum; vel si est inæqualitas, potior ratio adest ut terminus sit relativus, quam fundamentum: ergo si ratio formalis, qua fundamentum refertur, & fit extremum relativum, est relatio; ratio formalis, qua terminus terminat relationem, est relatio. Probatur antecedens. Relatio habet à fundamento unitatem numericam, & esse materiale; à termino unitatem specificam, & esse formale; sed potior est ratio, ut sit relativum, quod dat esse formale relationi, & unitatem specificam; quam quod dat solum unitatem numericam, & materialem: ergo &c. vide alias probationes num. 5.

Observe quod terminus formalis alius est *quod*, vel *qui*; alter est *quo*. Terminus *quo* est ratio illa formalis, qua terminus *qui* est complexum ex termino materiali, & formali. Explicatur in paternitate, quæ terminatur ad filium. Filius duo dicit, nempe hominem genitum, & filiationem; homo est terminus materialis, filiatio formalis; & ex utroque

resultat terminus formalis *qui*. Sicut enim relatio non refertur ut *quod*, sed ut *quo*; ita non terminat ut *quod*, sed ut *quo*.

Observe etiam, quod modus loquendi in relationibus non est uniformis, nam ut docet P. Augustin. de Categ. cap. 11. Quædam dicuntur de suo correlativo in genitivo, ut pater filij; filius patris. Aliæ in dativo, ut unum simile alteri, &c. Aliæ in ablativo, ut sensibile sensu percipitur; scibile scientia scitur. Omnes tamen dicuntur ad aliquid in accusativo, quia omnes diffiniuntur in ordine ad aliud.

10. Dices contra principalem rationem nostram. Implet mutua causalitas in eodem genere causæ, ut dicitur 2. Physicorum: sed si relatio terminaretur ad relativum, daretur mutua causalitas in eodem genere causæ: ergo implicat ex ratione nostra, quod relatio terminaretur ad relativum. Probatur minor. Nam tunc fundamentum & terminus mutuo specificarentur; v. g. pater à filio, & filius à patre; paternitas specificaretur à filiatione, & filiatio à paternitate, in eodem genere relationis, & causalitatis extrinsecæ specificativæ. Rursus. Vel relatio ex se habet speciem, vel non habet? Si primum; non sumit illam à termino, sed habet

bet in se. Si secundum; ergo relatio, quæ est in termino, nequit dare speciem fundamento relato; quia nemo dat, quod non habet. Rursus. Communiter dicitur, quod relatio prædicamentalis respicit terminum, ut purum terminum; relatio autem transcendentalis respicit terminum, ut causam, vel effectum, aut sub alia ratione, & non ut purum terminum: at nos in ratione probativa ponimus terminum ut causam formalem extrinsecam, dantem speciem: ergo licet ut sic foret relativus, non tamen esset terminus ut sic relationis prædicamentalis.

Respondetur. Quod licet causæ materiales, formales, efficientes, & finales, non possint invicem esse causæ; bene possunt relationes invicem specificari. Hujus ratio est, quia in solis relationibus datur mutuum reale, quo invicem referuntur. At in causis non datur in eodem genere mutuum, quo invicem causentur; imò hoc implicat, quia nemo nec mediata est causa sui; foret tamen, si causæ invicem essent causæ. Et licet nemo nec mediata referatur ad seipsum, possunt tamen relationes invicem referri; quia cum in termino sit relatio, non retrogreditur relatio fundamenti ad terminum, in ipsum fundamen-

tum; sed alia relatio quæ est in termino, vertitur ad fundamentum, & sic semper relatio est ad aliud.

Ad secundum dic, quod relatio ex se non habet speciem; sed à termino, ut dicemus. Quare relatio patris sumit speciem à filio: & relatio filij speciem à patre terminante. Et dum queris, quomodo filiatio det speciem paternitati; si filiatio non habet speciem in se? Respondeo quod habet illam in se, sed non ex se, sed ex suo termino, scilicet ex paternitate. Istæ relationes mutue simul se ponunt, & simul se perimunt; quare sicut simul natura invicem referuntur; sic simul natura invicem specificantur.

Ad aliud dic, illud discrimen assignari communiter ad salvandum, quod correlativa sunt simul natura, & cognitione; quod non videtur stare, si terminus sit causa alterius extremi, eò quod omnis causa est prior natura suo effectui. Hæc ratio non obstat causæ extrinsecæ specificanti relationem. Nam cum specificatio relationis detur solum à termino, actu terminante, & terminus non terminet actu ante existentiam relationis; alioquin nihil terminaret; inde fit, quod causalitas illa specificativa, est terminativa, & non

non inducit prioritatem. Discrimen commune objectum, solum excludit à termino relationis prædicamentalis causalitates, & rationes inducentes prioritatem naturæ, & tollescentes simultatem.

§. III.

Expenduntur fundamenta posita pro alijs sententijs.

11. **H**abemus contra nostram sententiam fundamenta primæ, posita num. 2. quæ oportet expendere. Ad primum dic ibi N. B. Doct. ostendere de mente Philosophi, quod non datur alteratio ad primam speciẽ qualitatis, quæ est habitus, & dispositio. Summa probationis est, quod alteratio est motus; habitus est relatio, ut patet in sanitate, pulchritudine &c. sed ad relationem non datur motus per se: ergo nec alteratio ad qualitatem primæ speciei. Addit autem in dubio sequenti rationem, quam nobis objicit Villanova, nempe quod specificativum motus debet esse invariabile: sed talis non est sanitas, consistens in conformitate humorum, quia quæ in cervo est talis, in leone foret infirmitas. At nihil est contra nos. Non prima ratio, quia licet relatio per se nõ

terminet motum, per se terminat relationem, ut vidimus ex Arist. Non secunda, quia sicut albedo specificans motum, est invariabilis, quia ubicumque, & in quocumque subiecto ponatur, est albedo, & constituit album; sic filiatio ubicumque ponatur est filiatio, & constituit filium: ergo tam invariabilis est relatio pro termino relativo, quàm albedo pro termino motus. Non est relatio terminus invariabilis pro motu, ut docet B. Egidius, quia motus non respicit humores utcumque relatos, sed relatos relatione conformitatis convenientis naturæ humoratæ. In hoc stat variatio; & ideo nequit motum terminare. At fundamentum relativum respicit pro termino relationem, ut meram relationem; & relatio ut sic invariabilis est.

Hinc ad rationem deductam ex Nostr. Egidio, concessio antecedenti, neg. consequentiam, concedo, quod terminus motus debet esse quid absolutum, & hoc nego de termino relationis. Ad probationem consequentiæ nego causalem esse adæquatam. Non ideo præcisè habitus nequit esse terminus alterationis, quia est relativum, sed quia alteratio respicit illud, ut relativum comparative ad subiectum, & sic est variabile, ut ostensum est. Relatio autem

autem ut mera relatio, est invariabilis: ergo ut sic potest esse terminus specificativus relationis. Ad secundam probationem consequentiæ neg. antecedens. Nec suadetur exemplo explicationis. Nam licet motus producat per se album, per accidens producat similitudinem; terminus similitudinis est per se similitudo alterius albi, terminus verò motus est albedo. At q. antecedenti probatam est relationem esse distinctam quidditative à fundamento: ergo terminus motus, & relationis, distinguuntur realiter quidditative. Adimus, quod relatio, & motus differunt genere, quia motus est de prædicamento actionis; actio & relatio genere differunt: sed quæ differunt genere, non possunt habere idem specificativum, alioquin haberent eandem speciem, quod implicat cum distinctione generica: ergo motus & relatio, nequeunt ab eodem termino specificari. Ad tertiam probationem consequentiæ, admissa majori, & min. nego consequentiam. Quia fundamento, ut fundanti relationem, non correspondet terminus, ut terminans actu, sed ut susceptivus rationis formalis terminandi. Aliud est fundamentum, ut fundans relationem; aliud, ut relatum. Primo modo est quid absolutum, &

ei correspondet terminus ut absolutus, potens suscipere rationem formalem terminandi. Secundo modo est quid relativum; & ei correspondet terminus, ut terminans: cererum utrumque est relativum, & utrobique relatio est formalis ratio referendi, & terminandi, ut dictum est num. 9.

Ad confirmationem ex verbis B. Egidij, concessa majori, neg. min. quoad secundam partem. Ad probationem ejus, concessio antecedenti, dist. consequens, ergo relatio non est invariabilis, relatio ut terminus motus alterationis, concedo consequentiam; relatio, ut terminus relationis, nego consequentiam. Alteratio respicit conformitatem membrorum, aut humorum, in qua consistit sanitas, & pulchritudo, non ut relatio est præcisè, sed ut talis relatio est conformis, vel difformis subiecto humorato, & figurato. Et cum subiecta varia sint, nequit eadem temperies esse omnibus uniformis, sed quæ in uno est sanitas, in alio est infirmitas; quæ in uno est pulchritudo, in alio est difformitas. Ob id relatio illa, ut sic inspecta ab alteratione, variabilis est, & ideo nequit esse specificativum motus. At eadem humorum conformitas, ut relatio est, est invariabilis, quia in quocumque subiecto pona-

ponatur, relatio est. Atqui relatio respicit pro termino *quod* relationem, ut relatio est: ergo si ut sic est invariabilis, ut sic potest esse terminus relationis.

12. Ad 2. fundamentum positum num. 3. dist. antecedens. Posito fundamento, & termino, resultat relatio positiva formaliter, nego antecedens: positiva fundamentaliter, concedo antecedens, & dist. consequens eadem distinctione, & concessa minori subsumpta, nego consequentiam: fundamentum, & terminus secundum suum esse absolutum, sunt causa, unde resultat relatio. Quare ut sic procedunt natura relationem. Ceterum per relationem ipsam fiunt correlativa formaliter, & formaliter fiunt terminus, & fundamentum. Quare ut sic, nec sunt causa relationis, nec ipsam procedunt.

Ad 1. confirmationem, nego, quod relatio non possit diffiniri per suum correlativum; est enim ordo ad aliud; unde necessarium sic diffinienda est. Nec oppositum convincunt probationes. Non prima: quia ordo unius ad aliud diffinitur per *ly aliud*: & tamen *ly aliud* non est prius relatione diffinita. Non secunda, quia tota diffinitio debet esse magis nota diffinito, licet partes eius sint

æque ignota. Diffinitio totalis relationis notior est relatione: licet detur per ordinem ad terminum correlativum fundamenti, æque ignotum, ac fundamentum. Non tertia; quia dicendo: *pater est ille, qui est ad illum, qui est ad patrem*, non datur unica diffinitio, sed duplex, nempe patris per *ly ille, qui est ad illum*: & filij nempe *qui est ad patrem*. At in nulla seorsim ingreditur diffinitum: ergo nec dum copulantur, est verum, quod diffinitum ingrediatur sui diffinitionem. Non tandem quarta: quia in relativis mutuis ponendus necessarium est circulus, qui ne sit vitiosus, satis est, quod varientur recta & obliqua diffiniendo unum in recto per aliud in obliquo. Nec obest doctrina allegata D. Thomæ, cum omnipotentia, & creaturæ possibles non sint relativa mutua, sed tertij generis fundati in mensura.

13. Ad 3. fundamentum positum num. 4. neg. mix. nam etiam relatio non mutua terminatur ad relativum; nec in hoc est discrimen à mutuis, sed in eo quod docet N. B. Egidius num. 8. allegatus in ultima autoritate, nempe, quod terminus relationis mutua est realiter relativus; terminus relationis non mutua relativus est, sed non realiter, sed per rationem: quare etiam relatio non

non mutua terminatur ad relativum. Quomodo autem hoc sit, dicam infra. Ad 1. confirmationem dic, quod relatio, ut relatio, terminatur ad relativum, & sic omnis relatio etiam non mutua, ut dictum est.

Ad 2. confirmationem, dic quod album terminat similitudinem alterius albi, quia album est, *ly* quia dicente causam, nam ut vidimus num. 12. fundamentum materialiter sumptum cum termino absolute accepto, sunt causa resultantia relationis. Ceterum *ly quia* dicente rationem formalem, est verum quod album quia simile, terminat similitudinem alterius albi, sicut est verum quod Petrus est homo, quia est animal rationale. Ad explicationem dic album dissimile nigro, terminare relationem dissimilitudinis, quia est dissimile in albedine: nec obstat utrius dissimilitudinem non esse dissimilem; quia non dicuntur, nec sunt dissimiles in dissimilitudine, sed in albedine, & nigredine. Quare album nigro dissimile in albedine, terminat, ut sic dissimile, relationem dissimilitudinis nigri, & sic ut formaliter relativum terminat.

14. Fundamenta secundæ sententiæ sunt pro nobis, quare applicanda sunt nostræ sententiæ, non solvenda. Ceterum quæ dicta sunt num. 6. pro tertia sententia contra nos sunt.

Ad primum dic, quod in relativis non mutuis, attento esse reali eorum, unum extremum est prius natura altero; ceterum attento esse relativo per rationem, unum non est prius natura alio. D. Thomas in laudata autoritate primum ostendit, nec secundum negat. Quo fit ut licet Deus terminet relationem creaturæ, Deus sit realiter prior natura omnibus creaturis. At sic prior non terminat, sed ut relativus per rationem. Cum ergo ut sic relativus non sit prior, sed plene simul: ideo nil contra nos. Volumus dicere quod Deus in se est prior creatura, sed Deus, ut Dominus, vel Creator non est prior, sed simul. At relatio servitutis, & mensurationis creaturæ, non terminatur ad Deum in se, sed ad Deum, ut Dominum, & ut Creatorem: ergo terminatur ad relativum taliter, ut sint simul natura, & cognitione.

Ad secundum dic, quod Deus ut relativus per rationem terminat à parte rei relationem realem creaturæ. Ratio est: quia quod sufficit, ut Deus sit realiter Dominus à parte rei, sufficit, ut à parte rei terminet relationem servitutis creaturæ. Quid enim petit relatio realis servitutis pro termino relativo, nisi reale dominium, vel realem dominum? Sed ut Deus sit, & dicatur realiter Dominus sufficit realis

realis potentia Dei cum relatione rationis ad creaturas: ergo hoc sufficit, ut à parte rei sit terminus relationis non mutuae creaturae. Nec obstat, quòd relatio rationis non datur à parte rei, sed per intellectum, sicut non obstat pro dominio reali Dei, quod datur à parte rei. Et ratio est, quia satis est quòd datur à parte rei fundamētum talis relationis; ut docent Thomistae loquēdo de Divinis ideis de quibus lib. 2. q. 7. dictum est. Atqui à parte rei datur fundamētum tale relationis rationis, ut si Deus posset dicere relationem realem ad extra, referretur realiter ad creaturam: ergo vi talis fundamēti, quod datur à parte rei, Deus ut relativus terminat relationem creaturae.

15. Dices: Relatio creaturae ad Deum debet specificari à termino correlativo: sed correlativum rationis nequit dare speciem realem, specificādo relationem realem: ergo Deus nequit terminare ut formaliter relativus. Minor patet, quia *Nemo dat quod non habet*: sed correlativum rationis non habet speciem realem, quia nil reale continetur in ente rationis: ergo &c. Si arguens sit Thomista, pete ab illo, quomodo Logica specificatur ab ente rationis, ut ab objecto dante speciē realem habitui Logicae? Quo-

modo ens rationis nil præhabēs reale, potest dare Logicae speciem realem. Si Thomista non sit: pete ab ipso quomodo in peccato nostro gravitas offensae sumitur à Deo, ubi nullum malum continetur, sed plenitudo bonitatis? Quomodo ergo Deus per modum objecti, aut formae, aut subjecti moralis, potest gravificare offensam, si Deus nec ut objectum, nec ut forma, nec ut subjectum, continet aliquid mali? Rursus in nostra materia, tu qui dicis relationem specificari à termino ut absoluto, vel à fundamento absoluto etiam, quomodo absolutum nō continens in se speciē relativā, potest dare relationi speciem suam, quae debet esse relativa, modo quo essētia relationis relativa est?

Respondeo directè, quòd specificativum extrinsecū, qualis est terminus relationis, & objectum cujuslibet scientiæ, nō debet continere speciem, quam dat extrinsecè terminando. Axioma illud *Nemo dat quod non habet*, intelligitur de causa efficiēte, quae debet continere effectum, & præhabere quod dat. Intelligitur etiam de causis formali intrinseca, & materiali, quae causant per exhibitionem sui; unde dant quod habent, aut veriùs dant quod sunt. Causa verò extrinseca terminativa nec dat seipsam exhibendo, nec quid

quid efficiendo; sed purè terminando: quare dat speciem licet non habeat in se. Vel si axioma ad causam talem, velis extendere, dic quòd causa talis continet non formaliter aut eminenter, sed terminativè. Sic ens rationis nec formaliter, nec eminenter habet speciem realem; dat tamen illam Logicae, quia continet illam terminativè. Quæris, quid sit ira continere? Respondeo esse terminare tendentiam realem Logicae, & sic terminando extrinsecè reddere Logicam specie distinctā ab alijs scientijs. Sic relatio creaturae ad Deum, terminatur ad relativum rationis, quod in se terminativè continet speciem realem, quatenus sic terminando constituit relationem creaturae specificè distinctam ab alijs relationibus.

Adde quòd correlativum

DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS DIS

QUÆSTIO XI.

Utrum relatio specificetur à termino?

§. I.

Varie sententiæ proponuntur circa naturam specificam, & numericam relationis.

1. **S**UB hoc titulo agitur de unitate specifica relationis, videlicet, desumatur

à termino extrinsecè, specificate, modo quo unitas specifica scientiarum, habituum, & po-

RRRR2

qui relationis creaturae non est sola relatio rationis, sed Deus relativus per rationem. Hoc complexum non est purum rationis, sed reale, & rationis; unde potest meliùs dare speciem realem, quàm objectum Logicae Thomisticum, quod est purum rationis. Vel dic meliùs, quòd sicut voces sunt signa ad placitum juxta communem sententiam, & constituuntur signa per relationem rationis; apud omnes fictam: & tamen intellectu nil fingente, imò relatione illa non cognita, nec existente, voces signa sunt, & eis utimur. Sic licet relatio creaturae specificetur à termino relativo per rationem, stabit à parte rei terminatio, & specificatio, licet non stet à parte rei relatio rationis. Omittimus alia, cuique obvia, quia dicta sufficiunt pro via hac.

tentiarum fumitur ab objecto, ut vidimus lib. 7. Logicæ quæst. 6. occasione sumpta ab hoc dubio, aliud excitatur circa unitatem numericam relationis, nempe unde desumenda sit? Circa utrumque sententias referemus cum suis fundamentis.

De unitate specifica relationis docet prima sententia, quod fumitur à fundamento, quod vocant principium formale relationis. Ita Moneda, PP. Carmelitæ hic q. 7. & alij, quos citant. Probat 1. ex D. Thoma in 1. Sent. dist. 26. q. 2. ad 4. dicente: *Quod quia relatio non habet esse naturale, nisi ex hoc, quod habet fundamentum in re, & ex hoc collocatur in genere; inde est, quod differentie relationum essentielles sumuntur secundum differentias aliorum entium, ut patet ex Philosopho 5. Metaphysicæ, ubi dicit, quod quedam fundantur supra quantitatem, quedam super actionem &c.* En verba ubi triplex probatio est hujus sententiæ. Nā ab authoritate D. Thomæ habetur quod *differentie essentielles relationum sumuntur ex fundamento: at differentia essentialis est differentia specifica, & unitas in specie: ergo hæc iuxta D. Thomam fumitur à fundamento.* Rursus allegat D. Thomas authoritatem Philosophi 5. Metaphysicæ dividens species relationum per fundamenta: ergo quia ab illis desumitur distinctio specifica. Tandem

ratione probat S. D. quia relatio habet à fundamento suum esse, & quod sit ens: sed ab eodem principio fumitur unitas, ac entitas: ergo si esse relationis fumitur à fundamento, ab eodem fumenda est ejus unitas specifica.

Confirmatur ex eodem S. Doct. in 3. Sent. dist. 8. q. 1. art. 5. ad quartum ubi dans discrimen inter motum, & relationem, concedit motus distingui ex distinctione terminorum, & negat relationes distingui per terminos. Verba S. Doct. sunt hæc: *Quod omnis motus est aliquid secundum rem, non autem omnis relatio. Et ideo quamvis ex terminis multiplicentur respectus relationis, non tamen oportet quod multiplicentur relationes secundum rem, sicut motus multiplicantur secundum rem ex diversitate terminorum.* En negat relationes multiplicari per terminos, qui supra docuit multiplicari per fundamenta. Ergo quia ex D. Thoma habetur, quod unitas, & distinctio specifica relationum fumitur à fundamento, non autem à termino.

Confirmatur 2. distinctio, & unitas specifica relationum sequitur sumi à termino: ergo necessario fumitur à fundamento. Probat 1. Quia si terminus foret specificativum relationis, terminus esset prior natura relatione; sicut omnis causa est prior natura suo effectui:

Aut: sed terminus nequit esse ita prior; cum correlativa sint simul natura & cognitione: ergo &c. 2. Nam terminus est oppositus relationi: sed ab opposito non potest sumi species propria, sed species opposita: ergo idem. 3. Terminus relationis prædicamentalis est purus terminus; hoc est, nullam exercet causalitatem: sed si terminus specificaret, exerceret causalitatem formalem extrinsecam, dando speciem, & sic non esset purus terminus: ergo. 4. In filio est unica tantum relatio ad patrem, & matrem, ut docet S. Thomas 3. p. q. 35. art. 5. nam est in eo una tantum nativitas, ad quam sequitur unica filiatio: & tamē hæc relatio terminatur ad terminos specie diversos, nempe ad paternitatem, & maternitatem, quæ sunt specie diversa, sicut fundamenta ad generandum sunt specie diversa: ergo &c.

2. Secunda sententia docet relationem specificari à solo termino. Ita Scorus, Rubius, Oña, & alij. Ex nostris Argentinās in 1. Sent. dist. 27. q. 1. art. 2. Probat 1. ex D. Thoma 1. 2. q. 54. art. 2 ubi ait: *Quod omnia, que dicuntur ad aliquid, distinguuntur secundum distinctionem eorum, ad que dicuntur.* Et 1. p. q. 32. art. 2. dicit: *Quod due relationes non sunt diverse secundum speciem, si ex opposito una relatio eis correspondeat: ergo*

expressè docet relationem sumere à termino unitatem specificam; & quod ex distinctione terminorum, ad quos dicuntur relationes, fumitur earum distinctio.

A ratione suadet 1. Quia omnia quæ sunt ad aliud, specificantur ab illo, ad quod sunt, ut patet in habitibus, & potentiis, quæ sunt ad sua objecta, & ab eis specificantur: ergo multo magis relatio, quæ ita est ad aliud, ut totum suum esse sit ad aliud se habere. 2. Quia idem fundamentum potest deservire pro diversis relationibus. Eadē enim albedo fundat similitudinem ad unum album, & dissimilitudinem ad nigrum: sed similitudo, & dissimilitudo sunt relationes distinctæ in specie; nec possunt à fundamento, quod est unicum, sumere distinctionem, cum in eo conveniant, & nullatenus differant: ergo restat tales relationes distingui specificè, distinctione sumpta à terminis. Idem constat alijs exemplis, v. g. eadem actio creata, dicit ad Deum relationem effectus ad Deum causam superiorem; & relationem causæ ad terminum per actionem productum. Signum etiam idem, fundat duas relationes distinctas, unam ad potentiam, cui obicitur, alteram ad signatum, cuius est signum.

3. Tertia sententia docet rela-

relationem specificari ab utroque, nempe à fundamento, & termino, sic Parra, S. Thoma, Echalaz, & alij. Probatur 1. Quia D. Thomas ubi supra insinuat utrumque, cum sint auctoritates pro prima, & secunda sententia: ergo quia mens D. Thomæ est relationem ab utroque specificari. 2. Quia relatio pro sui existentia non petit solum fundamentum, nec solum terminum, sed utrumque, quia ex utroque resultat: ergo ejus unitas specifica resultat, & sumitur ex fundamento, & termino. 3. Quidditas relationis non est purè ordo ad aliud, sed est ordo *unius ad aliud*: ergo sumitur ab uno, & alio termino correlativo.

Quomodo autem sumatur ab utroque extremo correlativo, non explicant DD. isti uniformiter. Quidam dicunt quòd fundamentum concurrat *initiativè*, & terminus *completivè*. Alij docent, quòd fundamentum cò-currat in genere causæ efficientis, & terminus in genere causæ formalis extrinsecæ. Alij, quòd fundamentum specificat, ut virtualiter præhabens in se terminum, cui proportionatur; & sic diversitas fundamentorū refunditur in diversitatem terminorum. Hanc ultimam explicationem amplectitur Mag. S. Thoma in Log. q. 17. art. 6.

4. Circa aliud dubium

de unitate numerica relationū, Scotus, Suarius, & alij negant distinctionem numericam relationum sumi à fundamento. Probant: quia in eodem fundamento possunt esse relationes solo numero distinctæ: ergo à fundamento non sumunt suam distinctionem numericam. Probatur antecedens. Nam quando pater habet unicum filium, si postea habeat alium, incipit de novo referri ad illum: ergo per novam relationem. Patet consequentia, quia fundamentum proximū est actio generativa, & pro secundo filio datur nova actio generativa: ergo & nova relatio: ergo in patre unico datur duplex relatio paternitatis, solo numero diversa.

Secundò: Quia si pater eadem relatione respiceret duos filios; cum quilibet sit causa totalis terminativa, & sufficiens terminare totam relationem; jam idem effectus penderet à duplici causa totali ejusdem ordinis: quod implicat, ut dicitur 2. Physicorum: ergo restat quòd relatio ad duos filios non sit una, sed duplex. 3. Quia si prima relatio extenderetur ad secundum filium, tali extensione susciperet augmentum; at augmentum repugnat relationi, quæ indivisibilis est, nec ejus quidditas habet partes; ut quidditas: ergo. 4. Quia si foret eadem relatio, maneret eadem mor-

mortuo uno ex filiis; aliunde periret respectus ad filium mortuum: ergo maneret relatio, & periret: quod implicat de eadem entitate, & quidditate affirmari.

5. Contraria sententia est omnium Thomistarū, quam sequitur Mag. S. Thoma ubi supra, & eam probat 1. ex D. Thoma 3. p. q. 35. art. 5. & Quodl. 1. art. 2. & Quodl. 9. art. 4. ubi expressè docetur à D. Thoma. 2. Probatur ex S. Doct. ibidem ex generali ratione, qua duo accidentia solo numero distincta, nō possunt esse in eodem subjecto: ergo quia à subjecto sumunt suam unitatem, & distinctionem numericam. Relatio autē est prædicamentum accidentale, & de numero accidentium: ergo non à termino, sed à fundamento, quod est subjectum relationis, sumit suam distinctionem, & unitatem numericam.

3. Eadem quantitas numero, v. g. unus cubitus, est æqualis omnibus & infinitis cubitis, nec tamen infinitis relationibus æqualis est, sed unica; ne demus processum in infinitum: ergo quia talis unitas relationis æqualitatis sumitur à fundamento quod est unum, non à termino, qui est multiplex in infinitum. Rursus in Magistro habente plures discipulos, non sunt plura magisteria, sed uni-

cum. In Rege habente plures servos, non sunt plura dominia tot, quot servi, sed unicum per eandem relationem ad omnes: ergo quia unitas numerica talis relationis, non sumitur ab unitate numerica termini, sed fundamenti, quod unicum est in Magistro, & Rege.

S. II.

Nostra sententia ex N. F. D. Egidio proponitur, & reliquæ expenduntur.

6. **N**ostra sententia sit, quòd relatio specificatur à termino immediate, & sumit unitatem numericam à fundamento. Ita expressè N. F. Doct. in 1. dist. 27. q. 1. art. 1. ipsum sequuntur N. Villanova hic, & Gavardi, citantes Doctores nostros pro eadem sententia. En verba expressa N. F. Egidij loco laudato, ubi decidit utrumque dubium positum de unitate specifica, & numerica relationis. Dicit sic: *Relationes dupliciter distinguuntur; secundum numerum, & secundum speciem. Relationes secundum numerum non differunt nisi per diversitatem in esse: & quia esse relationum est esse quod habent in subjecto; talis distinctio relationum est ex distinctioe rerum, in quibus sunt, dum tamen illis rebus competant diversa esse: & pater habens plures filios, per unam paternitatem refertur ad omnes*

nes illos, quia pluralitas in eadem specie non est ex distinctione terminorum, sed pluralitas relationum secundum diversitatem specierum, cum talis pluralitas sit secundum rationem quidditatis per se primò, & non secundum esse; & ratio quidditatis relativorum sit ad aliud se habere; ex diversitate terminorum pluralitatem tales relationes.

En primò unitas numerica, & numerica distinctio, quæ est pluralitas in eadem specie, non sumitur ex diversitate terminorum, sed ex subjecto relationis. Probatur à N. F. D. quia distinctio numerica est distinctio quoad esse: sed relatio non habet esse à termino, sed à fundamento, ut constat ex dictis quæst. 9. ergo relatio habet à fundamento unitatem, & distinctionem numericam; non autem à termino. Cōfirmatur à N. B. D. exemplo patris, qui per unam relationem paternitatis refertur ad plures filios; quod stare non posset, si ex pluralitate terminorum multiplicarentur numericè relationes. Constat autem relationem in patre esse unam numero; cum tamen termini, idest filij sint plures, numero diversi. Ergo quia unitas relationis paternitatis in patre sumitur ex fundamento, non ex termino.

En secundò quòd unitas, & pluralitas specifica relationum, sumitur à termino, non à fundamento. Probatur à N. F. D.

quia distinctio specifica non pertinet ad esse materiale, sed ad formale, & quidditativum; ob id enim ab omnibus distinctio numerica vocatur materialis, & specifica formalis: sed tota essentia, & quidditas relationis est ad terminum: ergo tota unitas, & distinctio specifica relationum, est per ordinem ad terminum, & ex termino, non ex fundamento. Diximus in conclusione nostra quòd distinctio specifica sumitur immediatè à termino. *Ly immediatè* denotat quòd saltem mediatè sumitur à fundamento; & hoc concedimus ob rationem infra explicandam. Observa etiam quòd *ly à termino*, non denotat terminum propriam causam, quæ solet designari per *ly A* in communi modo loquendi. Quare in rigore loquendi debet dici quòd sumitur *ad terminum*, vel minus improprie cum N. B. Ægidio *ex termino*. Similem observationem ex Alberto Magno refert Soto quæst. 1. de relatione, quæ non diffinitur per terminum, sed ad terminum.

Ex hac F. Ægidij doctrina conciliantur autoritates D. Thomæ allegatæ in oppositum, ut infra constabit. Nec alia est sententia P. Augustini allegati q. 9. ibi, ut vidimus, S. P. negat relationem esse aliquid ratione sui, distinctum à fundamento, dat tamen relationi essentiam, & quid-

quidditatem distinctam per ordinem ad terminum, quæ essentia est ad aliquid: sed ex hac doctrina probat N. B. Ægidius, ut vidimus, quòd relatio habet à fundamento unitatem numericam, & à termino specificam; ergo utrumque assertum est de mente P. nostri. Vtrumque confirmat rationibus adductis num. 2. & 3.

7. Restat solvere fundamenta contraria. Ad ea quæ posita sunt num. 1. respondemus concedendo autoritatem D. Thomæ, ut jacet. Notamus tamen duo. Primum, quòd in ea D. Thomas assumit hoc principium, *Relatio non habet esse naturale, nisi ex hoc quòd habet fundamentum in re*. Hoc principium sumitur à F. Ægidio laudato, ut probet solam unitatem numericam, non specificam, sumi ex fundamento. Quare exponendo D. Thomam verbis N. B. Ægidij nil probatur pro unitate specifica, pro qua obijciuntur verba D. Thomæ. Secundum notamus, quòd Philosophus 5. Metaphysicæ divisit species relationum non per terminos, sed per fundamenta diversa. Hunc modum tenet D. Thomas in sua autoritate, & ob id allegat mentem Philosophi. Cur fecerit Philosophus sic? Respondemus cum DD. nostris, sic fecisse, quoniam ex variatione terminorum variantur fundamenta relationum:

unde relatio quæ immediatè sumit unitatem specificam à termino, sumit illam mediatè à fundamento. Et quia distinctio relationum per fundamenta est magis nota; idè Philosophus, & cum eo D. Thomas, nobis objectus, tradidit divisionem relationum per fundamenta. At revera non à fundamento immediatè, sed à termino specificantur, ut patet ex verbis D. Thomæ allegatis num. 2.

Nec obstat contra hoc triplex probatio numeri 1. Ad primam, dist. maj. Differentiæ essentielles relationum sumuntur ex fundamento; sumuntur mediatè, concedo maj. immediatè, neg. maj. Ad secundam dic Philosophum divisisse relationes per fundamenta, tanquam per signum magis notum, & specificativum mediatum: non autem per specificativum immediatum. Quòd ergo diversitas terminorum refundat in fundamenta diversitatem, ut distinctio, quæ immediatè oritur à terminis, mediatè sit per fundamenta; ostenditur. Pone in Petro albedinem, supra istam fundatur duplex relatio, una similitudinis ad parietem album, alteram dissimilitudinis ad carbonem nigrum. Distinctio harum relationum specifica, certè non sumitur ex fundamento; quia fundamentum huius duplicis relationis

tionis est unica albedo Petri, à qua nequit venire duplex in specie relatio: sumitur ergo à termino. Ceterum cum relationes specie distincte, distinguantur etiam numero; unde sumitur distinctio numerica earum, si fundamentum est unicum? Respondemus quod est unicum realiter, sed duplex virtualiter; quatenus eadem albedo, ut respicit parietem, differt à seipsa respiciente carbonem; & sic fundat similitudinem, & dissimilitudinem. En quomodo diversitas terminorum refunditur in fundamenta: quare distinctio specifica, quæ sumitur à termino immediatè, sumitur à fundamento mediatè.

8. Ad tertiam probationem dic ipsam tenere de unitate numerica, non de specifica. Relatio ut docet N. F. D. B. Agidius ratione sui non est ens formaliter, sed ratione fundamenti, & materialiter: ergo à fundamento habet unitatem materiale; & hæc est numerica. Relatio ratione sui formaliter habet quidditatem ad terminum: ergo unitas specifica, quæ est formalis, & essentialis, non venit ex fundamento, sed ex termino. Quare unitas hæc non sequitur entitatem, sed quidditatem. Adde ex nostro Villanova hic, quod si ab eo sumenda est unitas speci-

fica, à quo venit entitas; nulla erit potentia, nullus habitus, qui specificetur ab objecto, cum nullus ab objecto habeat entitatem. Sed consequens est contra D. Thomam 1. p. q. 77. art. 1. & alibi sapè.

Ad confirmationem ex verbis D. Thomæ quæ plenè concedimus, dic non esse contra nos; quia ibi negat D. Thomas relationes distingui secundum rem, per suos terminos. Nos autem ponimus relationes per terminos non secundum rem, sed secundum quidditatem. Quia, ut diximus q. 9. relatio ex se non habet quod sit res, ens, realitas, sed ex fundamento. Habet tamè ex se formaliter, quod sit quidditas; & hujus multiplicitas sumitur immediatè ex terminis.

Ad secundam confirmationem neg. antecedens. Ad 1. probationem ejus neg. maj. Terminus enim solum extrinsecè terminando dat speciem relationi; quare nec est causa propria, nec petit esse prior natura. Vide dicta hic q. 10. num. 10. & in hac quæst. num. 6. ex Alberto Magno. Ad secundam probationem dic, terminum oppositum non dare speciem oppositam, sed propriam: ceterum dat illam opponendo se relativè fundamento. Ad tertiam dic terminum relationis prædicamentalis ita esse purum terminum,

minum, ut solum det speciem purè terminando. Hoc modo causare, est esse purum terminum; nec amplius petit relatio prædicamentalis, ut dictum est q. 10. n. 10. in fine. Ad quartam dic, quod paternitas, & maternitas se habent per modum unius termini adæquati filiationis. Sicut pater, & mater se habent per modum unius causæ univocæ adæquatè. Quare licet differant inter se; at distinctio est materialis relatè ad filium, & filiationem.

9. Ad fundamenta tertiæ sententiæ, posita num. 3. respondemus, & ad primum ex D. Thomæ, patet ex dictis, quo sensu S. Doctor dicit relationes distingui per terminos, & distingui per fundamenta. Nam primum asserit de distinctivo immediato, minus noto: secundum de mediato, & magis noto. Ergo non sequitur de mente D. Thomæ relationem à fundamento, & termino aequè immediatè specificari. Ad secundum dic, quod sicut relatio resultat ex fundamento, & termino, sic ejus unitas specifica, & quidditas. At hic non quarimus de principio resultantiæ, sed de specificativo formali; & de hoc nil probatur in secunda probatione. Ad tertium dic, quod quidditas illa, licet sumatur à duobus correlativis materialiter præsuppositis, ut inde

resultet; est tamen tota ad terminum: ergo totalis ejus unitas specifica immediatè sumitur ex termino, ut arguebamus ex N. F. D. B. Agidius.

10. Pro secundo asserto nostro de unitate numerica à fundamento, restat solvere fundamenta contraria, posita n. 4. Ad primum dic, quod pater habens plures filios, unica relatione refertur ad omnes, ut vidimus ex B. Agidius num. 6. & ex D. Thomæ num. 5. Nec contrarium suadet ab arguente. Nā actio generativa non est fundamentum relationis patris, sed potentia generativa, modificata per actionem. At potentia est unica, licet actiones modificantes sint plures: ergo relatio paternitatis unica est. Nota, quod D. Thomas, & B. Agidius concedunt in patre illo plures respectus, tot quot sunt filii; sed dicunt relationem esse unicam. Intellige tales respectus esse inadæquatos, sicut & filij seorsum sunt termini inadæquati potentie generativæ: quare sicut omnes constituunt unicum terminum adæquatum potentie, sic ad omnes est unica relatio adæquata.

Ad secundum dic, quod quilibet filius non est terminus adæquatus relationis, sicut nec adæquatus potentie generativæ; supra quam fundatur. Est tamen quilibet adæquatus ter-

minus sui respectus. Ceterum cum respectus illi sint plures inadæquatè, non sequitur quòd relatio pendeat à duabus causis totalibus. Nec obstat, quòd quilibet filius sit sufficiens terminare totam relationem. Nam nequit unquam terminare illam totaliter, quoad omnes suos respectus, quos potest habere potentia, & relatio supra eam fundata.

Ad tertium dic, relationem extendi per novos respectus ad novos filios generatos: additio horum respectuum non est augmentum quãtitativum parium, quòd solum datur in quãtitate; dicitur autem extensio, sicut de intellectu cognoscente plura, dicitur cognoscere extensivè. Illa additio respectuum non est additio partium relationis, quæ sanè indivisibilis est, sed est additio termini novi, ad quem denuò terminatur relatio, præcedenter existens relata ad primum filium.

II. Ad quartum dic, quòd mortuo uno filio, non perit relatio, sed perit respectus relationis ad illum. Hic respectus deficit, ceterum relatio manet relatè ad alios filios, nec unquam suadetur deficere relationem, & simul manere, ut contèdit arguens. Dices: Ille respectus, qui deficit, identificatur cum relatione: sed ex idèntificatis pereunte uno, non ma-

net aliud: ergo pereunte illo respectu, perit relatio. Aliunde manet relatio: ergo manet, & perit: quòd implicat. Respondeo, quòd ille respectus quoad rectum identificatur cum relatione, sed non quoad obliquum, quia obliquum ejus est talis filius terminans relationem; pereunte filio, perit respectus quoad obliquum, sed non quoad rectum: quare non perit aliquid identificatum cum relatione, secundum quòd cum illa identificatur.

Dices iterum. Si relatio est quidditas, & respectus; quomodo relatio est una, & habet plures respectus? Anne habet plures quidditates? Respondeo quòd minimè: non enim relatio unica habet, nisi unicam quidditatem. Habet tamen plures respectus inadæquatos; quia hæc pluralitas non est in recto respectu, sed in obliquo; unde potius est pluralitas termini inadæquati, quam respectus. Quia tamen totum esse respectus est ad terminum, & ex termino; idè ex pluralitate terminorum denominantur plures respectus; sed revera rectum eorum unicum est, unica relatio, & unica quidditas. Et hæc

de toto prædicamento relationis.

QUÆSTIO DUODECIMA

Quid sit qualitas, quotuplex, & quot ejus proprietates?

§. I.

Explicatur essentia qualitatis, & traditur ejus definitio.

I. **D**E qualitate tractat P. August. lib. Categ. cap. 12. ita dilucidè explicans ejus essentiam, species, & proprietates, ut ferè omnia, quæ in exponendo Aristotele, dicturi sumus, possint confirmari expressis verbis S. P. N. consentiunt D. Thomas, & B. Ægidius, cum quibus alij interpretes: si qui ex RR. dissentiunt, eis plenè fiet satisfactis infra. Ob id omittimus adducere autoritates in confirmationem dicendorum: & ut ad alia disputanda properemus, observa ex P. N. Aug. ubi suprà tam difficilem esse notionem essentia qualitatis, ut non parva prudentia sit qualitatem cum ceteris prædicamentis penè confusam, mentis vivacitate discernere.

Aristoteles hic sic diffinit qualitatem: *Qualitatem voco secundum quam quales dicimur.* Contra quam diffinitionem plura obijciuntur. 1. quòd diffinitum ingreditur diffinitionem. 2. quòd diffinitio non est clarior diffinito. 3. quòd diffinitur idè per idè. Quartò quòd committitur circulus. Propter hæc deseritur Arist. ab Arriaga,

& Hurtado, dicentibus, non diffinisse qualitatem, sed dedisse egregiam negationem. Reliqui DD. amplectuntur diffinitionem Aristotelicam, sequenti P. Augustinū, qui eam ex professo exponit; & immeritò ab Arist. recedit quicumque clariorem & aptiorem non invenit diffinitionem.

N. B. Ægidius hæc, & alia obijcta dissolvit hic q. 48. cū quoad 1. respondetur, non esse inconveniens aliquando, quòd diffinitum ingrediatur diffinitionem, sed potius necessarium; eò maxime quoniam diffinitio, & diffinitum solum differunt penes implicitum, & explicitum. Ad 2. dic, quòd diffinitio illa est clarior diffinito; quia quoad nos clarior est compositum, vel concretum, quam forma, & abstractum. Ad 3. dic non diffiniri idem per idè, sed diffinitur qualitas in abstracto, per qualitatem in concreto, quòd est clarior quoad nos. Ad 4. nega dari circulum vitiosum, quia diffinitur qualitas abstracta per concretum qualitatis; quæ diversitas sicut reddit nobis clariorem qualitatem, sic vitat circulum vitiosum.

Ultra hæc argumenta alia adducit B. Ægidius ibi. 1. Quòd in prædicamento quantitatis, nõ dixit Philosophus quantitas est, qua quanti dicimur : ergo malè hoc dicit de qualitate. 2. Diffinitio hæc non convenit omni qualitati ; quia secundùm passionem non dicimur quales, teste Arist. h. c. 3. Secundùm rationalitatem dicimur quales ; & tamè rationalitas non est qualitas, sed substantia : ergo. Respondetur ex B. Ægidio ad 1. disparitatè esse, quòd qualitas propriè dicitur denominativè, & adjectivè non autè quantitas. Ad 2. dic, quòd secundùm passionem non dicimur quales, hoc est *non multum*, benè verò parum. Ad 3. dic, quòd rationalitas, & omnis differentia substantiæ, est qualitas secundùm dici ; & ea dicimur quales.

2. Notatis, & solutis, quæ militant contra diffinitionem Aristotelicam, audiamus aliorum diffinitiones. Hurtado dicit : *Qualitatem esse accidens absolutum, distinctum à quantitate*. Ceterum in hæc diffinitio dicit quid non sit qualitas, tacet verò quid sit. Ayerfa dicit quòd est *Forma accidentalis conveniens subiecto secundùm certam aliquam denominationem, & indivisibiliter*. Hæc diffinitio est superflua, quia si qualitas est accidens, necessariò est forma. Deinde cum omne accidens conveniat subiecto secundùm certam denominationem ; illæ particule superfluunt. Rursus per ly

indivisibiliter ; denotat, quòd quantitas non est quantitas ; sed non dicit quid sit.

Suarius dicit esse *perfectiorem substantiam vel in ordine ad se, vel in ordine ad operationem*. Sed non tenet, 1. quia circulus est quantitas ; & tamen perficit subiectum in ordine ad motum circularè. 2. Nõ explicat quid sit illa perfectio, quam habet substantia à qualitate. Joannes à S. Thoma dicit esse *Accidens dispositivum substantiæ*. Ceterum hoc etiã convenit quantitati, & situi, quæ disponunt partes substantiæ in loco. PP. Carmelitani dicunt esse *Accidens imponens modum, & determinationem substantiæ*. Ceterum hoc est commune omnibus accidentibus ; nam sicut per genus ponitur substantia in prædicamento, & per differentiam determinatur ad speciem ; ita per quantitatem determinatur ad locum, per situm ad situationem partium, ut dicemus 4. Physic.

Prado dicit qualitatem esse *Accidens absolutum, consequens formam*. Sed cõtra, quia plures sunt qualitates, quæ non consequuntur formam ; sed materiam, ut sunt illæ, quæ pertinent ad quartam speciem. Noyensis dicit esse *Accidens conveniens composito ratione formæ*. Sed contra, quia actio est accidens conveniens subiecto ratione formæ, sicut & virtus activa ; & actio non est qualitas. Senna dicit esse *Accidens physicè inherens*

rens

tens substantiæ, eamque simpliciter ordinans. Cui coincidit alia dicentiũ *Qualitatem tribuere substantiæ estimabilitatem*. Sed contra. Nam vitia, & habitus erroris sunt qualitates ; & tamen potètiæ non exoriant, sed deturpant. Hæc dixerim ut videas nullam à RR. dari meliorem diffinitionem Aristotelicam. Nec si aliam defendere velis, teneas, nisi quam N. Villanova dat in præfenti ; pro cuius explicatione.

3. Nota, quòd tota difficultas est in assignanda differentia Qualitatis à quantitate. Qualitas per esse accidens satis differt à substantia ; per esse quid absolutum satis differt à relatione & sex ultimis prædicamentis, quæ dicunt rem sub ordine : quare solum restat distinguere qualitatem à quantitate. En hoc habetur in diffinitione tradita à N. Villanova sic. Qualitas est *Accidens absolutum perficiens substantiam formalizando*. Ly accidens distinguit qualitatem à substantia ; ly absolutum distinguit illam à relatione, quæ est quid relativum, & à sex ultimis prædicamentis, quæ dicunt rem sub ordine. Ly perficiens subiectum distinguit qualitatem à quantitate, quæ juxta aliquos non perficit substantiam. Quia tamen probabile est, quòd quantitas perficit substantiam, additur ly *formalizando*, nam licèt quantitas perficiat, hoc

facit *materializando*, quia quantum magis est in substantia de quantitate, tanto plus est de materialitate. Qualitas autem perficit formalizando, quia actualat substantiam per modum formæ.

Nota, quòd quædam accidentia compositi sequuntur materiam, v. g. quantitas ; quædam formam, ut qualitas. Quantitas quæ sequitur materiam, ab ea participat modum materiale perficiendi : è contra qualitas, sequens formam, participat à forma modum perficiendi formalem. Hinc venit, quòd quantitas perficit substantiam, eam extendendo, dividendo, & materializando ; qualitas verò solum actualando, & formalizando. Inde est, quòd in Angelis, ubi nulla est materia, dantur qualitates substantiam Angeli perficientes ; sed non datur quantitas, quia carendo materia, carent potentia passiva recipiendi perfectionem materiale quantitatis.

§. II.

Assignantur, & explicantur species qualitatis, ejusque proprietates.

4. **Q**VATVOR sunt species qualitatis, quæ cum Phi-

Phi-

Philosopho hic explicantur à DD. Prima species est habitus, & dispositio. Secunda est potentia, vel impotentia. Tertia passio, & passibilis qualitas. Quarta forma, & figura. Prima species diffinitur sic: Est *qualitas bene disponens, vel male subiectum in ordine ad suam naturam*. Tales sunt omnes habitus intellectuales, scientiæ, & virtutes, imò etiam vitia. Nam sunt qualitates bene, vel male disponentes subiectum in ordine ad suam naturam rationalem. Ne ergo confundas hanc speciem cum secunda, oportet notare, quòd qualitas sic disponens, vel nascitur ab ipsa natura, vel venit à principio extrinseco. Si ab extrinseco: tunc est prima species qualitatis: si ab intrinseco, tunc est secunda species, de qua infra. Sit exemplum in Logica, & in intellectu. En duæ qualitates bene disponentes animam nostram in ordine ad rationalem naturam. Dubitas ad quam speciem pertinent? Respondeo, quòd intellectus pertinet ad secundam, quia non nascitur intellectus, nec acquiritur ab extrinseco, sed ab ipsa animæ natura dimanat, & idè est naturalis potentia, & secunda species qualitatis. Logica verò non nascitur à natura, sed acquiritur nostris actibus, & venit ab extrin-

seco: idè est habitus, & prima species qualitatis.

Ob id poteris communi diffinitioni addere hanc particulam *ab extrinseco*, ita ut tota diffinitio sit: *Qualitas ab extrinseco bene vel male disponens &c.* Huiusmodi qualitas vel citò transit, vel perseverat. Si transit, vocatur *dispositio*, & diffinitur *Qualitas facile mobilis à subiecto*, v. g. calor recentis cadaveris, qui citò transit, & est dispositio relicta in cadavere à præcedente forma viventis. Si perseverat, est habitus, & diffinitur *Qualitas difficile mobilis à subiecto*. V. g. scientia Logicæ, fides, spes &c. Hinc sequitur quòd habitus, & dispositio differunt essentialiter penes diversum modum essendi in subiecto; quæ diversitas est essentialis omni accidenti.

5. Dices: Habitùs aliquando est facile mobilis à subiecto; ut patet in habitu fidei, à quo facile dimovetur plures: ergo habitus malè diffinitur per hoc quòd sit *Qualitas difficile mobilis &c.* Respondetur, habitum fidei ex sua natura esse difficile mobile; ceterum aliquando deseritur ab aliquibus, qui ob impedimenta extrinseca redduntur incapaces, ut in eis fidei habitus perseveret. Quare per se omnis habitus est difficile mobilis;

lis; per accidens solet esse facile mobilis.

S. P. N. August. ubi supra dicit, quòd habitus est *Affectio animi longo tempore perseverans*. Dispositio est *Mutabilis mentis impulsus, vel cupiditas levis, quæ brevi tempore deletur*. Coincidunt diffinitiones istæ cum supra datis, & sunt veluti exempla illarum, quæ non se extendunt, quantum communes diffinitiones. Hic poterat dubitari, an denatur habitus, ab actibus distincti? Sed quia de hoc alibi fusiùs, sit tibi pro communi sententia propugnante existentiam habituum, auctoritas P. N. Augustini lib. de Immortalitate Animæ cap. 4. & lib. 14. de Trin. cap. 7. & Psal. 118. Concione 16. ubi distinguit habitus ab actibus dicens: *Iustitia nomine hoc loco non ipsa virtus, sed opus ejus significatum est*. Et lib. de Bono conjugij cap. 21. ait: *Ipsè est habitus, quo aliquid agitur, cum opus est*. Omittimus divisionem habitus in naturalem, & supernaturalem; in infusum, & acquisitum; virtuosum, & vitiosum &c. de quibus alibi, Deo dante.

6. Secunda species qualitatis est naturalis potentia, vel impotentia. Diffinitur sic: *Qualitas ab intrinseco proveniens, bene, vel male disponens*

subiectum in ordine ad operationem. Tales sunt durities in lapide ad resistendum, & mollities in lana ad cedendum. Omnes ergo sunt qualitates ortæ ab intrinseco naturæ lapidis, & lanæ, cujus sunt, bene disponentes ad effectus utriusque naturæ. Ad hanc speciem reducuntur omnes virtutes activæ simplicium, datæ à natura, ut calor in pipere, & igne; frigiditas in aqua, & nive &c. Item potentia omnes animæ nostræ, sensus interni, & externi naturæ omnis sensitivæ: quia omnes sunt *Qualitates ab intrinseco &c.*

Observa, quòd *Impotentia*, non intelligitur privativè, hoc est de carentia privativa potentia. Ratio est, quia hæc carentia non est qualitas, sed carentia qualitatis. Intelligitur ergo de potentia debili. Sic potentia visiva in nobis *Potentia est, & qualitas secundæ speciei: ceterum in fene dicitur impotentia*, quia in ipso est summè debilis. Hinc fit, quòd potentia, & impotentia, ut hic sumuntur, differunt penes vigorem, & debilitatem; utraque est qualitas, sed quæ potest, est vigorosa; debilis, quæ vocatur impotentia.

7. Tertia species est passio, & passibilis qualitas: diffinitur *Qualitas resultans ex alteratione, & perficiens subiectum*. Sic colores nativi, orti ex alteratione humorum; vel subitanei, ut ruber verecundiae, pallidus timoris &c. sunt qualitates huius tertiae speciei. Differunt inter se ratione alterationis, qua causantur: nam si ex brevi, & citò transeunte alteratione causentur, sunt *passio*; ut in exemplis datis verecundiae, & timoris. Si tamen resultent ex alteratione permanente, sunt *Passibilis qualitas*, ut colores nativi, albus, ruber, plumbeus &c. qui à Medicis dicuntur indicantes, quatenus indicant humores complexionis dominantis.

Quarta species est forma, & figura. Diffinitur à N. F. D. Beato Egidio 7. Physicorum lect. 5. sic: est *dispositio partium in ordine ad sensum*. Sic dum te video coloratum, album, fuscum, rubeum &c. te percipio ratione tertiae qualitatis. At verò video etiam te esse pulchrum, deformem, ratione dispositionis partium; quia nempe habes majorem nasum, os dilatatum, oculos obscuros &c. quae omnia vocantur forma, & fi-

gura, & resultat ex quantitate extendente partes materiales congruenter, vel incongruenter. Quare qualitas ista dicitur terminus quantitaris; vel relictus ex quantitate, & ut ait Fundatissimus Egidius est *dispositio partium &c.* Differt forma à figura; quia figura solum dicit dispositionem partium. Ceterum forma dicit esse bonam, vel malam dispositionem illam. Divisio tradita in has quatuor species, adæquata est; quia nullam invenies qualitatem, quae ad has species non pertineat.

8. Tres sunt proprietates qualitatis. Prima est habere contrarium; v. g. calor frigori, album nigro: contraria sunt *Quae sub eodem genere maxime distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellant*. In exemplis datis constat, nam calor, & frigus continentur in eodem genere qualitatis; sub eodem distant maxime; & se expellunt vicissim à subiecto; cum idem non possit esse calidum, & frigidum, saltem in gradibus intensis. Nota cum N. Doct. F. quòd non omnes qualitates sunt contrariae; nam rubro, & pallido nullus color contrariatur; quia hi colores sunt medium inter album, & nigrum.

Se-

Secunda proprietas est suscipere magis, & minus. Hæc convenit qualitati in concreto, non autem ei in abstracto; nam unum album est magis album, quam aliud; ceterum una albedo non est magis alba, quam altera; nec una iustitia iustior alia. Ter-

tia proprietas est communis omni, & soli qualitati, & est quòd secundum eam dicimur similes, vel dissimiles: sicut secundum quantitatem omnia dicuntur æqualia, vel inæqualia. Et hæc de isto prædicamento pronunc.

QUÆSTIO DECIMA TERTIA.

Quid sint sex ultima prædicamenta?

§. Unicus.

Explicantur eorum diffinitiones, & quaedam dubiola dissolvuntur.

1. **A**ristoteles, qui lato calamo quatuor prima explanavit prædicamenta, unico capite compenditavit sex ultima, nec in Metaphysica, ubi fusiùs poterant explicari, omisit Philosophus compendium: quare enucleatius exponuntur a Gilberto Porretano libro de sex principijs, quem N. F. D. B. Egidius, ut Aristotelicos exposuit. Nos ergo brevissime etiam hæc prædicamenta exponemus, quoniam de actione, & passione late tractabimus 3. Physicorum. De

situ, & quando, fermo erit 4. lib. Philosophia dum tractemus de loco, & tempore. De habitu nulla est specialis difficultas; ut patebit ex eius diffinitione. Quare quæ hic breviter tum à nobis, tum à reliquis cum Philosopho exponuntur, locis citatis plene discussa invenies, ut nihil scitu dignum desideres.

Philosophus hic quinto loco tractat de actione, & sexto de passione. Hic ordo est pro doctrina, sed non conformis naturæ ipsi; nam prius est substantiam esse in loco,

loco, & existentem in tempore, quam quoddam opere-
tur: ergo prius natura est
ubi, & *quando*, quam actio,
& passio. Ceterum stando
ordini doctrinae, quantum
praedicamentum est actio,
quae diffinitur *via ad terminum*,
ut ab agente. Et passio
via ad terminum, ut in passio.
Est ergo actio illud exerci-
tium agentis, quo actu
operatur. Passio est illud
exercitium actuale, quo
terminus actu producitur, &
quo passum recipit esse pro-
ductum. Considera in ge-
nere causae efficientis duo
extrema, unum est agens,
aliud est patiens, vel pas-
sum. Et quia alteratio est
magis nota, ponamus exem-
plum in igne alterante a-
quam, quam calefacit. Hic
dantur haec quatuor, agens, pa-
tiens, actio, & passio; quibus
adde terminum productum. A-
gens est ignis; quia agit, &
causat calorem. Patiens, vel
passum, est aqua, quia
est subjectum circa quod
agens operatur; in eo sub-
jecto recipitur calor produ-
ctus. Recipere est pati, &
subjectum recipiens dicitur
passum, vel patiens. Actio
est exercitium illud, quo
ignis actualiter producit ca-
lorem. Passio est exercitium

passivum, quo calor pro-
ducitur, & recipitur in a-
qua. Terminus actionis est
ipse calor productus.
Quia ergo actio me-
diat inter agens & passum,
ideo dicitur via agentis ad
passum. Et quia passio etiam
sic mediat, vocatur etiam
via. Ceterum ut cognoscas
quomodo differunt, dicit
Philosophus hic, quod si-
cut via, qua Athenis itur
Thebas, est eadem via, qua
Thebis itur Athenas, sic ea-
dem est via actionis, & passio-
nis; quia actio est via qua
ab agente itur in passum;
& passio est via, qua in
passum itur ab agente. Po-
no exemplum ex dicendis
in nostra sententia 3. Phy-
sicorum. Idem calor qui jux-
ta dicta est terminus pro-
ductus, iste est actio, &
passio. Nam calor ille, ut
dicit exercitium *ab*, idest ut
egreditur ab igne agente,
est actio: ut autem dicit
exercitium *in*, idest ut reci-
pitur in passio, aut in aqua
patiente, est passio. Quo vi-
des primo, quod actio, &
passio non differunt entita-
tivè, quia sunt eadem en-
titas termini producti. Vi-
des secundo, quod differunt
quiddativè, quia actio di-
cit calorem sub ordine ad

agens; passio calorem sub
ordine ad patiens; & ordi-
nes illi, quiddativè dif-
ferunt juxta dicta quaestio-
9. §. tertio. Vides tertio,
quomodo actio & passio
conveniunt in eo quod sint
via inter agens, & patiens;
sed differunt penes *in*, & *ab*,
quia hæc via sub exercitio
egressus ab agente, est actio;
sub exercitio autem recep-
tionis in passio, est passio.
Quo intellecto, patent dif-
finitiones supra datæ actio-
nis, & passiois.

2. Dividitur actio
in transeuntem, & imma-
nentem. Immanens est *que*
manet in eodem principio, à quo
egreditur. V. g. intellectio e-
greditur ab intellectu, sed
in eodem recipitur; ideo
immanens actio est. Tran-
siciens est, *que non ita re-
cipitur in principio, à quo*
*egreditur, sed transit in exte-
riorem materiam*, ut secatio li-
gni, verberatio &c. Ali-
qui non admittunt has dif-
finitiones, quia ut vide-
bimus tertio Physicorum,
docent omnem actionem
recipi in agente, & sic in
principio, à quo egredi-
tur. Ob hæc diffiniunt ali-
ter, dando discrimen ab
transiente actione, quia im-
manens nullum terminum

producit; bene tamen actio
transiens. Ceterum non va-
let hoc: quia apud om-
nes intellectus, & volun-
tas, imò omnis potentia
vitalis, est potentia imma-
nens, cujus actiones sunt
vitales; & immanentes, sunt
enim *motus à se*, & *in se*; in
quo consistit essentia vitæ:
& tamen producunt terminum
vitalem, sicut intellectio
actio notitiam, volitio im-
pulsum, generatio genitum
terminum: ergo penes pro-
ducere terminum non di-
stinguuntur tales actiones à
transeuntibus. Ob hæc di-
cunt alij differre, quia im-
manentes producunt termi-
num manentem intra agens,
ut patet de notitia, im-
pulsu, & alijs: transeuntes pro-
ducunt terminum in re ex-
tra agens, ut ignis calo-
rem in aqua. Ceterum nec
valet hoc, quia actio ge-
nerativa est vitalis, & im-
manens; & tamen produ-
cit terminum extra agens,
scilicet genitum. De his pro-
nunc satis: quare standum
est nostris diffinitionibus.

Observa, quod aliquæ
actiones sunt formales im-
manentes, & virtualiter tran-
sientes. Tales sunt in no-
stris principijs omnes actio-
nes Dei erga creaturas, &
proba,

probabimus 2. & 7. Physicorum. Nam cum Deus ad extrâ operetur per Omnipotentiam, quæ est virtus formaliter immanens & vitalis, actiones ejus sunt vitales formaliter, & immanentes; imò sunt realiter unica actio æterna identificata cum Omnipotentia. Quæ quoniam producit terminum ad extrâ, & in hoc æquivaleret actioni transeuntis; idè est actio virtualiter transiens, sed formaliter immanens. Idem dicere tenentur omnes de generatione creata. Actio generativa vitalis est, & sic immanens formaliter. Ceterum quia producit terminum genitum in re extrâ, æquivaleret actioni transeuntis; & idè est virtualiter transiens.

Observa secundò: Quòd actio immanens propriè non est actio de prædicamento actionis, sed est actio secundum dici, & revera est qualitas de prædicamento qualitatis. Hoc docetur satis communiter, & probabitur datè à nobis de intellectu in libro de Anima, Deo favente. Interim ex hic dictis suadet. Nam est via agentis ad passum, & sic medium inter utrumque. At intellectio inquit

esse medium, & via talis: ergo non est propriè actio de prædicamento, sed qualitas. Probatur minor. Agens intellectio est intellectus; patiens est ipse intellectus; & ob id intellectio est actio immanens, & vitalis. Unde agens, & patiens non sunt distincta, sed penitus idem, nempe intellectus: sed inter extrema identificata nequit cadere medium realiter distinctum ab utroque: ergo cum intellectio sit realiter distincta ab intellectu agente, & intellectu recipiente, nequit mediare ut realis via ab utroque distincta; sed est via secundum dici.

Ob id tum hic, tum tertio Physicorum agitur de actione transeunte formaliter, aut virtualiter tali; quæ dividitur in creativam, & eductivam. Creativa est quæ producit rem ex nihilo, vel ex nullo præsupposito subjecto. Eductiva est quæ producit, vel educit formam ex subjecto præsupposito. Creaturæ semper operantur per actionem eductivam, quia non possunt creare; imò nec eis est communicabilis virtus creativa, ut dicemus 2. Physicorum. Deus autem juxta aliquos semper operatur ad extrâ per

per actionem creativam; quia semper operatur independenter à subjecto præsupposito. Apud communem sententiam, cum quædam sint creata, ut materia, anima rationalis; alia educta, ut forma brutorum, accidentia &c. idè dicunt quòd ab effectibus actio Dei jam dicitur creativa, jam eductiva. De hoc libro 1. Physicorum.

3. Plura poterant hic dubitari. Primò: Vtrum actio transiens recipiatur in agente, an in passivo? Secundò: An talis actio distinguatur à termino? Tertio: Quæ actiones ponantur directè in hoc prædicamento? Quarto: Unde sumatur unitas numerica, & specifica actionis? De duobus primis dubijs agitur lib. 2. Physicorum, duo ultima hic dissolvenda sunt breviter, quia tertium pendet ex dicendis in Philosophia: quartum ex hic dictis de relatione. Et quidem quòd actiones immanentes non ponantur in hoc prædicamento, patet ex dictis; quia non sunt actiones secundum esse; sed secundum dici: ergo sicut in prædicamento relationis non ponuntur relationes secundum dici, sed secundum

esse tales; sic nec actiones immanentes ponendæ sunt in hoc prædicamento: quare spectant ad prædicamentum qualitatis, ut dictum est.

De actione transeunte, cum juxta dicenda 3. Physicorum non distinguatur entitativè à termino productivo, inde est, quòd actio terminata ad substantiam est entitativè substantia, actio terminata ad accidentia, est entitativè accidens. Nunc sic: sed quia ratio non habet entitatem distinctam à fundamento; idè diximus, quòd ratio fundata in substantia, non est prædicamentalis, & secundum esse, sed solum secundum dici, quare non pertinet ad prædicamentum relationis: ergo consequenter ad eadem principia tenendum est, quòd actio productiva substantiæ, v.g. generatio substantialis, non est actio prædicamentalis, & secundum esse, sed secundum dici; quare talis non spectat ad hoc prædicamentum, quòd est de numero accidentium. Ob id solæ actiones terminatæ ad accidentia, sunt actiones prædicamentales, ut sunt alteratio terminata ad qualitatem, augmentatio terminata ad quantitatem; nutritio autem, & generatio

neratio substancialis, nō sunt de hoc prædicamēto, quia immediatē terminatur ad substantiā, à qua non differūt entitativè.

4. De quarto dubio facilis est resolutio quoad unitatē numericā actionis. Nā cum accidentia individuētur à subjecto, in quo recipiūtur: ab eo actiō tā immanēs, quā trāsiens sumit unitatē numericā. Quæ verò actiones terminatur ad substantiā, sunt entitativè substantiæ; quare nō individuātur à subjecto. Sed dicēdū tales individua ri ab eodē principio, à quo substantia producta individuatur. Illud erit materia sigillata quā titate, vel aliud principium, de quo (Deo dāte) in Metaphysica.

De unitate specifica actionis citatur D. Th. 1. p. q. 14. art. 5. ad 3. docens eā specificari à principio unde egrediuntur. Quod patet in intellectu, & volitione in sententia docente eas nullū producere terminū: ergo cum nullū terminum habeāt, restat distinguēdas esse ex principijs, quia nēpe una egreditur ab intellectu, altera à voluntate, quæ sunt potentiæ distinctæ specificè. Vnde in his principijs intellectio, & volitio specie differūt, quia oriuntur à potentijs specie diversis. Potentiæ differūt specificè, quia respiciūt objecta formalia distincta, nēpe intellectus verum, voluntas bonum. Idem dic de

visione, & auditione à potentijs diversis: & potentiæ sunt diversæ, quia objecta sunt distincta, nempe coloratum, & sonorum.

Pro contraria adest N. F. D. B. Agidius in 2. dist. 1. dub. 6. litt. §. *Dupliciter*, ubi docet unitatem specificam actionis sumi à termino formaliter. Hoc suadetur eisdem principijs, quibus supra diximus relationem specificari à suo termino. Docetur hæc sententia à Suariorum in Metaphysica, & est satis communis. Sunt tamen aliqui qui docēt actionem specificari ab utroque, nempe à principio, & termino. Quod à fortiori debent dicere, qui tenent relationē ab utroque specificari. Nobis ex dictis supra q. 11. est facilis resolutio. Et ad D. Th. dicimus doctrinā ejus esse verissimā de actione immanēti, ob rationē à S. Doct. allegatā. Nec contradicit B. Agidius, qui loquitur de transeunte. Et sicut de relatione dictū est, quod immediatē specificatur à termino, & mediātē à fundamento; quia terminus refutit suā distinctionē in fundamentū: sic quia distinctio formalis terminorū refunditur etiā in principia; idē actio transiens, quæ immediatē specificatur à termino, specificatur mediātē à principio: & sic concordantur sententiæ.

Circa

5. Circa ubi, & situm solum est difficultas in discrimine unius ab alio. Diffinitur ubi *passiva circumscriptio locati proveniens ab activa circumscriptio loci*. Considera aquam intra vas, ut intra locum suum. Aqua vitro circumscribitur, quare vitrum est circumscribens activè, aqua est passivè circumscripta. Hinc circumscriptio ipsa sumitur activè & passivè; activè sumpta, est extrinseca aquæ locatæ; quia vitrum ambiens, extrinsecum est aquæ. Passivè sumpta, est intrinseca aquæ, quia per seipsam passivè est circumscripta. Igitur ubi non est prima circumscriptio activa, sed secunda passiva, & sic explicatur in diffinitione. Ratio hujus esse potest, quia ubi est quid intrinsecum rei ubicatæ: ergo non est activa circumscriptio, sed passiva, quæ intrinseca est rei locatæ. Potest aliter ubi diffiniri sic. *Est entitas rei locatæ, dicens relationem conformitatis ad locum*. Ceterum 1. diffinitio Arist. melior est, & communiter datur.

De distinctione ubicacionis à re ubicatæ agemus lib. 4. Physic. interim ex his dictis de relatione quest. 9. facile colligitur, quod solum distinguitur quidditativè. Ratio est: quia ubicatio solum addit entitati rei ubicatæ relationem conformitatis ad locum: sed

relatio est quidditas, non autem entitas, vel modus à fundamento distinctus, ut dictum est: ergo ubicatio solum addit quidditatem; & sic solum differt quidditativè. Superest tamen difficultas, solvenda lib. 5. Physic. quomodo ad ubi datur per se motus, si ubi est sola relatio, & quidditas ad quam juxta Arist. non datur motus per se?

6. Vbi est triplex, nempe circumscriptivum, diffinitivum, & sacramentale. Primum est quod convenit substantiæ corporeæ existenti in loco per quantitatem mollis. Secundum est, quod convenit Angelis, existentibus in loco per operationem suam. Angelus enim, ut operetur in loco, debet esse illi presens, quia nemo agit in distans, sed in sibi propinquum: ergo Angelus vi suæ operationis probatur esse in loco. Hinc est, quod aliter est Angelus in loco, ac nostrum corpus; nam nos continemur à loco; quia passivè ab illo circumscribimur; ceterum Angelus non continetur à loco, sed potius Angelus sua virtute operativa, suaque operatione continet locum. Quare est in loco per operationem, & quantitatē virtutis. Vnde cum virtus Angeli non sit infinita, sed finita, & determinata; idē

determinatur ad essendum, & operandum in tali loco. Hoc est diffiniri, determinari, & limitari; quare *ubi* Angelicum dicitur diffinitivum, idest determinativum Angeli ad tale spatium. Vbi sacramentale est illud, quod habet Christus in hostia, ubi est, & movetur ratione specierum sacramentalium, in quibus est modo substantiali, quo substantia est in accidentibus. De hoc aliqua diximus hoc libro q. 5. & latius dicemus 4. Physic. Putant plures, quòd *ubi* est presentia rei in loco. Sed falluntur, quia *ubi* resultat ex adjacentia corporis ad locum; & ex *ubi* sequitur presentia, sicut ex quantitate æqualitas.

Situs est dispositio partium in loco. Differt situs ab *ubi*, quia *ubi* solum dicit locatum in loco; at situs dicit talem, vel talem modum essendi, v. g. stando, sedendo, rectum, supinum &c. Certè diversa est dispositio partium dum sedemus, ac dum stamus: ergo sine mutatione loci, & *ubi* immutato, possumus variare *situm*. Ob id ponitur situs, ut diversum prædicamentum ab *ubi*. Observa, quòd *situs* solum datur in rebus corporeis; quia illæ solæ habent partes distinctas, & extensas localiter: ergo in eis solis datur dispositio partium in loco, quæ est *situs*.

7. Circa *quando* nota, quòd

sicut ex adjacentia corporis ad locum resultat *ubi*; sic ex coexistentia, vel coadjacentia rei ad tempus resultat *quando*. Diffinitur sic, est *commensuratio passiva rei cum tempore*. Ejus differentia sunt, sicut temporis, præsens, præteritum, & futurum. Sola temporalia mensurantur tempore, & ideo illa sola quædantur; hoc est quandari mutari mutatione temporis. Quare sicut Angelus non fenescit, quia non mensuratur tempore, sed ævo, ut dicemus 4. Physic. ita non quandatur.

Habitus est commensuratio activa continentis ad contentum. Sicut *ubi* diffinitum est *commensuratio passiva, vel passiva circumscriptio* &c. ita habitus diffinitur *commensuratio activa continentis ad contentum*. Quo fit, ut hæc diffinitio habitus coveniat loco activè continenti corpora. At hac diffinitione intelligitur vestis, & exterior ornatus corporis, quo dicitur vestitus, armatus, ornatus &c. Hæc omnia significantur nomine habitus de quo nil scitu dignum discutitur.

8. Finita expositione prædicamentorum, quærit Vilanova N. quibus conveniant? Et quidem quòd Deo nullum conveniat, ostensum est quæst. 3. hujus libri. De rebus corporeis certissimum est eis omnia convenire, quia pro illis adinventæ sunt. De Angelis

lis poterat dubitari, sed satis constat ex dictis lib. 3. q. 6. §. 5. & 6. Angelos in nullo convenire univocè cum rebus corporeis, quare propriè nihil angelicum spectat ad nostra prædicamenta. Ceterum sicut ex prædicamentis duo solum transferimus ad Deum, nempe substantiam, & relationem, quia hæc in suo conceptu essentiali non includunt imperfectionem Deo repugnantem. Sic aliqua sunt prædicamenta, quæ dicunt imperfectionem Angelis repugnantem, alia quæ non: unde hæc, & non illa ad Angelos transferimus.

Convenit Angelis *substantia*, quia sunt formæ substantiales. *Qualitas*, quia habent intellectum, & voluntatem, quæ sunt qualitates secundæ speciei. *Relatio*, quia referuntur ad Deum mensuram omnis creaturæ; suntque similes inter se; & servant ordinem superiori-

tatis, & inferioritatis. *Actio*, & *passio*, quia nedum agunt immanenter, sed transeunter in materiã corporealem, quæ est illis plenè subjecta; quare faciliter intelligētia mortis movet cælum primum mobile. Patiuntur item, ut patet in demonibus. *Vbi*, quia sunt in loco, licet à loco non continēantur. Ceterum ab eis relegatur *quantitas*, quia sunt incorporei, nec possunt extendi, aut comprimī. Negatur *situs*, quia nullas habet partes, sed sūt indivisibiles. Negatur *habitus*, quia sola corpora vestiuntur, & ab extrinseco cōtinēte cōtinētur. Ethæc de explicatione prædicamentorum, quam P. August. de Categ. cap. 17. conclusam tradit gaudēs, quasi magni æquoris freta transgressus. Vide ibi verba S. Doctoris, ut cum illo simul gaudeamus, & Deo gratias rependamus.

QUÆSTIO XIII.

Quid sint, & quot Postprædicamenta Aristotelica?

§. Unicus.

Explicatur oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi.

I. **D**iximus quæst. 1. hujus libri sola univoca poni in prædicamento; quare an-

te prædicamenta actum est de analogis, & æquivocis. Et quoniam ibi diximus solum poni

entia completa, restat agere de quibusdam incompletis, quæ ad nullum spectant prædicamentum. De illis agit Philosophus hic, & ideò vocavit Postprædicamenta. Ista sunt quinque, quæ in titulo continentur, quæ sigillatim explicabimus, & more Philosophi breviter.

Egimus in Sūmulis de oppositione logica propositionum, quæ est duarum propositionū repugnās qualitas, & quāritas. Nunc agimus de oppositione physica rerum, & diffinitur *Duarum rerum inter se repugnantia*. Hæc oppositio est quadruplex nempe *relativa*, ut inter patrem & filiū: *Contraria*, ut inter album & nigrum: *Privativa*; ut inter visum & cæcitatem: *Contradictoria*, ut inter ens, & non ens; inter Petrum & ejus carentiam. Omnis relatio petit extrema relativa distincta; & vi relationis distinguuntur, quia vi ejusdē opponuntur. Sic enim pater opponitur relativè filio, ut non possit pater esse filius. Oppositio contraria datur inter duo extrema positiva, ut album, & nigrum; calidum & frigidum. Contradictoria, & privativa datur inter extrema, quorum unum est positivum, aliud negativum, ut ens, & non ens. Differunt, quia privativa vocatur quando extremum negativum est in subje-

cto capaci forma negatæ: ut videns, & cæcus: cæcitas non est mera negatio visus, sed dicit subiectum capax visus; unde non potest lapis dici cæcus, licet dicatur non videns.

2. Dubitatur hic, quænam ex dictis sit major oppositio? Communis sententia cum D. Thoma dicit contradictoriam esse majorem. Negat tamen N.B. Egidius in 1. Sent. dist. 11. q. 1. art. 3. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quod maxima oppositio dicitur contradictio, quia est latior, & omnes alias includit: sed omnes aliæ oppositiones se habet per additionem, ad ipsam, & ideo non oportet tantum differre, quæ differunt per affirmationem, & negationem, quantum differunt quæ secundum oppositiones alias differunt.*

Probatur à ratione ex N. Doct. illa est minor oppositio, quæ compatitur cum majori unitate: sed contradictoria verificantur de extremis realiter identificatis, & solum virtualiter distinctis; quod nõ sufficit ad verificandas alias oppositiones; non enim sufficit distinctio virtualis, ut quis sit simul pater & filius; albus & niger, & sic de alijs: ergo oppositio contradictoria non est maxima omnium, sed minor. Rursus: Oppositio contradictoria includitur in alijs oppositionibus: ergo aliæ oppositiones addunt aliquid supra

pra contradictoriam; & sic sūt ea majores. Ad sententiam D. Thomæ dat nobis B. Egidius veram expositionem. Dicit S. Doct. contradictoriā esse maximam, & intelligendus est *extensivè*, quatenus se extendit ad alias omnes; at non dicit esse maximam *intensivè*: & hoc est à nobis assertum.

3. Secundum Postprædicamentum est *Prioritas*, vi cuius unum dicitur prius altero. Quinque modis potest unum esse prius altero, nempe tempore, natura essendi consequentia, ordine, & dignitate. Vide P. August. lib. de Categ. cap. 19. egregiè explicātem hos modos prioritatis; nec verba S. Doct. adducimus, etsi perspicua, ut brevitati consulamus. Prioritas temporis datur inter ea quorum unum existit ante aliud: ut Adam, qui tempore præcessit nos; Deus autem existit ante nos; sed quia existentia Dei non mensuratur tempore, sed æternitate, ideò non propriè Deus est prior nobis tempore, sed æternitate. Quare prioritas temporis propria datur inter temporalia; licet sumpta prioritate ista pro duratione rei existentis ante aliam, potest applicari Deo, & Angelis præcedentibus existentiam corporalium.

Prioritas naturæ datur in-

ter ea, quæ licet existant in eodem instanti reali sine reali præcedentia, attamen unum est realis causa alterius. Sic in eodem instanti reali, quo creatus est Sol, existit ejus illuminatio. Ceterum quia Sol est causa illuminationis, & omnis causa realis præcedit effectum; ideò Sol qui non præcessit tempore illuminationē, præcessit natura. Sic licet in eodem instanti creata sit materia, & forma, quia tamē materia est causa materialis formæ, materia præcessit natura formæ. Hæc prioritas vocatur *in quo*: ad differentiam prioritatis originis, quæ vocatur *à quo*. De hac infra.

Prioritas subsistendi consequentia datur inter ea, quæ sunt plenè simul, imò & identificata aliquando; attamen valet consequentia, & illatio ab uno ad aliud: v. g. *Est animal rationale: ergo est homo. Adverte, quod valet: est homo: ergo est animal. Sed non valet: Est animal: ergo est homo. Ob id propriè dicitur, quod animal est prius homine subsistendi consequentia; quia si non esset ita prius, æquè valeret mutuo, ut valet primum exemplum datum. Hinc prioritas ista propriè sumpta datur inter extrema identificata, à quibus non valet vicissim consequentia, ut dictum est.*

Prioritas ordinis est, qua unum ponitur ante aliud, ut dum quis sedet ante alium, & est ordine sedendi prior; dum in dictione una littera ponitur ante aliam; dum in sciētijs una discitur ante aliam; & sic de alijs ordinem servantibus. Prioritas dignitatis est qua Papa præcedit omnes Christi fideles; Rex subditos, civis populares &c. Istæ ultimæ prioritates non multum curantur à Philosophis, nisi dū in moralibus versantur circa regimen Reipublicæ.

4. Quoniam autem *simultas* contraria est prioritati, tot modis datur, quot prioritas. Unde datur *simultas* tēporis, naturæ, subsistendi consequentia, ordine, & dignitate. Nec in ejus expositione immorari oportet, cum ex dictis pateat. Quia tamen in Divinis Pater non est prior Filio tempore, aut æternitate; quia Filius est Patri coæternus: nec est prior natura, quia eadem est natura Filij & Patris, nec Pater causat Filium, sed generat: item non est prior subsistendi consequentia; tum quia non identificatur, sed distinguitur à Filio; tum quia æquè valet datur Pater: ergo datur Filius. Datur Filius: ergo datur Pater. Nec est prior dignitate, & ordine, cum eadem sit utriusque majestas,

dignitas, & quidquid in Deo absolutum, & perfectio est. Quia ergo nulla ex his prioritatibus datur in Divinis, & tamen aliqua admittenda est, quoniam Pater est principium Filij; Filius autem non est principium Patris: ergo aliquo modo Pater est prior Filio.

Ob hoc Theologi, & SS. PP. aliam explicant prioritatem, quam dicunt *Originis*, & vocatur prioritas à quo *alius*, & ista dicunt Patrem esse Filio priorem; Patrem, & Filium spirantes, esse priores Spiritu santo. Consistit hæc prioritas in eo quod Persona prior sit Principium, & Origo alterius Personæ Divinæ; & ita sit principium ut non præcedat tempore, natura, aut alio modo ex quinque explicatis. Quæ omnia cum solum dentur in Divinis, nullo creato exemplo explicari possunt, nec nostri muneris in præsentia est prolixior explanatio.

5. Quartum Postprædicamentum est *motus*, & diffinitur *via ad terminum*. De hoc agitur à Philosophis 3. Physi. ubi diffinitur cum Arist. *Actus entis in potentia secundum quod in potentia*. Prima diffinitio est clarior pro nunc: sed ex utraque colligitur, quod motus est quid incompletum, vitale, &

& perfectio partialis entis, quod manet perfectibile per aliud. Motus iste est sextuplex, nempe generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio, & mutatio localis. Hæc sunt inter se contraria, quia generationi opponitur corruptio; augmentationi diminutio; motui sursum, quies, & motus deorsum. De quibus in Philosophia, & in de Generatione, & Corruptione.

Quintum Postprædicamentum est, *Modus habendi*. Hic juxta P. August. de Categ. cap. 16. est multiplex: ceterum ommissis modis habendi per in hærentiam, per identitatem, per possessionem &c. Modi habendi, vel dicendi *per se*, de quibus frequens est in Philosophia, & Theologia disputatio, sunt quatuor. Primus est per ordinem ad causam formalem: & sic diffinitio hominis, vel pars diffinitio-

nis prædicatur de homine in primo modo dicendi per se. In secundo modo dicendi per se, prædicantur passiones de essentia, v. g. risibilitas de homine. Tertius modus dicendi per se, est per negationem causæ; sic Petrus, & quæcumque substantia individua, dicitur per se existens; quia non pendet ab alio, ut à sustentante. Quartus modus dicendi per se, est per ordinem ad terminum, causam, vel principium, à quo pendet necessario res, quæ dicitur v. g. ædificium ab ædificatore. In hoc sensu quæritur à Theologis, an Verbum procedat ex cognitione creaturarum in quarto modo dicendi per se? Hoc est, an taliter procedat sic, ut non possit procedere Verbum, nisi ex cognitione Patris, qua cognoscit creaturas? Et hæc de toto lib. 6.

LOGICÆ

DE INTERPRETATIONE SEU PERHIERMENIAS : DE PRIORI ET POSTERIORI ANALYSI.



VOS scripsit Aristoteles libros Perhiermenias, seu de interpretatione, ubi agit de enuntiatione, & ejus partibus, quæ sunt nomen, verbum, signum, proprietatesque enuntiationis exponit, quales sunt veritas, falsitas, oppositio, æquipollentia, &c. De quibus satis actum est in Summulis. De veritate tamen plura dicta sunt lib. 1.

Logicæ quæst. 2. & 8. hic tamen breviter aliqua discutiemus. Scripsit etiam libros de priori, & posteriori Analysi; hoc est de priori, & posteriori resolutione: nam cum scire sit resolvere conclusionem in sua principia; si resolvitur ex parte formæ, est prior analysis; si ex parte materiæ, est analysis posterior. De illa egit in libris priorum, ubi est sermo de Syllogismo in communi, & modis arguendi: de quibus satis in Summulis dictum est. De posteriori resolutione tractat in libris Posteriorum, ubi docet quid sit demonstratio, præcipuè intenta à Logica: quot species ejus; quot partes, quot prærequisita; ac tandem de effectu ejus, qui est scientia, tum absolutè in se, tum comparata cum scientia, & opinione, aliisque habitibus. De his aliqua in Proëmialibus explicavimus, alia, præcipuè quæ utilia sunt, hic discutiemus breviter; multa omittentes, quæ vel inutilia, vel jam ad Theologos translata sunt.

QUÆSTIO PRIMA.

Quid sit veritas enuntiationis, & in quo consistat?

§. I.

Ostenditur veritatem consistere in conformitate enuntiationis cum objecto.

1. **S**UPRA in Proëmialibus q. 8. num. 27. ut explicarem veritatem reflexam, quæ objectum

QUÆST. I.

actum est formale Logicæ, vi cuius Logica à P. August. D. Thoma, & B. Ægidio, dicitur *Rationalis scientia*, breviter notavimus cõmunia principia circa veritatem realem transcendentalem, & formalem, præsciendõ à sententijs de constitutivo veritatis, quas tunc non licebat expendere, quoniam vel id pertinet ad Metaphysicam, quæ agit de ente, & passionibus ejus, inter quas est verum; vel non expediebat in limine Logicæ de re difficili disputare. Nunc autem omittendo veritatem transcendentalem, quæ est passio entis, & ob id pertinet ad Metaphysicam, quæ ostendit quid verum transcendentale addit supra ens; cogimur agere de veritate formali; quoniam in libris Perhiermenias, quæ pars sunt Logicæ magnæ, agitur de veritate, & falsitate enuntiationum: & hæc est veritas formalis.

Suppono, quòd veritas non est essentia enuntiationis; nam essentia rei est invariabilis; nec potest res manere, variata illius essentia: at juxta Aristotelem eadem propositio potest mutari de vera in falsam; ut hæc *Petrus currit*, quæ currente Petro est vera; non currente est falsa; quare per solam mutationem objecti, manente propositione eadem,

§. I.

transit de vera in falsam: ergo veritas non est essentia enuntiationis, sed passio; ipsaque mutabilis ad variationem objecti. Quare dicendum est essentiam enuntiationis consistere in eo, quòd sit *oratio verum, vel falsum significans*, ut in Summulis dicebamus.

Supponimus 2. quòd veritas formalis consistit in conformitate enuntiationis cum objecto. Id docuit Arist. hic, & docetur à Cõmentatore 12. Metaphysicæ dicente cum Philosopho: *Ab eo quod res est, vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa.* Et P. August. lib. de vera Religione cap. 36. ait: *Cui manifestè est, falsitatem esse, qua id putatur esse quod non est, intelligit eam esse veritatem, quæ ostendit id quod est.* Sed propositio, quæ ostendit esse id quod est, est formaliter conformis objecto; quæ verò ostendit objectum esse quod non est, non est conformis objecto; ergo formalis veritas propositionis consistit in conformitate ejus cum objecto; & falsitas in difformitate, opposita conformitati. In hoc conveniunt omnes, & est doctrina B. Ægidij Quodl. 4. q. 7. & in 1. Sent. dist. 19. p. 2. q. 2. art. 1. 2. & 3. Docetur expressè à D. Anselmo in Dialog. de veritate cap. 10. ubi diffinit veritatem sic, *est reffitudo sola mente perceptibilis.* Traditur sæpius à D. Tho.

quæ sequuntur omnes, ut ferè nullus dubiter de hoc.

Ceterum, ut advertit B. Ægidius 2. Metaphysicæ quas. 17. triplex est adæquatio, & conformitas intellectus cum objecto. Prima, qua intellectus conformatur cum re secundum illud esse, quod habet res objectivè in intellectu. Secunda, qua intellectus conformatur cum re, secundum illud esse physicum, quod habet res extra intellectum. Tertia, qua esse objectivum, quod habet res in intellectu, conformatur cum esse physico, quod res habet in se extra intellectum. Dubium est ergo, in qua conformitate ex his tribus consistat veritas formalis?

3. Prima sententia docet consistere in conformitate illius esse objectivi, quod habet res in intellectu cum esse physico rei extra intellectum. Ita Durandus in 1. dist. 19. q. 5. quem sequitur Vazquius 1. p. disp. 76. cap. 1. Citantur pro eadem antiqui Hervæus, Javelinus, Flandria, & Soncinas. Eandem docet N. Villanova in Logica, p. 2. dubio 1. contendens esse de mente P. Augusti. & B. Ægidij.

Probatur 1. Quia veritas formalis consistit in conformitate intellectus cum objecto: at non consistit in conformitate cognitionis cum objecto

intra intellectum, nec cum objecto extra intellectum: ergo consistit in conformitate alia, qua esse objectivum rei intra intellectum, conformatur cum esse physico rei extra intellectum. Probat minor. Veritas est objectum intellectus: sed cognitio ut conformis objecto intra, vel extra intellectum, non est objectum intellectus, ut patet; quia potius cognitio est actio, qua intellectus percipit suum objectum, nempe veritatem: ergo.

Secundò: Quia enuntiatio vocalis est signum veritatis, quæ est in intellectu: sed non est signum actuum intellectus, sed verbi, seu rei secundum esse objectivum, quod habet in intellectu: ergo veritas non est actus intellectus, vel conceptus formalis, sed objectivus, ut conformis rei extra intellectum. Major patet ex dictis in Summ. circa enuntiationem. Minor probatur à B. Ægidio Quodl. 5. q. 9. ex P. Aug. 15. de Trin. cap. 11. ubi ait: *Verbum, quod foris sonat, signum est verbi quod intus latet.*

Tertiò: Quia de veritate prout est in intellectu, tractant diversæ scientiæ; cum scientiæ sint de universalibus: sed scientiæ non agunt de actibus intellectus, sed de rebus ipsis abstractis, & cognitis: ergo res ipsæ abstractæ, & cognitæ,

tæ, sunt veritates; non autem actus intellectus res illas representantes. Hæc noster Villanova.

Quæ confirmari possunt. Nam quando intellectus reflectitur ad cognoscendam formaliter veritatem, non comparat suum actum cum objecto, sed attendit an objectum representetur intra intellectum sicut existit in re. Quod si videt ita representari; iudicat se verè cognovisse, sin aliter, cognoscit se errasse: ergo quia veritas formalis non consistit in conformitate cognitionis cum objecto, sed in conformitate conceptus objectivi rei representatæ intra intellectum, cum se ipsa existente in re.

Confirmatur 2. ex fundamento Durandi ubi supra pro ista sententia. Veritas consistens in cõformitate intellectus cum objecto, non consistit in conformitate actus intellectus in esse entis cum objecto. Nã sic intellectio, & objectum sunt dissimiles, cum semper cognitio sit ens spirituale, & objectum ens materiale. Ergo si quæ conformitas est constitutiva veritatis, illa est conformitas in representando; ideo quod ita representetur res intra intellectum, sicut est in re extra. Sed representatio rei habetur per conceptus objectivos rãtium, aut saltem prin-

cipalius: ergo veritas consistit in conformitate objecti esse representativo, cum objecto in esse reali extra intellectum.

4. Secunda sententia docet, quod veritas formalis consistit in conformitate cognitionis cum objecto prout est in re. Ita Suarius in Metaphysica disp. 8. de Veritate sect. 1. citans pro se D. Thomam 1. p. q. 12. & 8. Cajetanum ibi art. 2. sumitur etiã ex D. Thoma 1. contra Gent. cap. 59. & 60 quem sequuntur Sonzinas in Metaphysica lib. 6. q. 17. Ferrara, & alij Thomistæ cõmuniter. Allegat etiã B. Ægidium Quodl. 4. q. 7.

Probatur 1. ex Philosopho in Prædicam. cap. de Substantia dicente: *Ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa.* Supra quod D. Thomas 1. p. q. 16. art. 1. ad 3. notat non dixisse, ab eo quod res vera est, sed *ex eo quod res est.* Ergo cognitio, & propositio non denominatur vera à veritate ipsius objecti, & conformitate ejus, sed à veritate, & conformitate ipsius iudicij: ergo quia in hac consistit veritas formalis.

Secundò: Veritas propositionis vocalis non consistit in conformitate objecti representati cum se ipso, ut in re existente; sed consistit in im-

mediatâ conformitate vocis significantis cum re significatâ. Immo in quacunque imagine verè representante, v.g. imago Petri verè dicitur Petrum representare; nec veritas hæc consistit in eo quòd Petrus in esse representativo sit sibi ipsi existèri conformis, sed in eo quòd imago illa immediatè conformetur Petro, existenti in re: ergo veritas propositionis mentalis, quæ est veritas formalis, non consistit in conformitate objecti in esse objectivo, cum seipso in esse rei; sed purè in conformitate cognitionis cum objecto. Vide apud Suarium loco laudato alias rationes.

5. Tertia sententia docet veritatem formalem consistere immediatè, & primariò in adæquatione cognitionis cum re secundùm esse objectivum, quod habet in intellectu; & ex consequenti, & secundariò cum esse physico rei quod habet extra intellectum. Ita Noster Gavardi tom. 1. suæ Theologiæ quæst. de Veritate Dei art. 3. citans pro hac sententia B. Ægidium 1. Sent. dist. 19. q. 1. & Quodl. 4. q. 7. Hanc dicit esse sententiam Arist. & suadere nititur de mente P. Augustini.

Probat 1. ex P. Augustino ubi suprâ dicente: *Veritas est, qua ostenditur id quod est*: sed

ut intellectui ostendatur id quod est in re extrâ, debet priùs objectum esse intra intellectum objectivè: ergo per priùs debet cognitio esse conformis objecto existenti intra intellectum objectivè; & secundariò, & ex consequenti esse conformis cum objecto extra in re. Minor patet, quia quândiu objectum non est cognitum, non ostenditur intellectui, dum tamen est cognitum, habet esse objectivum.

Secundò: Veritas formalis consistit primariò in illa adæquatione ejus, quod primariò, & immediatè unitur intellectui: sed objectum immediatum intellectus, in quod immediatè fertur, & cui immediatè unitur, est objectum secundùm esse objectivum, quod habet intra intellectum, non autem secundùm esse reale, quod habet in re: ergo in hac unione, & conformitate consistit primariò veritas formalis. Minor patet in cognitione lapidis; non enim fit, nisi lapis uniatur intellectui, docente P. August. quòd *Ab objecto & potentia paritur notitia*: nec lapis unitur intellectui secundùm esse reale lapidis in se, sed secundùm esse objectivum.

Confirmatur hoc. Mendacium non consistit in difformitate intellectus cum re à par-

te rei, sed in difformitate cum re intra intellectum: sed contrariorum eadem est ratio; & mendacium opponitur contrariè veritati formali: ergo formalis veritas non consistit primariò in conformitate intellectus cum re extra, sed cum esse objectivo rei intra intellectum. Major patet: primò, quia mentire est *contra mentem* etc. Tum quia qui conformatur cum esse objectivo rei in mente; licet non conformetur cum re extra, non mentitur formaliter, sed materialiter errat: ergo quia mendacium formale &c.

6. Quoad secundam partem probatur hæc sententia. Nam objectum quoad esse representativum quod habet in intellectu, conformatur cum esse quod habet in re; alioquin non verè representaretur; & sic non tale objectum, sed aliud representaretur: ergo nequit cognitio esse conformis cum re secundùm esse objectivum in intellectu, quin consequenter sit conformis cum re extra intellectum. Ergo nec veritas formalis potest consistere in prima conformitate, quin secundariò perat secundam.

Rursus. Si veritas consisteret purè in prima conformitate, posset intellectus cognoscere hominem ut animal irrationale, & esse formaliter

veridicus; at consequens est absurdum: ergo pro illo vitando veritas petit conformitatem cognitionis cum objecto pro ut in re. Probat 2. sequela majoris. Demus intellectum concipere hominem, ut irrationalem; tunc cognitio conformaretur cum illo esse objectivo hominis irrationalis: ergo si veritas &c.

7. Inter has sententias secunda & tertia sunt probabiliores, & docentur communiter ab omnibus, eis exceptis, qui allegati sunt pro prima. Imò B. Ægidius ex professo tractans de constitutivo veritatis secundam & tertiam insinuat, quæ non discriminantur nisi ex eo, quòd tertia est explicatio secundæ. Et quidem nihil cognoscitur ab intellectu nisi cognitum habeat esse objectivum in intellectu. Vel ergo illud esse objectivum conformatur cum objecto in re, vel non: si non conformatur? Ergo nec cognitio est vera formaliter: nec objectum verè representatur in intellectu. Patet prima consequentia, quia cognitio semper est conformis cum illo esse objectivo rei cognitæ; quare si illud esse objectivum est difforme rei in re, etiam cognitio, & sic erit falsa. Patet 2. consequentia. Quia ut objectum verè representetur, debet in esse representati-

vo conformari cum objecto in re extra. Ergo habemus quòd pro cognitione vera formaliter, tria concurrunt, nempe conformitas cognitionis cū objecto intra intellectum; conformitas intellectus cum objecto extra intellectum; & conformitas rei intra intellectum cum seipsa extra in re. Ita B. Ægidius 2. Metaphysicæ q. 17. ut notavimus num. 2.

Observa, quòd Suarius ubi supra non concedit quòd esse objectivum Petri intra intellectum sit aliquid distinctū ab esse physico Petri, ut extrinsecè cognito. Ex quo infert quòd conformitas esse objectivi cū esse physico, est conformitas cognitionis cum esse physico Petri. Si hoc principium Suardi verum esset, cessaret pugna DD. circa quæstionem istam; tum quia prima sententia in summa diceret quòd secunda; nec pro tertia esset discrimen utile de unione immediata cognitionis cum re objectivè sumpta, ante unionem ejusdem cum re physicè accepta. At principium illud verum non est. Quia esse objectivum Petri intra intellectum, est quid realiter distinctum à cognitione. Probatur ex P. Augustino hic allegato, qui dicit, *Verbum quòd foris sonat, signum est verbi, quòd intus latet.* Ergo verbum Petrus significans esse Petri, est

signum verbi interni, representantis esse Petri. At hoc verbum internum non est cognitio, qua noscimus Petrum; sed est notitia producta per cognitionem juxta eundem S. P. dicentem: *Ab objecto, & potentia paritur notitia*: ergo hoc verbum est realiter distinctum à cognitione. Sed esse objectivum Petri habetur in hoc verbo mentali: ergo hoc esse objectivum Petri est distinctum à cognitione: & etiam est distinctum ratione status ab esse physico Petri in re extra.

8. Hoc notato pro secunda sententia, ei subscribimus sine limitatione data à Gvardi nostro; quoniam vel expositio est nostre sententiæ, vel impertinenter se habet. Quod probo. Veritas formalis consistit in ea adæquatione, quæ facit intellectum verum defectibiliter, si intellectus est defectibiliter, ut est noster. Sed conformitas intellectus cum esse objectivo rei cognitæ, in nullo intellectu est defectibilis; benè verò conformitas intellectus cum objecto in esse rei; ergo in hac secunda consistit formaliter veritas, non in prima; licet secunda non possit stare sine prima, ut dictum est. Probatur minor. Res cognita nequit habere esse objectivum, nisi in notitia producta per cognitionem, ut ex P. Augusti, pro-

probatum est: sed cognitio producens notitiam objecti, semper est conformis tali notitiæ; nec potest aliter evenire: ergo hæc conformitas cum esse objectivo in omni intellectu est indefectibilis.

Explicatur. Intellectus noster ita est verus in cognoscendo, ut possit errare, & esse falsus: ergo ejus veritas formalis primariò consistit in conformitate defectibili, quæ potest deficere intellectui nostro. At conformitas intellectus cū esse objectivo rei, nunquam potest nostro intellectui deficere: ergo in ea non consistit primariò veritas. Restat ergo consistere in conformitate cognitionis cum objecto in re: quæ, quia intellectui Divino est indefectibilis, reddit intellectum Divinum indefectibiliter verum formaliter; & à contrario ostenditur intellectus creatus verus defectibiliter, ex quo ei defectibiliter cōvenit conformitas cognitionis cum objecto, ut in re. Ratio autem veritatis formalis, præscindentis à Deo, & creaturis, consistit in eadem conformitate, præscidenti à defectibilitate, & indefectibilitate.

9. Ad fundamenta primæ sententiæ respondemus: & ad 1. positum num. 3. neg. min. Ad probationem ejus dist. maj. verum est objectum intelle-

ctus, verum formale, neg. maj. verum fundamentale, concedo maj. & concessa min. nego consequentiam. Solutio est D. Thomæ ubi supra ad tertium, & id ostendit ex Philosopho. Ratio esse potest, quia intellectus, ut speculativus, non est factivus sui objecti: sed si veritas formalis esset objectum intellectus, tunc intellectus etiam speculativus, esset factivus sui objecti: ergo objectum intellectus non est verum formale, sed fundamentale. Major patet, & minor constat, nā pone veritatem formalem, etiā juxta primam sententiam, intellectus est factivus tum illius esse objectivi conformis rei in re; tum relationis conformitatis illius esse ad objectum in re: ergo si verum formale esset objectum &c. Hinc tenendum est, quòd objectum intellectus est verum fundamentale, hoc est illud esse cujuscumque cognoscibilis, cui potest intellectus conformari, & esse verus formaliter.

Ad secundum dist. maj. enuntiatio vocalis est signum veritatis, quæ est in intellectu, est signum veritatis formalis, nego maj. veritatis objectivæ, quæ est in intellectu, concedo maj. & concessa min. cum ejus probatione, nego consequentiam. Verba nostra externa sunt signa verbi interni, quod la-

latet, ut docet P. August. Et cum verbum internum non sit cognitio, sed id, quod dicitur per cognitionem; ideo verba nostra non sunt signa cognitionis nostræ. Cognitio nostra dicens verbum, si vera est, dicit verbum verum, & conforme objecto in re: quare tunc datur duplex veritas, una formalis, & hæc est cognitio conformis objecto in re; altera objectiva, & est verbum verum dictum per cognitionem. **Revera non est nisi unica veritas, quia ut docet B. Egidius loco laudato 1. Sent. à veritate intellectus, & cognitionis, denominantur alia vera, sicut à sanitate, quæ est in animali, dicuntur sana urina, pulsus, cibus &c. enuntiatio ergo vocalis signum est verbi mentalis veri, veritate sumpta à cognitione: quare est signum veritatis objectivæ latentis, aut verbi veri latentis, quod verum denominatur à veritate formali cognitionis.**

Ad tertium respondemus sicut ad 1. Nam scientiæ agentes de universalibus, & abstractis, non agunt de veritate formali, sed de fundamentalis; nec agunt de objecto facto ab intellectu; alioquin in omni scientia intellectus esset factivus sui objecti, quod est falsum; & sequeretur, si agerent de esse objectivo rerum ut conformi;

cum tale esse, & conformitas ejus cum objecto in re, fiant ab intellectu, qui media cognitione parit verbum, & notitiam, ut dictum est. Quare ex quo scientiæ non tractent de actibus intellectus, non probatur veritatem formalem in eis non consistere.

10. Ad primam confirmationem nego antecedens. Quia ut intellectus reflexè cognoscat veritatem, & formet judicium, an sua præcedens cognitio fuerit vera, nec ne; unice comparat cognitionem cum objecto juxta illud Philosophi: *Ab eo quod res est, vel non est &c.* Potest quidem judicare etiam modo dicto ab arguente: ceterum tunc certificabitur *illativè, non formaliter*, nam ex quo esse objectivum sit conforme objecto in re, sequitur quod etiam cognitio sit conformis: Nam cognitio semper est conformis objecto secundum esse objectivum: ergo si hoc esse est conforme objecto in re; etiam cognitio sic erit conformis. Ceterum hæc certitudo est illativa, non formalis, & immediata, sicut prima.

Ad secundam confirmationem concesso antecedenti, nego consequentiam. Non enim veritas constituitur per conformitatem intellectus cum objecto in repræsentiendo: hæc enim conformitas est constitutiva verbi
men-

mentalis, & veritatis objective, non autem veritatis formalis. Conformitas ergo constitutiva veritatis formalis est conformitas in attingendo, & cognoscendo verè objectum, ut est in se. Hæc nil dicit nisi actum intellectus percipientem objectum, ut in se est & petit percipi.

11. Ad fundamenta 3. sententiæ posita num. 5. quatenus possunt esse contra nostram, respondemus, & ad primam retorquemus. *authoritatè P. Augustini ibi dicentis veritatem esse quæ ostendit id quod est; sicut falsitas est quæ id putatur esse quod non est:* Sed dum falsò putamus hominem esse equum, ibi est adæquatio cognitionis cum esse objectivo hominis, & solù deficit adæquatio cognitionis cum homine ut est in re; & ob id datur falsitas in cognitione: ergo quia veritas, quæ ostendit id quod est, non consistit in adæquatione cognitionis cum esse objectivo, sed cum esse physico rei. Pater cõsequentiã tũ à paritate augustiniana, tum à ratione. Quia si adæquatio cognitionis cum esse objectivo, foret constitutivum primarium veritatis, sequeretur duo, nempe quod constitutivum primarium falsitatis foret disformitas cognitionis cum esse objectivo, & hoc est falsum, ut patet in exemplo da-

to hominis equi, qui falsò concipitur sine tali disformitate. Secundò sequeretur; quod manente tali conformitate cum esse objectivo, maneret constitutivum primarium veritatis; & sic daretur constitutum, nempe veritas formalis, etiam si alia deficeret: & hoc etiam falsum est, ut patet eodem exemplo.

Ad secundum neg. majorem. Nam si veritas consisteret in adæquatione intellectus cum eo quod primò unitur intellectui; consisteret in adæquatione intellectus cum specie impressa objecti, quæ unitur ei ante omnem cognitionem. Hoc non potest dici: quia illa unio est in actu primo, & per eam intellectus fit potens intelligere, & esse verus formaliter, sed nec actu intelligit; nec actu est verus. Nec adæquatio cognitionis cum esse objectivo rei, facit ad veritatem formalem. Tum quia non est adæquatio defectibilis, sed indefectibilis, ut arguebamus. Tum maximè, quia sine illa potest dari veritas formalis, ut patet in Beatis, quorum visio Beata est vera formaliter, & tamen non adæquatur primario cum esse objectivo Dei, & secundario cum esse physico Dei; sed ipsum esse physicum Dei immediate unitur intellectui per modum speciei impressæ,

& expressæ. Quod si in alijs cognitionibus non cōtingit; idē est, quia esse physicum objecti non potest immediatē uniri in intellectu; quod si posset, revera uniretur. Ergo quōd cognitio lapidis sit vera formaliter, non oritur primariō ex adæquatione cum esse objectivo lapidis: imō hoc esse objectivum est solūm deserviens ad suppleendam unionem immediatam, & adæquationem cum esse physico rei: in qua veritas consistit formaliter.

Ad confirmationem dic, quōd veritati formali non opponitur mendacium, sed falsitas formalis: & id constat ex laudata M.P.N. Augustini auctoritate, qui volens explicare constitutivum veritatis ex contrario magis noto, assumit falsitatem, non mendacium. Rursus veritas formalis datur intra intellectum, mendacium solūm extra, nempe in vocibus. Ob id dicitur mentire esse contra mentem ire; hoc est aliter signis externis manifestare, ac mente concipimus. Ut ergo essent contraria, debebant esse in eodem subjecto; & non sunt, quia veritas est in intellectu, mendacium in lingua. Opponitur tamen mendacium veritati, non formaliter, ut dictum est, sed ratione inclusi: quia mendacium includit falsitatem, & hæc veritati

formali opponitur. Hinc cessat confirmatio, quæ fundatur in contrarietate mendacij, & veritatis. Et si quæras quid sit contrarium mendacij? Respondeo esse exercitium veritatis. Aliud est veritas, aliud veracitas: sicut aliud mendacium est, aliud mendacitas: veracitas est virtus moralis inclinans hominem ad dicendū verum; sicut mendacitas est vitium inclinans ad dicendum falsum, & mendacium. Sicut ergo virtus, & vitium opponuntur contrariē: sic contrariantur exercitia utriusque habitus veritatis, & mendacitatis.

Ad fundamenta pro secunda parte 3. sententiæ posita num. 6. dicimus non esse contra nos, sed pro nobis, quia ostendunt posse dari adæquationem cognitionis cum esse objectivo rei sine veritate formali: ergo suadent istam adæquationem non esse constitutivam veritatis formalis, ut supra arguebamus.

§. II.

Deciditur quid sit conformitas ista enuntiationis cum objecto.

12. **I**nnumeras circa hoc sententias invenies, de quibus summam Noster Mag.

Mag. Villanova ubi supra dubio 2. quare ne in re difficili confundaris, quid alij sentiant prætermittam, quid teneas cōsequenter ad nostra principia, proferam.

Dico primō, quōd hæc conformitas est quid reale à parte rei. Probatum primō: Quia iudicium, & enuntiatio à parte rei, & sine ulla fictione intellectus, est, & dicitur verum: at dicitur verum ab illa conformitate, ut §. præcedenti probatum est: ergo conformitas illa est quid reale. Rursus: Veritas est perfectio simpliciter cujuscumque intellectus: ergo est quid reale in ipso intellectu & cognitione ejus: alioquin non posset intellectum simpliciter perficere. Rursus in habitu scientiæ veritas habitualis est magna perfectio: ergo & in cognitione actuali magna perfectio est veritas actualis, & sic quid reale; sed actualis veritas est actualis conformitas cum objecto: ergo hæc est quid reale à parte rei.

Dico secundō. Hoc reale non est absolutum, sed relativum. Probatum. Quia conformitas illa est ratio conformitatis, convenientiæ, proportionis, aut similitudinis: at hæc omnia non dicunt absolutum, sed relativum: ergo illud reale, in quo consistit veritas, non

est quid absolutum, sed relativum. Rursus si esset quid absolutum, illud esset de prædicamento qualitatis; non enim est aliud prædicamentum ad quod possit pertinere: sed actus secundus, qualis est cognitio, non est susceptivus alicujus qualitatis, ut patet numerando omnes species qualitatis, de quibus libro 6. q. 12. §. 2. actum est: ergo illud reale non est quid absolutum. Tādem. Hæc conformitas est variabilis per solam mutationem termini, & objecti; actus enim quo dico *Petrus currit*, idem manens, est conformis, currente Petro; & difformis, Petro non currente: sed id quod variatur per solam variationem termini, non est absolutum, sed relativum, ut constat ex dictis lib. 6. in quibus de relatione; ergo hoc reale est quid relativum.

13. Dico tertio. Hoc relativum est prædicamentale, fundatum in mensurabili ad mensuram. Ita N. B. Ægidius Quodl. 4. q. 7. §. Si autem. Et in 1. Sent. dist. 19. p. 2. q. 1. art. 1. est que D. Thomæ, & Arist. 12. Metaphysicæ, & cap. de substantia ubi dicit *ab eo quod res est vel non est &c.* quibus insinuat, quōd veritas cognitionis mensuratur per objectum in esse rei; sed omne mensuratum dicit relationem prædicamentalem

ad suam mensuram: ergo esse relativum veritatis formalis est relativum prædicamentale tertij generis. Rursus: Ideò non esset relativum prædicamentale, quia dari potest actus verus sine tali relatione; ut patet in cognitione terminata ad ens rationis, quæ est realiter vera; nec tamen dicit relationem prædicamentalem ad illud, quia non est terminus realiter existens, & talis petitur à relatione prædicamentali. Patet etiam in scientia Dei, quæ verissima est, & tamen ad suum objectum non dicit relationem realem; quia hæc petit extrema distincta, & in Deo identificantur scientia, & objectum. At istæ instantiæ, quibus Suarius, & alij mōventur, non tenent: ergo subsistit assertio nostra.

Probatur hæc minor. Licet scientia in Deo non dicat relationem realem ad scibile, ob defectum distinctionis realis scientiæ ab objecto; attamen scientia ut sic formaliter, juxta Aristotelem, & omnes, dicit relationem tertij generis ad scibile. Rursus: Licet in Christo filiatio non dicat relationem secundi generis ad Matrem; filius ut sic formaliter, est relativus secundi generis. Rursus, licet Deus, ut Dominus creaturæ, non dicat relationem realem ad servos; do-

minus ex terminis formaliter, dicit talem relationem: ergo licet in scientia Dei non sit relatio realis ad objectum; nec in cognitione vera entis rationis, aut objecti non existentis, sit relatio prædicamentalis; nõ sequitur, quòd ex terminis formaliter, actus verus non sit relativus prædicamentallyter.

Et ratio est. Quia id, quod petitur ex terminis, potest per accidens impediri, vel ob defectum distinctionis, ut in scientia Dei; vel ob defectum existentie realis termini, ut in ente rationis; vel ob infinitatem subjecti, ut in dominio Dei. Sed defectus isti per accidens tales, non obstant doctrinæ universali, quæ datur de omnibus, dum loquimur ex terminis: ergo licet in exemplis datis, per accidens non detur relativum prædicamentale, sed vel transcendentale, vel rationis; ex terminis tamē relatio conformitatis cognitionis ad objectum in re, est prædicamentalis per se. Et confirmatur. Nam Suarius, & sententia communis docent, quòd veritas consistit in adæquatione cognitionis cum esse objecti prout in re: & tamen cognitio vera entis rationis, non adæquatur cum objecto prout in re; quia ens rationis nullum habet esse in re, sed est tantum objective in intellectu: ergo licet

licet &c.

14. Hinc colliges plura, quæ pendent ex dictis lib. 6. q. 8. & 9. circa relationem: nam cum conformitas cognitionis cum objecto, sit relatio prædicamentalis ex terminis; quidquid de relatione dictum est, applicari debet huic conformitati, & consequenter veritati. Quæres, an veritas sit intrinseca cognitioni? Respondeo esse intrinsecam. Probatur, quia veritas est conformitas, conformitas est relatio fundata in cognitione: atqui relatio est adæquatè intrinseca fundamento, ut diximus quæst. 8. impugnando eos, qui dicunt relationem æquè dicere fundamentum, & terminum; & eos qui docent dicere fundamentum in recto, connotando terminum; quare diximus esse quidditatem distinctam à fundamento, sed entitative identificatam cum fundamento: ergo sicut relatio est adæquatè intrinseca fundamento; sic veritas est adæquatè intrinseca cognitioni.

Quæres secundò: An hæc veritas intrinseca actui, sit defectibilis? Respondeo, quòd licet actus infallibilis, & actus fallibilis, cōveniāt in eo quòd utrique sit intrinseca adæquatè veritas; disconveniunt in eo, quòd illud intrinsecum; nempe conformitas cum ob-

jecto potest deficere actui fallibili, non autem actui infallibili. Vocantur infallibiles, actus Dei, qui essentialiter excludunt errorem; & per essentialitatem habet Deus illum excludere, quia est prima veritas per essentialitatem. Hinc venit, quòd Deus est prima regula, cui essentialis est infallibilitas. Actus creati aliqui sunt infallibiles, v.g. actus fidei, & omnis cognitio nostra supernaturalis, cui non potest subesse falsum, nec error. Isti habent infallibilitatem, participatam à prima veritate per essentialitatem. In ordine naturali cognitio primorum principiorum est etiam infallibilis ob eandem rationem. Et quæcumque habetur per demonstrationem scientificam, infallibilis est. In his non est defectibilis veritas formalis intrinseca: in reliquis defectibilis est.

15. Sed dices. Per nos veritas est relatio: sed relatio non est defectibilis stante fundamento, & termino: ergo nec veritas stante cognitione, & objecto. Ergo vel nulla cognitio erit infallibilis; vel omnes. Patet hæc consequentia. Quia si stante cognitione, & objecto, stat veritas; hæc solum erit defectibilis per cessationem cognitionis, vel defectum objecti: at hoc est commune etiā actibus infallibilibus: ergo vel om-

omnes, vel nullus erit infallibilis. Respondeo : quòd cognitio non utcumque est fundamentum conformitatis, & relationis ad objectum; sed cognitio, quatenus attractiva objecti, ut est in se, hoc solummodo fundat relationem, & veritatem formalem. Cùm ergo inter cognitiones aliquæ sint, quæ ex sua essentia habent attingere objectum, ut est in se; idè istæ dicuntur infallibiles. E contra, aliæ non habent hoc ex sua essentia, sed vel directione Logicæ, quæ est directiva rationis; vel per alia media fallibilia, tamen attingunt objectum, ut est in se: & istæ cognitiones stare possunt in conspectu objecti, quin resultet relatio; & ob id sunt fallibiles; quia non stant semper, ut sufficienti modo fundent relationem conformitatis.

Vt ergo doctrinam datam de veritate formali in cõmuni, contrahamus ad singularia. Dicimus primò, quòd veritas æterna & increata consistit in cognitione Dei conformi suo objecto. Ceterum cū cognitio Divina, & ejus objectum identificentur; & inter identificata non possit esse relatio realis; idè conformitas illa, relatio est, sed rationis, & non realis. Nec putes, quòd constitutivum Divinæ veritatis est ens rationis. Hoc enim

foret absurdum. Sed dicimus, quòd veritas Divina est actus realissimus Dei per suam essentiam conformis, imò identificatus cum objecto. Si tamen petas, quid addit veritas supra actum intellectus Dei, Respondeo quòd nil reale, sed rationis. Sicut apud N. Mag. Basilium Legionensem, & alios, actus liber Dei addit supra necessarium, relationem rationis ad creaturas. Nec inde dicere volunt libertatem Dei constitui per ens rationis; nam constituitur per entitatè realissimam actus necessarij; sed loquendo de actu libero, ut addente quid actui necessario, dicunt illud esse quid rationis. Similiter hìc dicimus de veritate Divina secundum quòd addit supra cognitionem Dei.

Si tamen difficultatè istam velis evadere, dic cum D. Thoma quòd veritas Divina non est actus ut cõformis objecto, sed est actus non difformis objecto. Videntur idem sonare; sed aliter explicantur: nam in primo importatur relatio, nam conformitas relatio est, & in Deo debet esse relatio rationis. In secundo non importatur relatio; nam *non difformitas*, potius est carentia relationis difformitatis; & hæc carentia benè applicatur extremis identificatis. Hac doctrina utere pro veritate cog-
tio-

tionis, quæ reflectitur supra seipsam, & est cognitio sui ipsius; nam tunc objectum identificatur cum cognitione, & oportet explicare hanc veritatem creatam, sicut explicuimus Divinam.

16. De cognitionibus creatis potest esse dubium, quando vel terminatur ad objectum non existens, vel ad ens rationis? Nam tunc relatio conformitatis nequit esse realis, tum quia petit terminum realem, tum quia prædicamentalis petit terminum existentè. Huic dubio dupliciter respondemus, & est doctrina N. B. Ægidij de qua Villanova ubi supra. Dicimus primò, quòd in tali casu relatio non est prædicamentalis, sed transcendentalis; quia licèt ex terminis cognitio mensuretur ab objecto, & sic dicat relationem prædicamentalem mensurati ad mensuram; defectu existentiae termini, non est prædicamentalis, sed transcendentalis, quæ non petit terminum existentem. Quòd si quæras, quomodo ens rationis possit esse mensura cognitionis realis, maxime cùm mensura sit perfectior mensurato? Respondeo, quòd ens rationis cognoscitur per speciem entis realis; & idè sic est mensura cognitionis realis, non ratione sui; sed ratione entis realis, ad cujus instar, &

per cujus speciè cognoscitur.

Respondeo 2. Quòd prima veritas increata est mensura omnis veritatis creatæ. Quare cognitio creata vera mensuratur per Divinas ideas principaliter, & per res creatas instrumentaliter. Quamobrem relatio conformitatis nostrorum actuum respicit suam mensuram in Deo principaliter, vel participativè. Quo fit, ut licèt non existat terminus creatus, vel sit ens rationis; relatio conformitatis est realis & prædicamentalis: quia habet terminum realem, realiter existentem, nempe Divinam artem, & Divinas ideas, representativas omnium rerum cognoscibilium: & eis ideis conformatur cognitio nostra, dum vera est. Si hanc solutionem teneas, vide lib. 3. Logicæ q. 2. quæ diximus de universalibus Platonis ad mentem M. P. N. Augustini, ubi solidam invenies doctrinam.

§. III.

Explicatur veritas formalis reflexa.

17. **L**ibro I. Logicæ quæst. 2. num. 11. probatū est à nobis dari duas veritates formales, unam directam, alteram reflexā. Vberius

rius id probatum est à nobis eodem lib. quæst. 8. à num. 27. ostendentes quid hæc veritas reflexa sit juxta principia Augustiniana, & de mente D. Thomæ, & B. Ægidij; nec est animus quæ ibi dicta sunt, iterare, sed doctrinam hujus quæstionis contrahere ad veritatem reflexam, ut hinc confirmetur, quæ locis citatis asserta sunt. Actum est hucusque de veritate directa, omnibus nota, in cujus gratiam dicta sunt, quæ continentur à num. 1. usque ad 16. restat agere de veritate reflexa consistente in conformitate intellectus cum secundis intentionibus.

Observa quod cognitio dupliciter potest esse conformis secundis intentionibus. Primo, cognoscendo illas secundum illud esse quod habent. Secundo, dirigendo conceptus nostros juxta naturam & exigentiam secundarum intentionum. Prima conformitas est veritas directa; quia est tendentia directa cognitionis in objectum; & sicut ens reale directe terminat cognitionem, sic ens rationis, & secunda intentio. Et ratio est, quia intellectus sua tendentia directa attingit ens sub ratione veri: ergo directe attingit quidquid continetur sub ratione veri: sed ens rationis, & secunda intentio continetur sub ratione

veri: ergo directe cognoscitur, & directe attingitur. In hoc sensu locuti sumus num. 16. de cognitione terminata ad ens rationis; hoc est de cognitione entis rationis; & hæc est cognitio directa, quæ si conformatur objecto, est vera veritate formali directa. Hoc modo Deus, & Angeli cognitione verissima cognoscunt ens rationis, & secundas intentiones: nec de constitutivo hujus veritatis quid speciale dicendum est, quod æquè non teneat in cognitione entis realis, notatis tamen, quæ num. 16. dicta sunt.

Secunda conformitas non est conformitas cognitionis in cognoscendo secundas intentiones, sed est conformitas in dirigendo conceptus juxta naturam secundarum intentionum. Pono exemplum ex dictis lib. 1. isti actus, *Homo est animal; Animal est homo*, ab omnibus dicuntur veri in sensu identico; ceterum in sensu formali primus est verus, & secundus falsus. Hinc inulimus secundum actum carere aliqua veritate, qua non caret primus; & cum uterque in veritate reali directa, utpote verus uterque in sensu identico; intulimus, aliam esse veritatem, quæ non est in secundo, & est in primo. Hanc diximus esse, quoniam primus conformatur secundis in-

intentionibus speciei, & generis, petentibus quod inferior subjiciatur, & superior prædicetur: secundus autem actus non habet istam conformitatem, & ideo est falsus formaliter, & caret veritate reflexa.

En uterque actus tam primus conformis, quam secundus difformis secundis intentionibus, non est cognoscitivus secundarum intentionum, sed entitatis hominis: quare hæc conformitas, vel difformitas, non est in cognoscendo secundas intentiones; sed est in ordinando conceptus formales, & objectivos conformiter ad naturam, & exigentiam secundarum intentionum. Hanc dicimus veritatem reflexam; & ipsius nunc sermo est post explicationem veritatis directæ, consistentis in cognoscere objectum sicut petit cognosci. Et observa quod sola cognitio humana habet istam conformitatem reflexam; non autem Divina, aut Angelica. Ratio constat ex dictis lib. 1. quæst. 9. ubi probatum est, quod in solis hominibus est Logica formaliter, quia soli homines intelligunt componendo, & dividendo, pro quo datur Logica. Tum quia secundæ intentiones unice resultant ex præcisione objectiva: Deus

autem, & Angeli non intelligunt præcindendo; alioquin forent potentiales sicut nos. Tum quia Deus, & Angeli cognoscunt nostras enuntiationes, sed non enuntiabiliter, sed simplicissima cognitione, & inenuntiabiliter.

Veritas ergo reflexa cognitionis nostræ, consistens in conformitate explicata, dicendum est primò quod est quid reale à parte rei. Hoc probatur ex dictis num. 12. Nam hæc veritas, licet non sit perfectio simpliciter, alioquin daretur in Deo, ubi est omnis perfectio simpliciter; est tamen perfectio realis hominis difformis; sicut falsitas ei opposita, est realis imperfectio hominis: ergo hæc veritas est quid reale. Rursus, apud omnes Logica dirigens actus nostros, ut sint sic veri, & conformes secundis intentionibus, est perfectio apud omnes realis: ergo actualis conformitas quid reale est. Rursus independenter à fictione intellectus, vel ab intellectu actu cogitante, hæc enuntiatio *Homo est animal*, nedum est conformis homini in re existenti, sed etiam regulis Logicæ, & secundis intentionibus: sed ob id prima conformitas est veritas directa realis: ergo ob idem secunda conformitas erit veritas reflexa realis.

Dicimus secundò , hoc reale non est absolutum , sed relativum. Probatur ex dictis num. 12. Nam conformitas ex terminis relativa est. Rursus non est assignabile absolutū , in quo consistat. Tandem si terminus foret variabilis, propositio eadem manens variaret conformitatem per solam variationem termini, quod indicat eam esse quid relativū.

Dicimus tertio: Hoc relativum ex terminis esse prædicamentale tertij generis. Probatur ex dictis num. 13. Nam actus ut sic conformis, mensuratur à natura secundarum intentionum , cui conformatur: sed omne mensuratum dicit relationem prædicamentalem tertij generis ad mensuram: ergo &c. Nec obstat quòd terminus mensurans nō est quid reale , nec existens. Nam sicut non obstat ut in ratione objecti sit mensura , sic non obest, ut terminet relationem prædicamentalem. Vel dic, quòd secunda intentio est realis mensura, non ratione sui , sed ratione entis realis, ad cuius instar cognoscitur: unde ratione ejusdem est terminus realis, & existēs, quod non habet ratione sui. Vel dic, quòd conformitas illa ex terminis est relatio prædicamentalis tertij generis; ceterum defectu termini realis,

& existentis realiter, redditur relatio transcendentalis.

Dicimus quartò , quòd hæc veritas reflexa est indefectibilis actui, & ei intrinseca adæquatè. Quòd sit intrinseca patet , quia est relatio intrinseca fundamento, ut de veritate directa dictum est num. 14. Quòd sit indefectibilis probatur. Nam relatio solùm potest deficere fundamento ex mutatione termini: at conformitas hujus actus *Homo est animal*, cum secundis intentionibus , nequit deficere ex mutatione termini: ergo est indefectibilis, & inseparabilis ab illo actu. Probatur minor. Terminus illius conformitatis est natura secundarum intentionum generis, & differentia, qua petunt inferiorem subjici, & superiorem prædicari: at hoc totum est invariabile, quia essentia utriusque intentionis, & illa exigentia in prædicando, est invariabilis: ergo &c. Vergetur. Ille actus *Homo est animal*, solùm potest carere conformitate reflexa, si mutetur sic, *Animal est homo*. At hic non est idem actus ac primus, sed plenè diversus: ergo frante primo actu, veritas reflexa est ei indefectibilis. Non sic quando actus est de objecto variabili, ut *Petrus currit*, nam cum cursus possit variari, propositio eadem

dem manens est directè vera, & transit in falsam.

Dices: Si actus non est defectibiliter verus, sed indefectibiliter, ut quid Logica ponitur directiva rationis, ne erret in suis actibus? Et urgetur. Si homo esset indefectibiliter sanus, superflueret medicina: si esset indefectibilis in agendo conformiter ad rationem, superflueret virtus prudentia: ergo superfluit Logica, semel quòd homo indefectibilis ponatur in conformando se secundis intentionibus. Respōdeo quòd nos non ponimus hominem sic indefectibilem; sed actus suos rectos dicimus indefectibiliter esse conformes. Potest homo per actus sic conformes attingere objectum, & potest per actus difformes; & ob id homo est defectibilis, indigens directione Logica, ne erret se exercendo per actus defectibiles, & difformes regulis Logicae. Sic licet amor mali & prohibiti sit essentialiter malus; & amor boni & præcepti sit indefectibiliter bonus ex objecto, non superfluit prudentia, quæ est virtus dirigens hominem potentem se exercere per amorem boni, & per amorem mali, ut relicto amore malo, se exerceat per amorem bonum

Si tamen velis ponere a-

ctus nostros in exercitio cadere sub directione Logica, ut sit directiva etiam ipsius actus rationis; dicimus quinto, quòd veritas reflexa est defectibilis cognitioni nostræ in actu signato, sed non in actu exercito. Hæc assertio dat arguentibus, quòd cognitio nostra sit indifferens, ut per directionem Logicae conformetur secundis intentionibus, vel sine directione tali difformetur. Sed dicimus, quòd actus semel positus in exercitio, non est sic indifferens; sed determinatè conformis, vel difformis. At actus antequam ponatur in exercitio (quo sensu dicitur in actu signato) est indifferens ut ponatur sic, vel sic. Ergo comparative ad cognitionem in actu signato veritas reflexa est defectibilis, non autem comparative ad cognitionem jam exercitam. Hoc explicata doctrina communi docetium quòd actus moralis, signatè sumptus, potest esse indifferens, nec bonus, nec malus; ceterum actus omnis in individuo nequit esse indifferens: quia in individuo, jam ponitur exercitè, & ideò sic est determinatè conformis, vel determinatè difformis regulis morum; ex qua conformitate, vel difformitate dicitur bonus, vel malus.

Quibus actibus intellectus, & qualiter conveniat veritas?

§. I.

Deciditur an veritas sit solum in intellectu componente, & dividente.

PLVRA disputantur de veritate formali, quæ breviter explicare conamur, & sub titulo questionis continentur; nam sub prima parte tituli disputatur de simplici apprehensione, sit ne in ea veritas formalis? De propositione verò, an sit ita vera, ut non possit mutari in falsam? An una propositio sit verior altera formaliter? An propositio de futuro contingenti habeat veritatem determinatam? Quæ omnia sigillatim expèdemus.

Quòd veritas sit in intellectu componente, & dividente, nulli dubium est: dubitatur de simplici apprehensione intellectus, an in ea sit veritas? Negat Cajet. 1. par. quæst. 16. art. 2. & ibi aliqui Thomistæ, quod docere videtur S. Thomas, ibi dicens: *Propriè loquendo veritas est in intellectu componente, & dividente, non autem in sensu, neque in intellectu cognoscente quod quid est.* Docetur ab Aristot. hic 1. Perhierm. cap. 1. & 3. ubi ait: *Verum, & falsum in compositione, di-*

visioneque consistere. Et 3. de Anima cap. 6. dicit: *In indivisibili mentis conceptione falsitatem non esse.*

Ratione probatur primò, quia in vocibus solum est veritas, quando complexæ sunt, & aliquid affirmatur; non autem quando vox est incomplexa: ergo idem in conceptibus simplicibus. Patet cõsequentiâ, quia voces sunt signa conceptuum. Secundò, quia idèò simplex apprehensio foret vera, quia conformatur objecto apprehenso: sed hæc ratio non valet: ergo in simplici apprehensione veritas non est. Probatur minor. Species impressa, etiam est cõformis objecto; & tamen in specie illa non est veritas formalis, cum species non sit cognitio, sine qua veritas formalis non stat: ergo idèò. Tertio ubi non est falsitas, nec veritas; quia contraria nata sunt agere circa idem: sed in simplici apprehensione nõ potest esse falsitas: ergo nec veritas. Minor conceditur ab omnibus. Et probatur ex P.

Au:

Augustino. Nam ubi nequit esse error, nec falsitas: sed in solo iudicio stat error; ait enim P.N. lib. 3. contra Academicos cap. 11. *Is errat, qui quod sibi videtur temerè probat: ergo in simplici apprehensione nequit esse falsitas.*

Confirmatur. In sensibus nequit esse error, falsitas, aut veritas: ergo nec in simplici apprehensione. Antecedens docetur à P.N. Augustino lib. 12. de Gen. ad lit. cap. 25. lib. 83. qq. quæst. 9. & alibi: cõsequentiâ probatur. Idèò juxta S. P.N. sensus nequit errare, quia *In sensibus non est constitutum iudicium veritatis;* verba sunt S. Doct. lib. 8. de Civit. Dei cap. 7. At etiam in simplici apprehensione non est constitutum iudicium veritatis, ut patet ex Summulis: ergo sicut in sensibus non est error, falsitas, &c. sic nec in apprehensione.

2. Contrariam sententiâ docet Ferrara 1. contra Gent. cap. 59. & 60. Citantur pro illa Capreolus, Soncinas, Fonseca; & N.B. Ægidius quodlib. 4. quæst. 7. Probatur ex D. Tboma 3. de Anima l. 11. dicente: *Quòd licet intelligibile incomplexum non sit neque verum, neque falsum, intellectus tamè intelligendo ipsum, verus est in quantum adequatur rei intellectæ.* Id quædetur ex Arist. 3. de Ani-

ma cap. 6. & 2. de Anima cap. 6. dixerat sensum in cognitione proprii sensibilis verum esse: at non est in sensibus cõpositio, sed simplex actus: ergo potiori iure simplex actus apprehensionis intellectus erit verus formaliter.

Ratio à priori data est in verbis D. Thomæ. Veritas formalis consistit in cõformitate cognitionis cum objecto, ut patet ex dictis: sed intellectus per suam apprehensionem conformatur cum objecto: ergo in apprehensione est verus formaliter. Secundò nam in Deo, & Angelis est perfectissima veritas: & tamè in eis non est compositio, & divisio, sed simplicium apprehensio; quia non intelligunt componendo, & dividendo, ut sæpè dictum est: ergo in simplici apprehensione nostra est formalis veritas. Vide multa pro hujus controversiæ decisione in Suario disp. 8. Metaph. sect. 3.

3. Nostra sententia cū N.B. Ægidio quodlib. 4. quæst. 7. §. *Viso quòd veritas,* tenet quòd in apprehensione non est propriè veritas opposita falsitati; est tamen veritas opposita errori. Ita expressè ibidem Doct. noster. Et quidem prima pars asserti constat ex P.N. Augustino, continuò tribuenti falsitatem iudicio, nulli

libi

libi eam tribuenti apprehensione. Sic lib. 9. de Trin. cap. 11. diffiniens errorem, prout comitatur falsitatem, dicit: *Error est pro alio alterius approbatio.* Non dixit *apprehensio*, sed *approbatio*, quæ fit per judiciû. Et in Enchiridio cap. 17. *Non est tamen consequens, ut continuò erret, quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit, pro vero quippè approbat falsum, quod est erroris proprium.* Idè constat ex allegatis pro prima sententia num. 1. eis enim suadet, quòd in solo iudicio potest esse falsitas.

Confirmatur hæc pars asserti ex illo communi dicto *Abstrahentium non est mendacium, nec falsitas*; quia scilicet abstractio fit per simplicem apprehensionem, ubi nil affirmatur, vel negatur, & nullum profertur iudicium: ergo loquendo de veritate opposita falsitati, hæc non datur in prima operatione intellectus.

4. Quoad secundam partem probatur assertio, quia prima operatio intellectus est capax erroris: ergo & veritatis oppositæ errori. Antecedens patet ex dictis lib. 1. Logicæ quæst. 2. & 4. ubi ex D. Thoma, & B. Ægidio probatum est, quòd Logica est directiva rationis, ne erret: dirigit autem Logica intellectum in prima operatione, qua ap-

prehendit simplicia: ergo quia in ea operatione potest esse error. Id probat Doct. N. loco laudato in diffinitione, quæ spectat ad primam operationem, ut diximus in Summulis 1. par. cap. 12. & est doctrina B. Doct. quodl. 4. quæst. 16. & 1. Sentent. dist. 22. q. 1. art. 1. Nam sicut essentia rei est indivisibilis, ita diffinitio est cognitio indivisibilis: & cum omnia simplicia pertineant ad primam operationem intellectus, ad eam pertinet diffinitio. Atqui in diffinitione potest esse error, vel non ordinando benè partes ejus logicas, nempe genus, & differentiam; vel non applicando benè diffinitionem diffinito: ergo in simplici apprehensione potest esse error, & sic veritas opposita errori.

5. Dices: Error, & falsitas idem sunt: ergo eadè veritas utrique opponitur: quare si apprehensio est vera veritate opposita errori, erit vera veritate opposita falsitati; & sic non tenet doctrina N. B. Ægidij. Secundò falsitas opposita veritati formali, consistit in difformitate cognitionis cum objecto: sed cognitio, quæ potest esse error, est difformis objecto: ergo falsa. Ergo si apprehensio est capax veritatis, oppositæ errori; erit veritatis op-

po

positæ falsitati.

Respondeo neg. antecedens. Falsitas enim addit supra errorem iudicium de re cognita per errorem. Est doctrina Aristor. 6. Metaphysicæ cap. 2. dicentis veritatem esse in mente sententiam, hoc est iudicium; loquitur de veritate opposita falsitati. Et constat ex allegatis suprâ num. 1. ratione suadet. Demus quòd astra sint imparia. Licet ergo ego apprehendam hanc propositionem *Astra sunt paria*; si dubito, vel suspendo iudicium, nec falsus sum, nec verus: ergo signum est in illa apprehensione non esse falsitatem, nec veritatem; alioquin me denominaret verum, vel falsum. Et tamen in ea apprehensione potest esse error, immò est, quia si accedat iudicium approbans talem apprehensionem, erit falsum: ergo quia error non est idem quòd falsitas; sed minus, quia falsitas addit errori iudicium. Hinc solvitur prima replica.

Ad secundam dic, quòd veritas formalis ut sic, consistit in conformitate cognitionis cum objecto: ceterum hæc conformitas adjuncto iudicio, est veritas propriè, & ei opponitur falsitas: ante iudicium, ut in simplici apprehensione, est veritas lata, opposita errori, non autem

falsitati. Vide Suarium ubi suprâ sect. 4. docentem in solo iudicio stare veritatem, vel in apprehensione, cui iudiciû adjungitur.

6. Ad fundamenta primæ Sent. posita num. 1. dic eas autoritates esse pro nobis, nam eis dicitur quòd in apprehensione *Non est propriè veritas*: at veritas propria est quæ opponitur falsitati, ut dictum est: ergo probatur contra sententia de eo quòd apprehensio non est vera veritate opposita falsitati. Ad primam rationem dic, quòd diffinitio est vox complexa, & pertinet ad apprehensionem: ergo si per te potest in complexis esse veritas, erit in tali apprehensione. Intellige juxta secundam partem nostri asserti de veritate opposita errori. Ad 2. dic speciem impressam esse veram in representando, non in cognoscendo, quia species non est cognitio. Apprehensio est vera in cognoscendo, & est cognitio conformis; quare hæc, & non illa est veritas formalis. Ad 3. dic, probare quòd in apprehensione, cui non potest subesse falsitas, non est veritas opposita falsitati: & hoc concedimus cum N. B. Ægidio. Idem dic de confirmatione, cujus doctrina confirmat primam partem nostri asserti

ferti

ferti, nec improbat secundam.

Fundamenta secunda sententiae probant secundam partem nostri asserti. Hoc observa circa auctoritatem Arist. ibi allegatam, quod sensus dicitur verus, vel falsus, occasionaliter, quatenus praebet occasionem verè, vel falsò judicandi. Est doctrina P. N. August. locis citatis. In se tamen sensus non est formaliter verus, vel falsus, quia *In sensibus non est constitutum iudicium veritatis*, ut dicit S. P. N. Pro Deo, & Angelis observa quod eorum apprehensio simplex etiam est iudicativa, quia ipsi judicant incomplexè quod nos complexè; & ob id eorù actus simplex est verissimus. Sic docetur à D. Thoma 1. p. quaest. 16. art. 5. ad primum, & 1. contra Gent. cap. 19. est que doctrina N. B. Aegidij. Inde nil contra nos, cum nostra apprehensio non sit iudicativa.

7. Argues contra assertum nostrum de apprehensione incapaci falsitatis. Dum Deum corporeum apprehendo, ipsum cognosco aliter ac est: sed cognitio rei aliter ac est, est falsa formaliter: ergo apprehensio est capax falsitatis; & consequenter veritatis oppositae falsitati. Respōdeo negando suppositum ma-

goris. Supponis quod tunc cognoscis Deum, sed deciperis, quia non Deum verum, sed Deum impossibilem apprehendis. Erras quidem, quia non cognoscis quem volebas cognoscere; deciperis putans te apprehendere Deum, qui est; sed nec cognoscis, nec apprehendis quem putas: unde non cognoscis Deum aliter ac est, quia revera non cognoscis Deum. Cognoscis Deum impossibilem, qualis est ille corporeus; at illi conformis est apprehensio, & sic vera, licet non veri Dei. Dicitur illa apprehensio falsa à falsitate iudicij adjuncti, cui apprehensio praebet occasionem, ut dictum est.

§. II.

Deciditur quo sensu propositio potest transire de vera in falsam.

6. **D**VBITATUR de propositionibus in materia contingenti, qualis est ista *Petrus currit*: hæc, quæ currente Petro est vera, an eo non currente mutetur in falsam, an verò semper maneat vera? Affirmat Aristot. cap. de substantia in Catego, sequuntur Aristot. D. Thomas, B. Aegidius, & alij quos citat N. Villanova hæc, docentes, quod ma-

QVÆST. II.

manente propositione immutata, per solam variationem objecti, transit de vera in falsam. Probatur. Quia ab eo, quod res est, vel non est, propositio dicitur vera vel falsa: sed objectum hujus *Petrus currit*, est cursus Petri, qui jam est, jam non est: ergo propositio illa jam est vera, jam non est. Confirmatur. Veritas non est essentia propositionis, sed relatio addita cognitioni, vi cuius conformatur objecto: at relatio potest deficere per solam mutationem termini, manente fundamento: ergo manente propositione illa, potest ei deficere veritas, & mutari in falsam. Explicatur. Album quod est simile parieti, potest transire in esse dissimile sine mutatione albi, per hoc quod paries denigretur: ergo propositio, quæ erat vera, & conformis objecto, potest reddi falsa, & difformis per solam mutationem objecti.

9. Contrariam sententiam tenent Hurtado, Averfa, & alij. Probatur primò, quia veritas est essentialis propositioni: ergo nequit mutari veritas, quin mutetur propositio; unde eadem manens, nequit transire in falsam. Probatur antecedens. Ordo ad objectum est essentialis propositioni: at in eo ordine stat veritas: ergo, secundò, propo-

sitio ut vera affirmat cursum Petri qui est; propositio falsa affirmat cursum Petri qui non est: sed eadem propositio nequit affirmare cursum Petri, qui est, & qui non est: ergo dum mutatur in falsam, mutatur propositio, & non est eadem, sed diversa.

Confirmatur. Si transacto objecto, maneret propositio, & redderetur falsa; sequeretur quod hæc propositio Christi D. *Vnus vestrum me traditurus est*. Nunc non esset vera; & consequenter nec de fide: at illa propositio manet, & est de fide: ergo manet vera, nec mutatur in falsam ob variationem objecti. Idem dic de verbis consecrationis Calicis, ubi dicitur de sanguine *Qui pro vobis effundetur*.

N. Villanova conciliat utramque sententiam, distinguens cum N. B. Aegidio in enumerationibus duplicem significationem, unam naturalem datam à natura, & hæc est invariabilis, ut vult secunda sententia: alteram accidentalem ex usu proferentis, & loquentis; & hæc significat tempus; quod cum sit variabile, reddit variabilem propositionem, ut vult sententia prima. Clarius resolvit dubium alia via in fine quaestionis, quare eandem amplectentes.

10. Dicimus quòd significatio propositionis potest dupliciter considerari, vel quoad primum sui esse, nempe quando profertur; vel quoad durationem sequentem ad primum sui esse. Significatio primo modo accepta, est essentialis propositioni, nec potest mutari; quare si dum primò profertur, enuntiatio est vera, semper est vera tali veritate. Ceterùm duratione sequenti potest mutari veritas propositionis, quia duratio illius veritatis accidentalis est, & potest deficere.

Hoc assertum quoad primam partem probatur ex illo principio *Impossibile est rem simul esse, & non esse*: ergo propositio, quæ dum profertur est vera, dum profertur nequit esse falsa. Alioquin simul esset, & non esset vera. Quoad secundam partem probatur. Nam duratio illius primæ veritatis non est essentia propositionis, sed accidens ejus; sicut omni enti creato convenit duratio accidentaliter, & pertinet ad prædicamentum *Quando*. Sed accidens potest adesse, & abesse sine mutatione destructiva subjecti: ergo potest manere propositio eadem, etsi ei deficiat veritas quoad durationem sequentem ad primum sui esse. Vide plura de hac materia in

Summulis 2. par. q. 5. & 6.

11. Ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 8. respondemus probare enuntiationem esse variabilem quoad durationem secutam ad primum esse veritatis ejus. Id constat exemplo dato. Dum dicitur: *Petrus currit* in eo tempore quo profertur, revera currit: at si eo tempore currit, ita est cursus, ut eo tempore non sit carentia cursus, sed pro sequenti duratione potest deficere: ergo eo tempore sic est vera propositio, ut non possit esse falsa, nisi duratione sequenti. Nec obstat quòd tunc veritas illa est relatio, quæ potest deficere variato termino. Non obstat, quia pro eo tempore quo est terminus, nequit non esse; quia impossibile est rem simul esse, & non esse: ergo licet pro duratione sequenti possit deficere terminus, & relatio veritatis, non tamen tempore sui primi esse. Quare fundamenta primæ sententiæ suadent secundam partem nostri asserti, nec improbant primam.

Ad fundam. secundæ sententiæ posita num. 9. dicimus solum probare primam partem nostri asserti. Ad primū dicimus, quòd veritas non est essentialis propositioni, sumpto ly *essentiali* pro constituti-

vo,

vo, ut in Summulis dictum est. Si tamen sumatur essentialiale pro eo quod est indefectibile, & invariabile, dic quòd veritas quoad primum esse enuntiationis est sic essentialis, non quoad durationem sequentem. Ad probationem antecedentis dic, quòd veritas non est ordo utcumque ad objectum, sed est ordo conformitatis. Hic non est essentialis, bene verò primus, quia quæcumque propositio necessario dicit ordinem ad objectum; ceterùm cum hic ordo possit esse conformitatis, vel difformitatis; quòd determinatè sit conformitatis, accidentale est propositioni, ex se indifferenti ad veritatē, & falsitatem. Quia tamen ex suppositione quòd conformetur, necessario conformatur; quoniam *Quidquid est, eo ipso quod est, necesse est esse*; idè hoc sensu ordo conformitatis, & veritas sunt necessario convenientes propositioni veræ, sed intellige quoad primum esse, non quoad durationem sequentem. Ad secundā probationem dic, quòd eadem propositio nequit in eodem tempore affirmare cursum Petri, qui est, & non est: bene pro diversis, quia in diversis cursus est, & non est.

Ad confirmationem dic, eam probare distinctionem

qua procedimus in nostro asserto. Hæc propositio *Vnus vestrum me traditurus est*: habet duplicem significationem, unam quoad primum sui esse, quando à Christo Domino prolata est; & hæc sicut tunc fuit vera, ita nunc; quia nunc est verum, & de fide, quòd eo tempore quo Christus talia dixit, traditio Judæ erat infallibiliter futura. En quòmodo veritas propositionis quoad primum esse est invariabilis. Altera significatio est de duratione illius veritatis, qua affirmabatur traditio futura: & hæc cessavit, immò deficit, & mutata est; quia falsò nunc significatur, ut futura traditio, quæ jam est præterita. Per hoc patet ad aliud. Nam nunc dicitur de Christi sanguine quòd fundetur pro nobis, cum tamen fusus sit, nec jam Christus sit moriturus. At verè dicitur *fundetur* referendo significatū ad tempus quo primò propositio illa prolata est à Christo Domino.

§. III.

Deciditur quo sensu una propositio sit verior altera.

12. **S**VPPONIMVS unam veritatem posse esse
Aaaaa2 se

se altera magis necessariam. Quia magis necessarium est Deum esse, quàm Petrum esse; & Deum esse trinum, quàm Petrum currere. Id constat, quia Deum non esse est impossibile, cum tamen possibile sit Petrum non currere, & non esse. Generaliter cum ens Divinum sit necessarium per essentiam; ens creatum vel non sit necessarium, vel sit tale per participationem; sic dicendum de propositionibus de objecto Divino, relate ad propositiones de objecto creato. Vide dicta in Sum. 2. p. q. 5.

Supponimus secundò, unam veritatem esse perfectiorem altera. Id constat, quia veritas est conformitas cognitionis cum objecto: ergo quo perfectior sit cognitio, & objectum, eo perfectior erit conformitas, & magis penetrativa objecti. Hinc fit quòd veritas increata, consistens in Divina cognitione, nedum est perfectior omnibus veritatibus creatis, sed est earum mensura; & ex participatione Divinæ veritatis dicuntur vera omnia quæ in creatis vera sunt, ut docetur à N. B. Ægidio 1. Sentent. dist. 19. art. 2. & 3. Et quantum ad objectum patet, quòd hæc propositio *Deus existit*, est perfectior ista *Petrus existit*, quia prima ita est

vera; ut nec possibiliter falsificetur: secunda autem est vera, sed potest esse falsa.

Dubitatur tamen utrum una propositio possit esse verior altera? Affirmant aliqui, putantes quòd veritas non consistit in indivisibili. Probant primò in propositionibus, quæ habent plura objecta. Supponamus quòd viginti homines occisi sunt. Et argue sic. Circa hoc objectum una propositio potest esse falsior altera: ergo & verior una altera. Patet consequentia, quia si falsitas suscipit magis, & minus, etiam veritas. Probatur antecedens. Qui asserit centum homines occisos, falsior est, quàm qui asserit triginta; ille enim dicit majus mendacium; quàm hic, & plus distat à veritate viginti occisorum, quàm iste: ergo profert propositionem falsiorem.

Secundò, qui est Genævius distat à Roma, quàm qui est Mattiri: ergo qui asserit centum occisos plus distat à veritate, quàm qui asserit triginta. At falsitas est recessus, & distantia ab objecto in esse rei: ergo ille primus est falsior, & majorem profert falsitatem. Tertiò album ut deo non est ita dissimile nigro, sicut album, ut quatuor: ergo qui asserit tri-

ginti

ginta occisos non est ita difformis objecto, sicut qui asserit centum. Ergo non est tam falsa ejus propositio, quàm enuntiatio alterius.

14. Contraria sententia est communis docēs, quòd veritas consistit in indivisibili, quare vel propositio plene conformatur objecto, enūtians illud ut est in se, & sic tunc vera: vel discordat, & sic est falsa. Explicatur. Quia æqualitas non consistit in adæquatione utriusque unius quæquiritatis cum alia, sed in totali adæquatione; idè non datur una æqualitas major altera. Item, quia mors consistit in totali separatione animæ à corpore, non datur una mors major altera: ergo quia veritas non consistit in qualicunque conformitate, sed in totali, non datur una veritas formaliter major altera.

Confirmatur. Ponamus quòd Romæ duo mortui sūt; & quòd Genævæ mortui sunt decem. Arguo sic. Hæc propositio asserens, *Romæ duo mortui sunt*, non est verior ista *Genævæ mortui sunt decem*. Ergo in tali casu hæc *Romæ mortui sunt mille*, non est falsior ista, *Romæ mortui sunt viginti*. Probatur consequentia. Quia idè primum est verum, quia utraque conformatur cum suo objecto: at in secunda utraque caret cõ-

formitate cum objecto: ergo &c. Hæc sententia communis suaderi potest ex P. N. Augusti lib. 2. Soliloq. cap. 4. & lib. 83. qq. quæst. 32. & de Vera Relig. cap. 36. & alijs locis ubi agit de veritate, & falsitate, ut de conformitate indivisibili cum objecto.

15. Ad fundamenta opposita dicimus, quòd una propositio potest esse materialiter falsior altera; quatenus difformitas ad plura objecta extenditur; non autem formaliter. Ob idque aliqui in titulo quæstionis addunt *ly formaliter*, ut certius teneant quòd una propositio nequit esse verior, aut falsior altera. Qui enim verè dicit centum currere, majorem veritatem dicit, quàm qui verè affirmat decem currere: at hæc majoritas est materialis, sumpta ab extensione majori objecti verè affirmati. Non autem est majoritas formalis veritatis; quia hæc sumitur à totali conformitate cum objecto: & una totalis conformitas non est major altera totali conformitate: ergo nec una veritas est major altera formaliter.

In forma ad i. neg. antecedens sub distinctione data, quòd formaliter una propositio sit falsior altera. Ad probationem antecedentis dic, illum

§. IV.

Deciditur an propositio de futuro contingenti habeat determinatam veritatem.

16. **D**E hac quæst. tractat Aristot. lib. i. Perhiern. cap. 8. ubi exponunt ejus sententiam Beati Doct. Thomas, & Ægidius. Omittitur discussio ejus à ferè omnibus RR. quoniam transiit ad Theologos decisio, nec potest plenè intra limites Dialecticæ disputari. Futura alia sunt absoluta, & sunt, quæ habent causam determinatam; v.g. mors nostra est absolutè futura, quoniam causæ omnes determinatæ sunt ad mortem nostram suo tempore causandam. Quare non est dubium quòd ex his contradictorijs *Petrus morietur, Petrus non morietur*, prima est determinatè vera, quia mors Petri, quæ enuntiatur futura, determinatè futura est. Idem dic de pluvijs, tempestatibus, & alijs futuris; quæ determinata sunt, & cognoscuntur ab Astrologis determinatè: quia agnoscunt causas ad illa determinatas; & in eis habent talia futura determinationem & propositiones determinatam veritatem.

Fu

QUÆST. II.

Futura contingentia sunt, quorum causæ non habent de terminationem ullam, v.g. *Antichristus sedebit*; sessio Antichristi nō habet causam determinatam, quare potest esse, vel nō esse. Quo fit ut ex his *Sedebit, non sedebit*, neutra appareat determinatè vera. Nec vera potest esse, nisi sessio, vel non sessio sint quid determinatè futurum: nam hæc, *sedebit* est vera, si sessio futura sit; non est vera, si futura non sit: ergo nisi adsit determinatio determinans sessionem futuram, nequit esse propositio determinatè vera.

Hinc plures disputant addendo ad titulum quæstionis hoc verbum *ante decretum*, sed nos id omisimus ne Theologicè disputemus de constitutivo futuri in esse futuri: An nempe aliquid sit determinatè futurum ante decretum de illius futuritione? Quod si sit: propositio erit vera ante decretum; secus si non sit. Quo vides jam quæstionem esse theologiam de constitutivo futuri. Quidquid sit.

17. Prima sententia negat propositiones de futuro contingenti esse determinatè veras, nec futura contingentia; ut talia, habere determinatam veritatem. Ita Aristot. loco citato, ubi D. Thomas, & N. B. Ægidius

docent Philosophi sententiam. Probatum ab Aristot. Quia hæc propositio *Petrus sedebit*, si nunc est vera, heri, & nudius tertius fuit vera: ergo ab æterno fuit determinatè vera: ergo non potest esse falsa; ergo non potest oppositum fieri, alioquin redderetur falsa: ergo tollitur libertas Petri in sedendo. Patet hæc consequentia, quia libertas in sedendo petit potentiam ad non sedendum: sed talem potentiam non habet Petrus, ut probatum est supra: ergo nō est in eo libertas ad sedendū. Hoc fundamentum multis formis arguendi potest urgeri, sed ratione materiæ semper idem est; nempe, quòd si ponitur propositio de futuro determinatè vera ab æterno, tollitur libertas, & contingentia à rebus.

Secundò probatur eadē sententia ex doctrina N. B. Ægidij Epist. ad Rom. cap. 3. lect. 2. dubio 2. Futura contingentia non habent determinationem in se ipsis, nec in suis causis: ergo propositiones de futuris contingentibus non habent determinatam veritatem. Patet consequentia, quia veritas determinata est determinata conformitas cū esse objecti: ergo si objectum non habet ullo modo esse determinatum &c. Antecedens

pro

probat. Futura in se ipsis nullum habent esse; alioquin non futura, sed existentia essent: ergo in se ipsis non habent determinatam veritatē. Iam verò quòd nec in suis causis, probatur ex contingētia: nam idè dicuntur contingētia, quia causæ eorum non sunt determinatæ ad illa: ergo nec in causis habent veritatem determinatam.

18. Secunda sententia docet oppositum. Ita ex nostris Greg. Ariminensis in 1: dis. 38. quæst. 1. Mendoza in Quodlib. quæst. 7. num. 4. Gvardi in Logica lib. 1. Perhierm. quæst. 1. art. 1. citans N. B. Egidiū in 1. Sent. dis. 38. quæst. 2. art. ultimo. Ex DD. Societatis Hurtado disp. 9. de Anima sect. 6. subsect. 2. qui acriter invehitur contra Aristotelem, probans errasse in Theologia, in Physica, & Dialectica, ab eoque Ciceronem ebibisse suum, & aliorum Stoicorum errorem, negantem Deo præscientiam futurorum, ne laderetur libertas nostra ex tali infallibili præscientia. Hæc sententia communis est inter DD. Societatis.

Probatur hæc à N. Arimin. primò, quia de fide est Deum cognoscere talia futura determinatè: sed si non haberent veritatem determina-

tam, non possent à Deo determinatè cognosci: ergo tam futura contingētia, quam propositiones de his futuris, habent determinatam veritatem.

Secundò ante omne decretum una ex contradictorijs debet esse determinatè vera: ergo ex lege contradictoriarum, quæ etiam tenet in contingētibz, datur determinata veritas in propositionibus de futuro contingētia. Probatur antecedens. Inter contradictoria nullum datur medium, sicut nec inter esse, & non esse; nam primū principium est, *Quodlibet est, vel non est.* Ergo &c.

Tertiò licet Antichristus sit liber ad peccandum, vel nō peccandum, liberè peccabit: ergo ante illud instans peccati erat verum, *Liberè peccabit.* Ergo ab æterno erat verum, *Antichristus pro tali instanti peccabit,* quæ est propositio de futuro contingētia.

19. Nostra sententia sit. Futura contingētia, & propositiones de illis, respectu Dei habent determinatam veritatem: ceterum respectu intellectus creati non habent veritatem determinatam. Prima pars est de fide; quare si Aristot. tenuit oppositum, ut contendit Hurtado, rejiciendus est, uti rejicitur Cicero ap.

à P. N. August. lib. 5. de Civitate Dei cap. 5. ubi de Cicerone negante Deum præscire futura, ne præscientia Dei tolleretur libertatem nostram, dicit, *Atque ita, dum vult facere liberos, facit sacrilegos.* Et ibi cap. 9. dicit: *Confiteri Deum, & negare præscientiam futurorum, apertissima insania est.* Quare lib. 10. de Civitate Dei dicit: *Deum non aliter nosse faciēda quam facta.* Sed quæ jam facta sunt, etsi contingenter facta, habent determinatam veritatem juxta Aristotelem, quia *Quidquid est, eo ipso quod est, necesse est esse:* ergo quæ faciēda sunt contingenter, habent respectu Dei determinatam veritatem.

Hic duo desiderabis. Primò à quo habent futura illa determinatam veritatem respectu Dei? Secundò, quomodo si scientia Dei est infallibilis, & novit me disputaturū, ego maneo liber in disputando, cum ego non possim falsificare scientiam Dei, quam falsam redderem, si tempore à Deo præviso non disputarem? Vtrumque est Theologicum, & de primo disputatur sub hoc titulo: *Quodnam sit constitutum futuri?* De secundo sub hoc, *an libertas nostrorum actuum cohereat cum præscientia Dei?* Dicam tibi sententias Catholicas, nec eas discutiam; ne Logicæ me-

tas transilliam.

20. Circa primum sententia Thomistarum docet, quòd futurum contingens nō habet in se veritatem determinatam; nec in suis causis proximis, sit exemplum meæ deambulatio futura. Hæc nec in se habet esse, quia futura est, & non existens; nec etiā in causa proxima creata, qualis sum ego, qui licet possim deambulare, possum etiam oppositum, cum liber sim adfutrumque: quare in causa ista indifferenti, nequit deambulatio determinatè esse futura. Restat ascendere ad causam primam, quæ suo decreto æterno decernit unum ex extremis, nempe me tali tempore deambulaturum. Et cum hoc decretum sit efficax, & infrustrabile, vi illius redditur determinatè futura deambulatio. Per hoc decretum juxta Thomistas constituitur futurum determinatè futurum. Et quia ista decreta sunt Deo nota, & nobis occulta: Deus cognoscit in tali decreto determinatam veritatem futuri contingētis, & nos latet veritas illa determinata.

PP. Societatis, qui putant talia decreta tollere libertatem nostram, docent futura constitui per determinationē liberam causæ creatæ, quam Deus prævidet per scientiam

mediam. Hæc scientia ab ip-
sis DD. propugnata, dicitur
Media, quoniam mediat inter
scientiam possibilem, & sci-
entiam visionis, quæ est absolu-
tè futurorum. Et hujus ratio
sumitur ex objecto: quia fu-
tura contingentia sunt mediū
inter possiblea, & futura ab-
soluta: quare scientia de illis
dicenda est *Media*. Iuxta hanc
sententiam Deus determina-
tè cognoscit veritatem meæ
deambulationis, quia ab æ-
terno vidit quid ego essem
facturus, positus in illis circū-
stantijs. Et cum ego sic posi-
tus, & potens ad utrumque,
eligam deambulationem, hoc
vidit Deus ab æterno per sci-
entiam mediam: quare ab æ-
terno fuit determinatè vera
Deo hæc, *Iste deambulabit.*

N. Villanova in Præsci-
entia impugnat sententiam utrā
que, dicens Deum non cogno-
scere determinatè talia futu-
ra per scientiam mediam, nec
per scientiam fundatam in de-
creto, quæ est scientia visio-
nis; sed per scientiam possi-
bilibium, quæ est scientia sim-
plicis intelligentiæ. Hoc sua-
det à posteriori sic. Dum ego
sedeo hic, & nunc sub his cir-
cūstantijs, hæc propositio
sedet habet determinatam ve-
ritatem: sed quidquid datur
de facto, modo quo datur, fuit
possibile: ergo sessio mea in

illis circūstantijs, & modo
quo nunc est cum determina-
ta veritate, fuit possibile. Sed
omne possibile cognoscitur
per scientiam simplicis intel-
ligentiæ: ergo per illam co-
gnovit Deus determinatè hæc
veritatem *Petrus sedet*, & sic
ante scientiam mediam, &
ante omne decretum, & sci-
entiam visionis. En quomodo in
hac sententia futura contin-
gentia habent determinatā
veritatem respectu Dei.

21. Circa secundum,
nempe quomodo maneat li-
bertas nostra cum infallibili
scientia Dei, ostendit multis
P. N. August. lib. 3. de Lib.
arbit. cap. 3. & 5. de Civ. Dei
cap. 10. Id explicant etiam
DD. Catholici juxta varias
sententias suas. Thomistæ di-
cunt, quod Deus ab æterno
non solum videt, & decernit
substantiam actus, sed mo-
dum ejus; quare videt, & de-
cernit ab æterno nedum meā
sersionem, sed libertatem
meæ sersionis. Videt ergo
Deus quod ego tali tempore
liberè sedebo: sed quoniam
scientia Dei est infallibilis, se-
quitur infallibiliter quod ego
sedebo: ergo ex eadem infal-
libilitate sequitur quod libe-
rè sedebo. Ergo tantum abest
quod præscientia Dei tollat
libertatem nostram, quin po-
tius est causa infallibilis liber-
tatis

tatis nostræ, & eam infert in-
fallibiliter. Hæc doctrina su-
mitur ex P. N. August. lib. 3.
de Lib. arbit. cap. 2.

DD. Societatis dicunt,
quod scientia Dei non ante-
cedit actus nostros, & deter-
minationem nostræ liberta-
tis, sed sequitur, quia ab æ-
terno videt Deus quid nostra
voluntas electura sit, & factu-
ra. Quare dum videt me se-
dentem determinatè, videt,
quia ego in statu conditiona-
to liberè elegi sersionē. Hinc
fit quod cum scientia Dei nō
antecedat meam electionem,
sed sit posterior; non tollit
à me libertatem; quia neces-
sitas sequuta ex mea electio-
ne, non obstat meæ libertati.
Patet hoc, nam quidquid est,
eo ipso quod est, necesse est
esse: ergo semel quod sedeā,
non possum simul stare. At
hæc impotentia est mihi li-
bera, quia nascitur ex quo e-
go liberè me determinativi;
unde dicitur necessitas con-
sequens meam libertatem, &
hæc non obest libertati. Cum
ergo scientia Dei sit posterior
ad meam electionem liberam,
necessitas orta ex scientia
Dei, est necessitas consequens,
quare non tollit libertatem.

Noster Villanova dicit
quod scientia simplicis intel-
ligentiæ, qua Deus in statu pos-
sibilitatis videt determinatè

meam sersionem, non obstat
libertati, sed illam infert. Quia
eo modo Deus videt possibi-
lem meam sersionem, quo
nunc exercetur, eò quod quid
quid est, eo modo, quo est,
fuit possibile: sed nunc mea
sersio habet veritatem deter-
minatam; & fit à me liberè:
ergo Deus vidit ab æterno
per scientiam simplicem, meā
sersionem liberam cum deter-
minata veritate. Ergo scientia
Dei non tollit, sed infert in-
fallibiliter meam libertatem
in sedendo. Hæc dixerim, ut
in quæstione præsentī aliquam
notionem habeas doctrinæ
Theologicæ, à qua hoc dubiū
dependet. Ad nos redeamus.

22. Probatur ratione
prima pars nostræ sententiæ,
nempe quod futura contingē-
tia habeant veritatē determi-
natā respectu Dei. Deus scien-
tia infallibili cognoscit om-
nia futura contingentia: sed
si respectu Dei non haberent
veritatem determinatam, scien-
tia futurorum non esset infal-
libilis: ergo futura contingē-
tia habent veritatem deter-
minatam respectu Dei. Major
docetur à sacro textu sapē;
satis sit pro nunc Psalm. 138.
ubi dicitur: *Intellexisti cogitatio-
nes meas de longe, & omnes vias
meas prævidisti.* Nota ly *omnes*,
quo demonstrantur actiones
nostræ etiam contingentes.

Constat insuper ex omnibus Prophetis à Deo illuminatis, qui prædixerunt infallibiliter futura contingentia: si enim Deus illa ignoraret, quomodo posset Prophetas illuminare de futuris? Ob id egregiè Tertul. contra Marcionem 5. dixit: *Præscientia Dei tot habet testes, quot fecit Prophetas.* Id etiam ostenditur ex Divina Providentia, qua omnia regit, & gubernat; nec foret infallibiliter providus, nisi esset omnium futurorum præsciens. Omittimus plura, quibus à Catholicis DD. probatur Deus infallibiliter præsciens futurorum.

Minor verò probatur. Si futura non haberent respectu Dei veritatem determinatam, Deus ab æterno non sciret determinatè aliquid futurum, sed expectaret eventum rei in tempore, & tunc cognosceret determinatè eventum rei: sed hoc arguit, quòd vel scientia Dei non est ab æterno, qualis est in tempore; vel quòd ab æterno non est infallibilis; quorum utrumque est sacrilegum cogitare: ergo &c. Minor patet. Nam in tempore visa mea sessione, Deus illam cognoscit determinatè, & illam determinatè affirmat: vel ergo Deus sic affirmavit ab æterno, vel non potuit affirmare? Si non potuit? Ergo quia ab

æterno non fuit scientia Dei ita determinata, & intuitiva meæ sessionis, sicut in tempore. Et consequenter scientia Dei mutata est in tempore, & facta intuitiva, & determinata, quæ ab æterno erat abstractiva, & incerta. Si potuit ab æterno affirmare sicut in tempore: Ergo vel Deo ab æterno erat determinatè vera mea sessio, vel non. Si non? Ergo affirmaret sine certitudine objecti, & hoc est temerè & fallibiliter affirmare. Si ab æterno sessio mea erat determinatè vera, habemus intentum; nempe quòd contingètia habent respectu Dei determinatam veritatem.

23. Quoad secundam partem probatur conclusio nostra. Intellectus creatus nulum habet medium, in quo cognoscat determinatam veritatem futuri contingentis: ergo respectu nostri futura contingentia non habent determinatam veritatem. Antecedens probatur. Futura contingentia solum possunt à nobis cognosci in suis causis proximis: sed in causis proximis non habent determinatam veritatem, & ob id dicuntur contingentia ad differentiam pluviarum, temporum, & aliorum eventuum, quæ futura sunt, sed non contingentia, sed necessaria, quoniam

nam causæ proximæ, à nobis cognitæ, determinatæ sunt ad eorum productionem: ergo intellectus creatus &c.

Confirmatur. Media, in quibus Deus cognoscit determinatam veritatem futurorum, sunt occulta creaturæ: ergo relatè ad intellectum creatum contingens non habet determinatam veritatem. Probatur antecedens. Medium Thomisticum est Divinum decretum de eventu futuro; medium Iesuiticum est status conditionatus creaturæ ab æterno prævisæ; Medium Villanovanum est idea Divina, in qua repræsentatur ab æterno quidquid erit; & modo quo erit in tempore. Sed decreta Dei, status conditionatus, & Divinæ ideæ, sunt nobis occulta: ergo media, in quibus &c.

Hinc colliges contra Astrologos judicarios, quòd prædictio eorū vanissima est, quando extenditur ad eventus futuros contingenter. Nam licet stellæ, quas norunt, indicet futura absoluta, quæ nec immediatè, nec mediatè pendet ex libero arbitrio nostro, ut pluvias, eclipsim, ventos, &c. At quæ ultra generalissimum stellarum influxum, pendet ex causâ contingenti, ut est voluntas nostra libera, nequeunt ab eis cognosci, nisi

conjecturaliter, & fallibilissimè: ob idque solos stultos, & citò credentes possunt decipere suis falsis prædictionibus. De eis forsam uberius lib. 2. Physicæ circa fatum.

24. Ad fundamenta primæ sententiæ posita num. 17. dic ea esse pro nobis, quatenus suadent futura contingentia non habere veritatem determinatam respectu nostri. In hoc sensu exponendus est Aristot. quòd si ejus mens contendat nec respectu Dei dari determinatam veritatem, detestandus est, ut Cicero, & alij Stoici, qui fecerunt homines sacrilegos, ut facerent liberos. Ad primum fundamentum respòdeo primò verbis P. August. lib. 3. de Lib. arb. c. 3. ubi ait: *Attende queso quanta cecitate dicatur; si præscribit Deus futuram voluntatem meam (id est volitionem, vel actum meæ voluntatis) quoniam nihil aliter potest fieri quam præscribit; necesse est ut velim quod ille præscribit: si autem necesse est, non jam voluntate (id est libera electione) sed necessitate id me velle, fatendum est.* En argumentum Stoicorum. Sed ecce solutionem! *O stultitiam singularem! Quomodo ergo non potest aliud fieri, quam præscit Deus, si voluntas non erit, quæ voluntatem futuram ille præscriberit? Est dicere: erit voluntas, qualis à Deo præscita: sed à Deo est*

est præscita voluntas libera : ergo sic erit libera, quoniam præscita infallibiter. Ob id consequentia Stoicorum stulta est : quoniam ex scientia Dei infert necessitatem nostram, cum deberet libertatē.

Respondemus secundò. Illam propositionem *Petrus sedebit* esse ab æterno veram : nec posse in tempore falsificari. Ceterum inde non tollitur libertas in sedendo. Ostenditur sic. Deus non solū videt quòd Petrus sedebit, sed quòd liberè, & contingenter sedebit. Ergo ab æterno hæc est vera, nec potest in tempore falsificari, *Petrus liberè sedebit*. Sed ex quo Petrus non possit hanc secundam falsificare, nil sequitur contra ejus libertatem; immò firmatur ejus libertas : ergo ex quo Petrus non possit falsificare primā, non tollitur ejus libertas.

Respondemus tertio. Quòd libertas Petri in sedendo, consistit in eo, quòd sedeat habens potentiam ad carentiam sessionis. Hæc carentia potest esse duplex, nempe in sensu composito sessionis, vel in sensu diviso sessionis. Potentia ad carentiam sessionis in sensu composito sessionis, est implicatoria; quia nemo potest conjungere sessionem cum carentia sessionis: quare hæc potentia non pe-

titur à libertate nostra. Potentia ad carentiam sessionis in sensu diviso sessionis, est vera potestas, petita à libertate nostra. Ex quo Petrus nō possit falsificare illam propositionem *Petrus sedebit*, sequitur quòd non habeat potentiam ad carentiam sessionis in sensu composito sessionis, & propositionis Dei illam affirmantis. Ceterum hoc non tollit libertatem, quia libertas non petit talem potentiā, ut dictum est. At Petrus impotens falsificare talem propositionem, potest ponere carentiam sessionis in sensu diviso talis propositionis, & sessionis per illam affirmatæ : & hæc potentia sufficit ad libertatem. De hac materia plura dicam lib. 6. Physicæ, ubi sermo erit de concursu causæ primæ, & primi motoris cum causis creatis.

Ad secundum fundamentum primæ sententiæ dic totum esse verū relatè ad creatum intellectum, qui solū cognoscit effectus in causa proxima, ubi non habent esse determinatum. Deus non sic, qui in se ipso, ut causa prima videt effectus contingentes, & ibi habent esse determinatum. Solutio est N. B. Ægidij in 1. dist. 38. quæst. 5. ubi postquam dixerat: *Contingens, ut futurum est, potest esse,*

Et non esse: propter quod in contingentibus futuris non est determinata veritas, ut probatur primò Perhürmeniarum. Respondet, & reponit ibi, hoc esse relatè ad intellectum creatum, non respectu Dei, in quo habent determinatam veritatem.

25. Ad fundamenta secundæ sententiæ posita num. 18. dicimus ea probare primam partem nostræ conclusionis, nempe quòd contingentia habent veritatem determinatam respectu Dei. Unde ad 1. concedo totum, nempe Deum cognoscere contingentia, & eorum determinatam veritatem, quam habent in se, & Deo nota est, sed nobis occulta. Nec valet impugnatio, qua P. Hurtado nostram viam rejicit, dicens, quòd etiam latet nos an Turca nunc sedeat; cum tamen habeat veritatem determinatam in se. Non valet: quia via nostra ostendit, quòd nec nos, nec ullus homo, aut Angelus sciat contingentia, quia nemo habet medium, in quo appareat determinata veritas contingentis. At sessio Principis Turcarum, nota est intuitive omnibus cohabitantibus, Angelis, & dæmonibus. Quare instantia Hurtadi nullius momenti est.

Ad 2. fundamentum nostri Gregorij, quòd à multis

Nominalibus urgetur, & inde ad DD. plures Societatis devenit, dicimus primò nostram sententiam esse independentem à decreto Thomistico, quia stando principijs N. Villanovani, ante omne decretum datur veritas determinata in contingentibus, representatis per ideas sub eadem determinatione, qua sunt de facto quando sunt. Rursus etiam si teneamus viam scientiæ mediæ, est verum quòd contingentia habent veritatem determinatam respectu Dei, non autem respectu intellectus nostri, qui nescit quid erit in crastino, adhuc de eis, quæ pendent ex arbitrio proprio. Quare sententia nostra hinc potest præscindere à quæstionibus Theologicis, de quibus supra num. 20. & 21. Quia tamen viam Thomisticam de decreto explicavimus, ideò conformiter ad illam.

Respondemus secundò. Quòd ante decretum neutra ex contradictorijs est determinatè vera, sed indeterminatè. Lex enim contradictoriarum est, non esse simul veras, nec esse simul falsas, quia *Impossibile est rem simul esse, & nō esse.* In hoc principio fundatur illa lex, ne simul veræ sint *Petrus sedebit, Petrus non sedebit*; quia sessio simul esset, & non esset, quod

quod est impossibile. At licet in eodem principio cognoscamus, quod una est vera, alia falsa; at ex vi illius principij non habemus determinatè quòd prima sit determinatè vera; idem dic de secunda; quare oportet id explicare disjunctivè sic, *Vel sedebit, vel non sedebit*. Si ergo ex hoc principio, & lege contradictoria nulla est determinatè vera, sed indeterminatè; ergo ante decretum Dei, quod est unica causa potens tollere indifferentiam causæ creatæ indifferentis, nulla propositio, nec in se, nec in suis causis, est determinatè vera.

Dicimus tertio, quòd hoc argumento uritur Aristoteles ad negandum quòd etiam respectu Dei contingentia habeant determinatam veritatem. Nam si ex vi contradictoriæ oppositionis hæc *Petrus sedebit* est determinatè vera: ergo cum contradictoriæ habeant oppositionem suam ante omnem determinationem causæ creatæ, & increatæ, illa propositio erit vera, & confessio Petri determinatè erit futura, velit, nolit Deus. Quia velit, nolit, unum contradictorium opponitur alteri; velit, nolit Deus, contradictoria non possunt esse simul vera. Ergo si inde colligis determinatam futuritionem co-

tingentis, ponis illam velit; nolit Deus, quod est absurdissimum; nam sicut extra Deum nil est, nisi Deo volente, & dante esse; sic nil futurum est, nisi Deo volente, & dante futuritionem.

Ad tertium dicimus, quòd ab aeterno est verum, quòd Antichristus liberè peccabit. Ceterum hæc determinata veritas nulli, nisi Deo, est nota; quia ille solus novit decreta sua; ille solus novit liberam determinationem Antichristi ad peccandum; ille solus novit in statu possibilitatis ideam, à qua discordans actio peccaminosa Antichristi determinatè repræsentatur. Hæc sunt media cognoscendi illam determinatam veritatè juxta sententias laudatas num 20. Et confirmatur doctrina nostra ex eo, quòd nemo sciret Antichristum peccaturum, nisi Deus in Scripturis sanctis per Prophetas, & Apostolos nobis revelasset peccatum illud, quod præscivit. Ergo quia licet respectu Dei omnia contingentia habeant veritatem determinatam: secus relatè ad intellectum creatum. Si quid ultra desideres pro quæstione ista,

Theologicum est, quare vide dubia cita-

QUÆSTIO TERTIA.

Quid sit demonstratio, quæ partes ejus, quæ species, & quæ ad ipsam requisita?

§. I.

Explicatur diffinitio demonstrationis, & multa dubia deciduntur circa præmissas, & modum causandi conclusionem.

1. **A**RIST. in libris Posteriorum acturus de demonstratione, qua scientia generatur, & de scientia generata, coactus est agere de præcognitis, & de prænotionibus requisitis ante demonstrationem, ut Platonem impugnet, negantem scientias de novo acquiri, quoniam apud Platonicos infusæ & congenitæ nobis sunt, unde labore nostro solum datur reminiscencia eorum, quæ habitualiter scimus per scientias congenitas. Ut hoc impugnet, suamque potestatem adstrueret, incipit à præcognitis. Ordinem istum sequuntur interpretes, sed illum invertimus, quoniam quæ de prænotionibus, & præcognitis traduntur, facilius percipies, si prius diffiniamus demonstrationem, & dubia varia circa illam decidamus.

Demonstratio juxta Philosophum dupliciter diffinitur: primo sic: *Demonstratio*

*est syllogismus faciens scire. Id est syllogismus causans scientiam. Syllogismus ponitur loco generis, quo demonstratio convenit ratione formæ cum syllogismo topico generante opinionem, & sophistico generante errorem. Ab his differt per hoc quòd syllogismus demonstrativus generat scientiam. Scire vel scientia est *Rem per causam cognoscere per quam res est, & quoniam illius est causa, & non contingit aliter se habere.* Hæc definitio est scientiæ actualis, quia traditur per actu cognoscere. Ceterum quæ de actuali dicuntur, habituali accomodantur, notando quòd actualis est actus, habitualis est habitus relictus ex actus & actibus ipsis generatus, ut lib. 1. Logicæ dictum est, ubi etiam hæc diffinitio explicata est quæst. 2. Hic poterat dubitari, quomodo demonstratio causat scientiam? Sed in explicatione secundæ definitionis decisa invenies dubia, quæ circa istam excirari possunt*

2. Secunda definitio demonstrationis est hæc. Demonstratio est *Syllogismus constans ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, causisque conclusionis*. Ly *Syllogismus* est genus, quo demonstratio ratione formæ syllogisticæ convenit cum syllogismo topico, & sophistico, ut dictum est, ab eis differt ratione materiæ; quia topicus se exercet in materia probabili; sophisticus in materia falsa, & apparenti, demonstrativus in sola materia necessaria, & cum conditionibus, quæ per omnia verba definitionis datæ significantur.

Præmissæ demonstrationis dupliciter considerantur, vel absolutè & in se: & sic debent esse veræ, primæ, & immediatæ: vel in ordine ad conclusionem, & sic debent esse priores, notiores, & causæ conclusionis. Hinc fit quod dubia decidenda circa præmissas, alia sunt de præmissis in se consideratis; alia de eis relatè ad conclusionem. Quare, ut claritate debita procedamus, dubia ipsa post expositionem cujusvis particulæ proponemus.

3. Dicitur primò syllogismus constans ex veris. Nā cum demonstratio debeat concludere verum, nequit conclusio esse vera, nisi sequatur

ex præmissis veris. Dices. Juxta Aristotelem ex vero semper sequitur verum; ex falso aliquando verum, aliquando falsum: ergo licet demonstratio debeat concludere verū, non petit præmissas veras, si verum illud potest concludi ex falsis. Respondetur præmissas demonstrationis necessariò esse veras. Primò, quia conclusio demonstrata semper est vera; si tamen concluderetur ex falsis, non semper esset vera, sed aliquando falsa, quia *Ex falso aliquando falsum*. Secundò, quia conclusio demonstrata sequitur ex præmissis, quæ sunt causæ conclusionis, ideòque additur *causisque conclusionis*: sed licet ex falso possit sequi verum illarivè, non tamen causaliter, quia falsitas nequit esse causa veritatis, quam non continet: ergo conclusio vera demonstrationis debet esse ex veris.

Dicitur secundò *Ex primis, & immediatis*, ad denotandum, quod demonstratio nō procedit ex præmissis utcumque veris, sed ita veris, ut earum veritas sit per se nota, nec egeat probatione per aliud medium prius. Hic tria dubia excitantur. Primò, quid sit propositio per se nota? Secundò, an semper debeat demonstratio procedere ex per se

se notis? Tertio, an per se nota, sint simul prima, & immediata? Hæc breviter solvemus hic.

4. Ad 1. dicendum, quod propositio per se nota est, quæ non potest à priori probari per aliquod medium, quare vel probatur à posteriori, vel probatur explicando terminos illius. Sic ista *Deus est*, ubi de Deo prædicatur esse, est per se nota; quoniam à priori non potest probari per aliquod medium quod sit prius Deo, vel existentia Dei. Potest tamen probari explicando terminos illius, quid sit Deus, & quid nomine Dei intelligatur, quidve per vocem esse, vel existentia. Quo explicato, ita incognoscitur prædicatum convenire subjecto essentialiter, & apparet veritas propositionis. Potest etiã probari à posteriori per effectus Dei, existentia ejusdem, & sic probatur lib. 7. Physic. Quare cum à priori, & per causam non possit probari veritas illius propositionis, ideò propositio est per se nota.

Hæc à D. Thoma, & B. Egidio diffinitur sic: est *Il' a cujus prædicatum est de ratione subjecti*; hoc est de essentia ejus. Ob id dicitur prima, & immediata; prima, quoniam non habet aliam propositionem priorem, qua probetur. *Immediata*,

quoniam intellectus ei assentitur immediatè, & non per aliam. Observa hic celebrem distinctionem, aut divisionem propositionis per se notæ, traditam à D. Thoma, nempe in per se notam secundum se, & per se notam quoad nos. Ita 1. par. quæst. 2. art. 1. & quæst. 10 de Veritate art. 12. in qua fundat sententiam suam de eo quod illa propositio *Deus est*, est per se nota secundum se, sed non est nota quoad nos. Illam divisionem non admittit Scotus; eam etiam impugnat N. Argentinas ibidem. At N. B. Egidius dicit esse per se notam solis sapientibus; de quo vide N. Gavar. di tom. 1. suæ Theologiæ.

Hic tamen cum Aristot. & omnibus DD. scire debes, quod aliqua sunt per se nota simpliciter, & vocantur *dignitates*: alia sunt per se nota in aliquo genere determinato; & dicuntur *positiones*. Per se nota simpliciter sunt ea, quæ in omni genere sunt prima principia indemonstrabilia; v.g. *Quodlibet est, vel non est. Impossibile est rem simul esse, & non esse*. Ista enim in omni genere sunt veritates notæ, & quæ non possunt à priori demonstrari; unde sunt prima principia simpliciter primæ, & immediata; immò in quacunque veritate includuntur, nā

dum dicis, *Deus est trinus*, includitur hoc *Deus est*, & sic intrat illud principium *Quodlibet est, vel non est*. Per se nota secundum quid, & in determinato genere, sunt ea, quæ in illo genere, & scientia non habent aliud prius per quod probentur v.g. *Triangulus constat ex tribus lineis rectis*. Hæc veritas est nota in Geometria, nec in tali scientia adest aliud principium, quo probari possit à priori. Ceterum potest ex alijs principijs universalioribus probari, deveniendo ad illud *Quodlibet est, vel non est*.

Hinc fit, quod omnes propositiones, in quibus de subiecto prædicatur essentia, vel prima passio, sunt per se notæ hoc secundo modo; quia nec essentia, nec prima passio potest probari à priori in sua linea, & genere; ut sunt istæ, *Homo est animal rationale. Homo est admirativus*. De hoc iterum infra. Ceterum istæ veritates per se notæ, sunt positiones, quia non sunt simpliciter primæ veritates, sed in determinato genere. Regulariter autem in scientijs demonstrationes procedunt ex his positionibus: raro autem resolvitur conclusio usque ad dignitates.

5. Ad secundum dubium respondetur, quod demonstratio semper debet pro-

cedere ex per se notis formaliter, vel virtualiter. Per se notum formaliter, est quod ratione sui notum est, ut in exemplis datis. Per se notum virtualiter est quod includitur in aliquo per se noto. Sic ista propositio, *Petrus est animal rationale*, est virtualiter per se nota, quia includitur in illa, *Homo est animal rationale*, & hæc est formaliter per se nota. Sic in scientijs secunda, & tertia conclusio solent dependere à prima: & quando prima demonstrata est, non est necesse pro secunda demonstranda devenire ad prima principia; satis enim est venire ad propositionem, quæ evidenter sequitur ex prima demonstrata, ut ei firmiter assentiatur. Ratione suadetur. Nam quid quid sequitur mediatè, vel immediatè ex per se notis est necessariò verum, & probatur à priori evidenter: sed quod ita probatur, demonstratur: ergo demonstratio non petit esse semper ex per se notis formaliter, & immediatè, sed mediatè, & virtualiter. Doctrina est D. Thomæ 1. Poster. lect. 4. Nec dissentit N. B. Egid.

Ad tertium dubium dic, præmissas demonstrationis debere esse primas, & immediatas. Idem videtur sonare primum, & immediatum principium. sed

sed in re non est sic. Nam licet veritas per se nota, habeat utrumque, id habet ob motiva diversa. Nam est prima, quoniam à nulla alia veritate priori comprobatur. Est immediata, quoniam ex ipsa immediatè probantur conclusiones demonstratæ. Non tamen oportet semper ex his procedere, ut in antecedenti dubio dictum est; quia sufficit quod propositio sit virtualiter, & mediatè per se nota, ut concludat evidenter.

Hæc observa has propositiones per se notas, dici evidentes: sed non quæcumque evidentiæ sufficit ad propositionem per se notam. Triplex datur evidentiæ, nempe moralis, physica, & metaphysica. Evidentiæ moralis est, quæ habetur ex multorum testimonio. Sic tibi moraliter evidens est existentia urbis Romæ; nec nisi imprudenter de illa posses dubitare, cum omnes testentur Romam existere. Evidentiæ physica est, quæ certificat per sensus. Talis est, quam habes de existentia objecti quod vides. Evidentiæ metaphysica est ejus, cujus oppositum nec divinitus potest fieri. Hoc modo est evidens Deum esse impeccabilem; hominem esse animal rationale &c.

Conclusio demonstrata

est certa, & evidens evidentiæ metaphysica, quæ est omnium major, quare petit præmissas evidentes metaphysicè; quia alioquin non possent causare evidentiæ majorem, si in se præmissæ haberent minorem. Hinc fit, quod licet evidentiæ physica sit magis nota nobis, quorum cognitio incipit à sensibus; at non est magis apta pro demonstratione; immò est inepta, quia fallax. Fallitur enim sensus aliquando, ut patet in cadavere, quorum accidentia videntur eadem, ac erant in corpore vivo, sed non sunt; unde per discursum non raro corrigitur sensus. Evidentiæ moralis minor est, quam physica; quare ineptior est pro demonstratione.

6. Actum est de præmissis secundum se; nunc restant explicandæ particulæ de præmissis relatè ad conclusionem. Dicitur ergo demonstrationem procedere ex prioribus, quo denotatur præmissas habere prioritatem ad causandam conclusionem. Nā cum omnis causa sit prior suo effectui; si in demonstratione conclusio causatur à præmissis, causatur à prioribus. Ceterum est dubium, quæ prioritate præcedant præmissæ conclusionem. Huic dubio respondetur. Quod vel præmissæ

sa sumuntur reduplicativè ut causa conclusionis, vel specificativè. Si primum, non sunt priores, quia causa reduplicativè ut causa, est correlativa sui effectus; & correlativa sunt simul natura, & cognitione. Si sumantur specificativè, est certum quòd major sola sine minori, præcedit tempore conclusionem: ceterùm semel adjuncta minori, non præcedunt præmissæ prioritate temporis, sed prioritate naturæ, & causalitatis.

Probat utrumque, & primum sic. Quia præmissæ benè dispositæ ita continent conclusionem, & necessitant intellectum ad assensum conclusionis, ut ferè otiosum sit deducere calamo, aut lingua conclusionem. Ob id M. P. Augustinus in suis scriptis, dū arguit contra hæreticos, rarè deducit conclusionem, sed merè disponit rectè præmissas: ergo quia eis benè dispositis naturaliter sequitur conclusio quæ in eis continetur. Ergo cum hæc illatio sit naturalis, & effectus agentis instantanei, præmissæ causantes non præcedunt tempore. Præcedunt natura, & prioritate causalitatis, modo quo Sol præcedit illuminationem, ab ipso causatam, & quæcumque causa etiam instantanea,

suum effectum.

Dicitur etiam quòd debet esse *ex notioribus*. Ratio est, quia conclusio demonstrata est nota per præmissas; sed *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo conclusio debet demonstrari ex præmissis notioribus. Hæc ratio suadet quòd præmissæ debent esse certiores conclusionem; nam tota certitudo conclusionis demonstratæ descendit ex certitudine præmissarum: sed *Propter quod unumquodque &c.*, ergo præmissæ debent esse certiores.

7. Hæc doctrina habet aliqua contra se. Primū, quia aliquando conclusio demonstrata non differt realiter à præmissis, ut patet in demonstrationibus, quæ fiunt de Deo, probando intellectualitatem ejus ex immaterialitate, voluntatem ex intellectu &c. Item in alijs creatis, in quibus medium, quod assumitur pro demonstratione, solū virtualiter differt ab extremis: sed si conclusio non differt realiter à præmissis, nequeunt istæ esse certiores, aut notiores, cum omnium certitudo, & notio, sit unica realiter: ergo demonstratio non est *ex notioribus*.

Secundum, in hac demonstratione *Christus est homo*: sed *homo est animal rationale*: ergo *Christus*

est animal rationale, conclusio est Theologica, & supernaturalis; minor autem est purè naturalis: sed præmissa naturalis non est certior, quàm supernaturalis conclusio, immò conclusio illa supernaturalis derivat suam certitudinem ab illa propositione de fide, *Christus est homo*; & fides Divina est magis certa quàm scientia qualibet naturalis: ergo conclusio in hac demonstratione non est minus, sed magis certa, quàm vna ex præmissis.

Ad 1. responderetur, quòd in eis demonstrationibus, ubi medium non differt realiter ab extremis, nec præmissæ objectivæ à conclusione objectiva, conclusio est ejusdem certitudinis, & notionis identicè cum præmissis; at non formaliter, & in esse cognoscibilis, quia non obstante identitate, per solam virtuales distinctionem habetur, quòd præmissæ illuminant, conclusio illuminatur: præmissæ nõ probantur ex alijs, conclusio autem ex alijs probatur: ergo per solam distinctionem virtuales habetur, quòd præmissæ sint notiores, & certiores certitudine indemonstrabilis, quam non habet conclusio quæ demonstratur.

Ad 2. dic, quòd præmissa naturalis infert non ratio-

ne sui, sed ut elevata per cõsortium alterius præmissæ de fide, in conclusionem Theologicam supernaturalē. Quare licet conclusio Theologica certior sit, quàm præmissa naturalis secundum se accepta; non tamen illa ut elevata. Immo sic conclusio est inferior, quia ejus certitudo demonstrata est; sed certitudo præmissæ indemonstrata; & per se nota.

8. Ultima differentia diffinitionis dicit, quòd demonstratio est *ex causis conclusionis*. Hic denotatur, quòd præmissæ non solū debent esse causa illationis, sed causa rei illatæ, nempe unionis prædicari cum subjecto in conclusione. Hæc conditio probatur. Primò, quia demonstratio differt ratione materiæ à syllogismo topico, sophistico, & alijs: sed in alijs præmissæ sunt causa illationis; diffinitur enim syllogismus *Oratio in qua, quibusdam positis, & concessis, necesse est aliud sequi, ex eo quòd sic posita sunt*: ergo cum esse causam illationis conveniat syllogismo ratione formæ, dicendum est quòd demonstrationi ratione materiæ convenit esse causam rei illatæ, & consequentis. Secundò, quia demonstratio causat scientiam, & facit scire, ut in prima diffinitione di-

dictum est: sed scire est rem per causam cognoscere: ergo conclusio quæ scitur per præmissas, causatur ex præmissis, quæ sunt causa per quam res conclusa est.

Hæc doctrina habet aliqua contra se. Primum quod juxta Aristotelem hic demonstratio alia est *quid*, & à priori; alia est *quia*, & à posteriori; illa per causam, hæc per effectus: sed quando causa demonstratur à posteriori per effectus; præmissæ continentes effectum, non possunt esse causa conclusionis quoad esse; cum effectus non possit esse causa suæ causæ: ergo perperam ponitur *ly Causisque conclusionis* in diffinitione demonstrationis.

Secundum, quia juxta D. Thomam 2. Poster. cap. 1. Potest probari passio de subiecto per diffinitionem passionis, ut per medium demonstrativum. Verba S. Doct. sunt hæc: *Oportet concludere passionem de subiecto per diffinitionem passionis; & è contra, diffinitionem passionis per diffinitionem subiecti*: sed diffinitio passionis non est causa in essendo respectu passionis, quia diffinitio est idem cum diffinito; & nil est causa sui ipsius in essendo: ergo præmissæ non debent in demonstratione esse causa in essendo conclusionis, & con-

sequentis.

Ad 1. respondetur communiter, Philosophū hic diffinire demonstrationem *propter quid*, non autem demonstrationem *quia*: potest tamē diffinitio accommodari ad demonstrationem *quia*: si *ly ex causis* intelligatur de causa in inferendo, & non in essendo; quo intellecto, cessat prima replica.

De secunda est majus dubium, quoniam Godoy 1. par. quæst. 2. disp. 3. §. 2. contendit, quod licet secundum se non possit passio demonstrari per diffinitionem passionis, quia diffinitio non est causa diffiniti; at potest demonstrari quoad nos, & id suadet auctoritate hic allegata D. Thomæ. Non dissentit Mag. à S. Thoma in Logica, dicens tales esse demonstrationes quibus probamus æternitatem Dei ex ejus immutabilitate; cum tamen immutabilitas non sit causa æternitatis, sed sit tantum ratio à priori quoad nos. Contrarium acriter defendit N. Gav. tom. 1. Theologiæ quæst. 1. de Substantia Dei art. 4. dicens tales probationes esse syllogismos identicos concludentes evidentem, sed non esse demonstrationes.

In hac lite multum est de nomine, quia omnes conveniunt in quo od conclusio

si infertur evidenter, & à priori, quando infertur ex medio idētico, quod est prius quoad nos, qualis est intellectus Dei respectu voluntatis; immutabilitas relatè ad æternitatem &c. Solūm est disidiū, an ille syllogismus debeat dici identicus, an demonstrativus? Quæstio est de nomine, in qua formalitè loquitur N. Gavardi; nec oppositum insinuat D. Thomas laudatus, quia dicit solūm *Oportet concludere*: sed ut benè Gavardi, cōcludere non est demonstrare; nam syllogismus identicus cōcludit, sed non demonstrat: ergo ex D. Thoma non habetur quod probare passionem per diffinitionem ejus sit demonstrare. Unde ad replicam nego majorem. Quæres quomodo præmissæ causent conclusionem? Sed de hoc §. sequenti.

§. II.

Deciditur quomodo præmissæ causant conclusionem, & an sint causæ partiales?

9. **D**ICTVM est suprà ex Aristot. quod præmissæ in demonstratione debent esse causæ conclusionis: dubitatur hic in quo genere causæ? Supponi-

mus ex lib. 2. Physic. quatuor esse genera causarum, nempe materialis, formalis, efficiens, & finalis. Nec dubium est de causa finali, quia potius præmissæ sunt propter conclusionem, quàm è contra: unde conclusio est causa finalis præmissarum, non præmissæ relatè ad conclusionem. Nec est dubium de causa formali intrinseca, quia præmissæ non recipiuntur in conclusione, nec illam informant: quidquid sit de causa formali extrinseca specificante, de qua nihil scitu dignum hic disputatur. Restat difficultas inter causam materiale, & efficientem, an præmissæ sint causa materialis, an efficiens conclusionis?

Nota etiam, quod sicut dantur conceptus formales, & objectivi; ita præmissæ, & conclusio possunt sumi formaliter, hoc est pro actibus intellectus, & objectivè, hoc est pro objectis ipsis repræsentatis per conceptus formales. Quare possunt tripliciter comparari. Primò præmissæ formales cum conclusione formali. Secundò præmissæ objectivæ cum conclusione objectivæ. Tertiò præmissæ objectivæ cum conclusione formali. Et quia præcipua difficultas est de prima comparatione; idè ante illam bre-

viter dicam de alijs minus difficilibus.

10. Dicimus primò præmissas objectivas esse causam, vel rationem conclusionis objectivæ. Pono exemplū *Omne admirativum est risibile: sed omnis homo est admirativus: ergo omnis homo est risibilis.* En admirativitas quæ est prima passio hominis, est causa risibilitatis, quæ in homine est secunda passio. Quare quòd in præmissis identificentur *homo, & risibile* cum admirativitate, est causa cur in conclusione identificentur *homo & risibile*. Intellige de identitate lata, quam explicat in talibus verbum *sum, es, fui.* Quia verò aliquando medium non est realiter distinctum ab extremis, sed identificatum, & ratio à priori unionis & identitatis extremorum; idè in tali demonstratione præmissæ non sunt rigorosa causa, saltem realis, sed virtualis, & ratio à priori consequentis, ut in hac demonstratione: *Omne intellectivum est volitivum: sed Deus est intellectivus: ergo volitivus.* Vbi medium nempe intellectualitas Dei est ratio à priori, cur Deus in se sit volitivus; non tamen est causa, defectu distinctionis realis.

Dicimus secundò: Præmissæ objectivæ sunt causa

formalis mediata, & extrinseca conclusionis formalis. Probat. Quia præmissæ formales, nempe actus intellectus, specificantur ab objecto, & sic specificantur à præmissis objectivis: sed specificativum est causa formalis extrinseca sui specificati: ergo præmissæ objectivæ sunt causa formalis extrinseca immediata præmissarum formalium. Sed quòd immediatè causat præmissas formales, causat mediatè conclusionem formalem: ergo præmissæ objectivæ sunt causa formalis extrinseca mediata conclusionis formalis.

11. Circa tertiam comparationem præmissarum formalium cum conclusione formali, prima sententia docet præmissas formales esse causam materiale conclusionis formalis, quia ex eis, ut ex materia fit conclusio: quare negant esse causam efficièntem conclusionis. Ita Durandus, & alij. Probat. Quia si præmissæ essent causa efficiens conclusionis formalis, aliqua formalitas esset in conclusione, quæ corresponderet præmissis, ut effectus suæ causæ: sed in conclusione nulla talis formalitas est: ergo præmissæ non sunt causa efficiens conclusionis. Probat. min. Conclusio formalis solùm habet quòd sit intellectio, & qua

qualitas; & quòd sit representatio objecti: sed omnia hæc correspondent intellectui actuato per speciem impressam; non autem præmissis: ergo &c.

Secundò: Nulla actio est causa effectiva; quia actio potius est exercitium causæ, non autem causa: sed præmissæ formales sunt actio, quia sunt intellectio, quæ actio est: ergo præmissæ formales non sunt causa efficiens conclusionis. Tertio: Solus intellectus cum specie impressa potest causare conclusionem sine præmissis: ergo præmissæ non sunt causa efficiens conclusionis. Probat. antecedens. Solus intellectus cum specie causat assensum præmissarum: sed assensus conclusionis convenit cum assensu præmissarum in omnibus, quia æquè sunt cognitio objecti, cui præbetur assensus: ergo &c.

12. Secunda sententia docet præmissas esse causam efficièntem conclusionis formalis. Ita expressè D. Thomas 1. Poster. lect. 3. dicens: *Præmissas habere rationem causæ efficièntis respectu conclusionis.* Et in 2. Physic. lect. 5. & 5. Metaphysicæ lect. 3. dicit: *Quòd quantum ad virtutem illativam præmissæ habent rationem causæ efficièntis.* Eandem doctrinam ha-

bent nostri DD. cum N. B. Ægidio in 2. Physic. textu 31. Quare hujusmodi sententia communis est inter Thomistas, & Ægidianos. Ceterum non est concordia in expositione hujus causalitatis efficièntis adhuc inter ipsos Thomistas.

Moneda dicit non esse propriam causam efficièntem, sed formalem extrinsecam specificativam, quæ reducitur improprie ad genus causæ efficièntis. Putat enim quòd sicut intellectus informatus specie, est causa efficiens præmissarum, sic & conclusio-

nis. Communis Thomistarum sententia est actus intellectus habere inter se connexionem, & dependentiã; sicut actus voluntatis. Quare sicut intentio finis est actus voluntatis, qui simul cum voluntate constituit unicum principium effectivum electionis: ita præmissæ simul cum intellectu sunt causa efficiens conclusionis formalis. Probat. Tum exemplo dato actu voluntatis. Nam non minus dependent, & connectuntur inter se actus intellectus, quàm voluntatis: sed quoniam electio sequitur ex intentione finis, intentio est causa effectiva electionis: ergo quoniam conclusio sequitur ex præmis-

lis, præmissæ erunt causa efficiens conclusionis.

Secundò, id quod constituit potentiam in actu primo effectivam, est principium effectivum, & qua efficiens ut quo; sed præmissæ constituunt intellectum in actu primo còpletum ad assentiendum conclusioni: ergo præmissæ sunt principium quo effectivum còclusionis. Major probatur à Rubio, & Linzæo exemplo speciei impressæ relatè ad intellectum. A Prado exemplo caloris respectu ignis, & substantiæ activæ. A Parra exemplo lucis ocularis, residentis in pupilla. Minor probatur. Nam intellectus nudus sine assensu præmissarum, est impotens assentiri conclusioni.

13. Nostra sententia cum Mag. Villanova hic, sumitur ex B. Egidio ubi supra, docente præmissas ratione extremitatum esse causam materiale conclusionis: ratione autem mediij esse causam efficientem. Nec præmissæ ratione mediij sunt causa efficiens per modum virtutis, sed per modum applicantis virtutem intellectus ad conclusionem. Probatur per partes. Prima sic. Extremitates demonstrationis uniuntur in conclusione, quare sunt materia conclusionis, quæ vi unionis faciunt conclusionem.

Medium autem manet in præmissis, & non intrat conclusionem ut in Summulis dictum est: ergo præmissæ ratione extremitatum non sunt causa efficiens, sed materialis conclusionis. Patet consequentia, quia materialis causa, & efficiens, nequeunt adunari in eadem entitate; sed præmissæ ratione extremitatum sunt materia, ex qua fit conclusio, & sic sunt causa materialis conclusionis: ergo sic non sunt causa efficiens.

Secunda sic. Medium quod manet in præmissis, & non intrat conclusionem, est distinctum ab extremis unitis in conclusione, & est causa talis unionis: ergo præmissæ ratione mediij sunt causa effectiva conclusionis. Patet consequentia, quia id convenit præmissis ratione mediij, quod medio convenit ratione sui; quare si medium est causa unionis extremitatum in conclusione &c. Antecedens est certum, quia idè extremitates uniuntur in conclusione, quia in præmissis uniuntur cum medio; quare medium, cum quo uniuntur in præmissis, est causa unionis extremitatum in conclusione. Observa, quòd ut hæc probatio probet causam efficientem, oportet quòd unio extre-

mitatum cum medio fundetur in causalitate mediij efficienti relatè ad unam extremitatem. Sit exemplum demonstratio posita num. 10. ubi medium est *admirativitas*, quæ est prima passio hominis, unde dimanat *risibilitas*, quæ est secunda passio demonstrata. Dimanatio est efficientia de genere causæ efficientis, ut dicemus lib. 2. Physic.

14. Tertia pars probatur à N. Villanova doctrina, quam approbamus tum in actibus voluntatis, tum in actibus intellectus. Actus, & actio nequit esse virtus effectiva, nec complere per modum virtutis; potest tamen actio esse applicatio, & complere per modum applicationis: ergo nec intentio finis, quæ est actio voluntatis, potest esse virtus effectiva electionis; nec assensus præmissarum, qui est actio intellectus, potest esse virtus effectiva assensus conclusionis: sed intentio applicat virtutem voluntatis electivam ad electionem; & præmissæ applicat virtutem intellectus illativam conclusionis ad inferendam conclusionem. Causa autem applicativa est de genere causæ efficientis, ut dicitur 2. Physic. Antecedens præcipuè patet, tum quia virtus effectiva est indifferens indiffe-

rentia potentiæ, & est causa in actu primo: actio autem non est actus primus, sed secundus in genere causæ efficientis, nec est indifferens, sed est determinatio potentiæ, & ejus indifferentiæ: ergo actio & actus, nequeunt esse vis effectiva &c.

Hinc colliges, quòd dū dicitur præmissas in demonstratione esse causas conclusionis intelligitur ratione mediij de causa efficiente; non quòd præmissæ sint causa efficiens per modum virtutis, nec quòd sint actio, qua intellectus efficit conclusionem; nam hoc repugnat ex eo quòd ad unam actionem non datur alia, ut dicemus 3. Physic. sed quòd sunt causa applicativa intellectus ad formandū assensum conclusionis, sicut intentio finis, dum est efficax, est causa applicativa voluntatis ad electionem. Colliges etiam, quòd sicut ex intentione finis efficaci sequitur necessario electio; ita necessario sequitur assensus conclusionis ex assensu præmissarum; cum solo discrimine, quòd voluntas in electione liberè procedit, secus intellectus; qui necessario assentitur conclusioni, ut infra dicemus. Ceterum quoad necessariam sequelam tenet exemplum: & de intellectu eam indicavit P.

N. August. in Dialect. c. 3. dicēs
Si velit dicere : Homo iste ambulat,
simplex sententia est ; quam si con-
cessero , & aliam adjunxerit : quis-
quis autem ambulat, movetur : &
hanc si concessero , ex hac junctio-
ne sententiarum , quamvis sigillatim
nuntiatarum , & concessarum , illa
summa (idest conclusio) sequi-
tur , quæ jam necessariò concedatur ,
idest , igitur homo iste movetur .

En intellectus necessita-
 tur assentiri huic conclusioni
Igitur homo iste movetur , ex quo
 concessit præmissas illas *Ho-*
mo iste ambulat : Quisquis ambulat,
movetur . At necessitas illa non
 venit à præmissis , ut à dan-
 tibus virtutem intellectui ad
 assentiendum , nam illam ha-
 bet intellectus ex se ; alioquin
 non dedisset assensum præmis-
 sis , si non haberet virtutem
 ad assentiendum : ergo venit
 à præmissis , ut applicantibus
 virtutem intellectus , ex se in-
 differentem ad concedendum
 quòd homo iste moveatur ,
 ut necessitatus sit illam con-
 cedere . Observa , quòd sicut
 intellectus non concedit con-
 clusionem nisi applicatus à
 præmissis : sic nec concedit
 præmissas , nisi etiam applica-
 tus . *Quæris à quo applicatur*
ad assensum præmissarum ?
 Respondeo in exemplo dato ,
 quòd illa *Quisquis ambulat , mo-*
vetur , est per se nota : & in ta-
 libus movetur intellectus à

veritate objectiva per se notæ ;
 nam intellectus est potentia
 necessaria ad assentiendum
 veritati per se notæ ; & ad hoc
 deservit lumen principiorum ,
 qui est habitus determinans
 intellectum ad tales veritates .
 Illa autem adjuncta , *Iste homo*
ambulat , conceditur ab intel-
 lectu , applicato per cognitio-
 nem sensus , qua videt hunc
 ambulare . De hoc erit sermo
 in præcognitis .

15. Ad fundamenta
 primæ sententiæ posita num.
 11. respondemus , & ad pri-
 mum dicimus , quòd omnes
 formalitates , quæ sunt in
 conclusione correspondent in-
 tellectui , & omnes etiam
 præmissis sub diversa ratio-
 ne , nempe intellectui , ut cau-
 sæ effectivæ ; præmissis , ut
 causæ applicativæ . Effectus e-
 nim non solum tribuitur cau-
 sæ elicenti , sed applicanti ;
 immò specialius tribuitur
 applicanti . Hinc est quòd ele-
 ctio est effectus intentionis fi-
 nis , & omnes formalitates
 electionis correspondent vol-
 untati eligenti , & omnes e-
 tiam intentioni applicanti ;
 immò proprius tribuuntur in-
 tentioni , licet solam volun-
 tatem electio denominet eli-
 gentem , non autem intentio-
 nem . Sic de conclusione dic.
 Vel secundò respondeo , quòd
 conclusio , ut propositio est ,
 ple

plenè correspondet intelle-
 ctui ; at ut conclusio , & pro-
 positio illata est , corres-
 pondet præmissis inferenti-
 bus , & applicantibus . Sic
 electio , ut actus voluntatis
 est , correspondet voluntati ;
 ceterum ut electio est , soli
 intentioni applicanti .

Ad 2. dic , eo argumen-
 to probari , quòd præmissæ nõ
 suat causa effectiva per mo-
 dum virtutis , & hoc conce-
 dimus ; immò à nobis proba-
 tum est num. 14. Ceterum li-
 cèt actio non possit esse vir-
 tus , potest esse applicatio vir-
 tutis , & hoc modo ponimus
 præmissas , ut dictum est . Sic
 intentio non est virtus ad ele-
 ctionem ; est tamen actus volū-
 tatis intentivæ applicans vir-
 tutem voluntatis electivæ ad
 electionem .

Ad 3. nego antecedens .
 Ad probationem ejus conce-
 so antecedenti , nego conse-
 quentiam . Disparitas inter
 assensum præmissarum , & cõ-
 clusionis est ; quòd intellectus
 assentitur conclusioni , ut il-
 lata ex præmissis ; at præmis-
 sis non assentitur ut illatis ,
 sed secundum se . Hinc nasci-
 tur præcipuum discrimen . Nã
 quoniam assensus præmissa-
 rum non est in vi illationis ,
 fit in vi veritatis objectivæ
 præmissarum : & pro ista suf-
 ficit species impressa intimè

præsentans objectum intelle-
 ctui . In conclusione non sic ,
 quia nõ assentitur intellectus
 illi , ut propositio est , & ut
 veritas est absoluta ; sed ei , ut
 veritas est illata : ergo nisi
 applicetur intellectus per præ-
 missas inferentes , nequit con-
 clusioni assentiri , ut conclu-
 sio est .

16. Ad fundamenta se-
 cundæ sententiæ dicimus eas
 auctoritates D. Thomæ esse
 etiam pro nobis , qui cum S.
 Doctore defendimus præmis-
 sas esse causam efficientem
 conclusionis , solum discrimi-
 namur à DD. num. 12. lau-
 datis , quoniam dicitur esse
 causam applicativam , non au-
 tem effectivam per modum
 virtutis . Nec talem probant
 fundamenta ibi adducta . Non
 primum , cujus minor est fal-
 sa ; nam intentio finis non est
 causa effectiva electionis me-
 diorum , sed applicativa , ut
 probatum est . Non etiam se-
 cundum , cujus major est fal-
 sa apud aliquos Thomistas .
 Nam apud omnes species im-
 pressa est complementum in-
 tellectus in actu primo , & sic
 constituit ejus potentiam : &
 tamen apud aliquos species
 non est virtus influens in in-
 tellectionem , qui putant spe-
 ciem solum concurrere for-
 maliter , non effectivè .

Respondemus ex nostris
 prin-

principijs præmissas non constituit potentiam effectivam conclusionis, nam eam habet ex se intellectus informatus specie. Applicant præmissa ista potentiam intellectus; & sic non est complementum de linea actus primi efficiendi, sed de linea actus secundi, modo quo juxta Thomistas prædeterminatio non est virtus effectiva, nec dat virtutem voluntati, nec constituit actum primum, sed est complementum de linea actus secundi, eò quòd solum applicat virtutem voluntatis. Idem dic de præmissis relatè ad conclusionem, & de intentione relatè ad electionem. Exempla adducta num. 12. non valent, quia species est virtus objecti, & comprincipium intellectus; quare constituit actum primum. Calor est virtus activæ substantiæ; & lux pupillæ, complementum potentia visivæ in actu primo. Præmissæ non sic, quia sunt applicatio virtutis.

17. Dubitabis: An præmissæ sint causæ totales, an verò partiales conclusionis? Respondemus cum Villanova & PP. Conimbricensibus esse causas totales subordinatas. Causæ subordinatæ dicuntur, quæ in diverso ordine causant totaliter effectum. Sic Deus, Sol, & ho-

mo, generant hominem. Quælibet ex his causis totalis est, quia non producit partem hominis, sed totum. Unde totus homo producitur ab homine generante; totus à Sole, totus à Deo. Ceterum in ordine diverso, & sub magis, & minus universali ratione: nã à Deo producitur sub ratione entis; à Sole sub ratione corporis; ab homine generante sub ratione talis entis. Et quia ratio talis entis subordinatur rationi corporis; & ratio corporis est inferior, & subordinatur rationi universalissimæ entis; ideò generans sublunare est causa totalis subordinata Soli: Sol causa totalis subordinata Deo: Deus causa totalis universalissima, nulli subordinata, sed subordinans omnes. En quid sunt causæ totales subordinatæ; nempe causæ totales producentes totum effectum sub ratione magis, vel minus universali.

Hoc modo præmissæ causant conclusionem. Nam certè præmissæ non sunt causæ partiales; nam tunc una produceret partem conclusionis, altera aliam partem; & non contingit sic. Præterea: Nam causæ partiales una alteri nõ subordinatur, & patet in duobus portantibus lapidem, quorum alteri neuter subordinatur.

tur. At præmissæ non sic; nam minor subordinatur majori, & est causa minus universalis, quàm major: ergo non sunt causæ partiales, sed totales. Quia tamen idem effectus nequit actu causari à duplici causa totali ejusdem ordinis, ut dicemus lib. 2. Physic. bene tamen à duplici causa totali subordinata, & in diverso ordine, ut in exemplo hominis ostensum est: ideò dicimus præmissas esse causas totales, sed subordinatas relatè ad eandem conclusionem.

Hoc explicatur sic. Omnis demonstratio vel sit ex primis principijs, quæ dicuntur dignitates; vel ex positionibus, quæ sunt veritates per se notæ, includentes aliquam dignitatem, ut dictum est n. 4. Huic dignitati adjungitur positio, quæ est propositio universalis in determinata materia. Quare regulariter demonstratio constat ex duabus præmissis quarum prima est principium universale ad omnes materias, v.g. *Quodlibet est, vel non est. Impossibile est rem simul esse, & non esse.* Secunda propositio illi adjungitur, quæ est minus universalis: & inde infertur conclusio. Aliquando autem ponitur prima propositio universalis in determinata scientia, sed quæ se ex-

tendit ad omnes veritates illius scientiæ: & illi adjungitur secunda propositio determinata ad aliquam conclusionem ejusdem scientiæ; unde infertur conclusio determinata. In his contingit quòd propositio minus universalis est causa totalis subordinata propositiioni universaliori. Et sicut virtus Dei potens ad omnem effectum, determinatur ad effectum talis speciei per consortium agentis creati, cujus virtus est determinata: ita virtus applicativa hujus principij *Quodlibet est, vel non est, quæ est potens concludere omnem veritatem in qualibet scientiâ; determinatur ad concludendam veritatem geometricam v.g. per consortium secundæ propositionis geometricæ, quæ illi adjungitur. Quo vides non solum subordinatorem propositionum; sed etiã quomodo dignitates, quæ sunt causæ æquivocæ, potentes causare atleptus diversæ speciei in omnibus scientiis, determinantur ad istam, vel illam scientiam determinatè.*

§. III.

Explicatur qualiter necessitatur intellectus ex vi præmissarum ad assensum conclusionis.

18. VIDIMVS SVPRANUM. 14. ex M. P. Ecce

P. N. August. quod positis præmissis rectè concludentibus, necessitatur intellectus ad assensum cōclusionis. *Quæritur* quomodo necessitatur? Vbi sciendum est, quod licet voluntas nostra sit potentia formaliter libera, quia habet dominium supra suos actus, potens velle, aut nolles amare, & cessare ab amore: at intellectus non est potentia formaliter libera, nec indifferens ad assensum, vel dissensum: sed ex sui natura est potentia formaliter necessaria, operans per modum naturæ. Et modo quo natura quælibet fertur naturaliter in bonum proprium, & fugit à malo, sibi adverso; ita intellectus ex sui natura fertur in verum per assensum, & fugit à falso per dissensum. Hinc fit quod semel cognito aliquo vero, illi non potest intellectus dissentiri: nec semel apparente falso, potest illi assentiri intellectus, sed naturaliter, & sine ulla indifferentia fertur in utrumque, sive in verum per assensum, sive in falsum per dissensum.

At quoniam potentiæ rationales sunt concatenatæ, & mutuò dependentes; ita ut voluntas non possit amare, nisi bonum cognitum ab intellectu: & intellectus pendeat à voluntate, potente il-

lum applicare ad cognoscendum hoc, vel illud objectum; vel illum retrahere à consideratione hujus objecti, modo quo potest manum contrahere, & quæcumque potentiam executivam corporalem suspendere à suis actibus; hinc oritur difficultas præsens, quæ, re benè inspecta, non tam est de intellectu, quàm de voluntate, ut patebit observando fundamenta sententiæ contrariæ negantis necessitatem.

Est ergo duplex necessitas, sicut est duplex libertas; & indifferentia illi opposita. Necessitas quoad specificationem, est, & explicatur conditionaliter sic, est talis, ut si intellectus se exercent circa objectum, debeat esse per assensum. Necessitas quoad exercitium est absoluta, & consistit in eo, quod teneatur intellectus se exercere per assensum, nec possit illum omittere. De prima necessitate nullum est dubium, nam licet Linzæus Jesuita illam negaverit 4. Metaphysicæ cap. 8. Omnes concorditer illam concedunt, & pater. Quia conclusio demonstrationis est propositio vera, & evidentè cognita ut vera, & illata ex præmissis: sed intellectus circa verum cognitum ut verum (si se exercent) nequit se exer-

tere, nisi per assensum; non enim potest, adhuc ex imperio voluntatis dissentiri vero, ut vero: ergo in demonstratione necessitatur intellectus ad assensum conclusionis per assensum præmissarum, necessitate quoad specificationem.

19. Circa necessitatē quoad exercitium prima sententia negat intellectum sic necessitari. Docetur à pluribus, quos citat, & sequitur Prado hic quæst. 5. §. 4. Quirros hic sect. 3. Probatur primò. Quia positis præmissis, & concessis ab intellectu, voluntas est libera; & sic potens retrahere intellectum ab assensu conclusionis: ergo ex præmissis non sequitur assensus conclusionis necessariò quoad exercitium. Patet cōsequentiā ex dictis de necessitate quoad exercitium. Antecedens probatur. Voluntas ita est libera, ut non necessitetur quoad exercitium ab aliquo bono particulari, ut docet D. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 3. sed veritas conclusionis quæ est perfectio intellectus, est bonum particulare, contentum sub ratione communi boni: ergo ab illa non necessitatur voluntas, & sic manet libera applicare intellectum ad assensum conclusionis, vel illum ab eo re-

trahere.

Confirmatur. Voluntas non necessitatur ad assensum conclusionis practicæ evidentis: ergo nec ad assensum cōclusionis speculativæ evidentis. Patet consequentiā, quia non est cur una evidentia necessitet intellectum, & voluntatem; secus altera. Probatur antecedens in hoc syllogismo practico. *Quod tibi non vis, alteri ne feceris: sed tibi non vis furari: ergo alteri non debes furari.* En conclusio practica evidens: & tamen illi aliquando dissentitur voluntas, nempe quoties facit oppositum: ergo voluntas non necessitatur &c.

Probatur secundò eadē sententiā; nam positis præmissis evidentibus, potest intellectus dissentiri conclusioni legitime illatæ: ergo quia non necessitatur ad assensum cōclusionis. Probatur antecedens; Aliquando in syllogismis cōcludentibus directè, conceduntur præmissæ, & negatur consequentiā. Ob idque datur ars syllogistica probans bonitatem consequentiæ ex illis principijs *Dici de omni. Dici de nullo.* Rursus: positis præmissis evidentibus, adhuc intellectus indiget habitu scientiæ ad assentiendum conclusioni, sed habitus datur ad determinandam indifferentiā

potentiæ; & ubi est indifferentiâ potentiæ, non est necessitas quoad exercitium: ergo, positis præmissis evidentibus, intellectus non est necessitatus quoad exercitium ad assensum conclusionis.

Confirmatur. Si intellectus necessitaretur ad assensum conclusionis ex vi præmissarum, etiam necessitaretur ad continuationem assensus: sed hoc esse falsum patet in ipso intellectu, qui facile distrahitur ab assensu præstito conclusioni, & ab eo cessat: ergo &c. Secundò, ex præmissis evidentibus potest sequi conclusio directa in *Barbara*, & conclusio indirecta in *Baralipson*: ergo, cum præmissæ sint indifferentes ad utramque conclusionem, pertinet ad voluntatē determinare, quam velit inferri. Sed conclusio indirecta, quæ sequitur ex præmissis evidentibus, potest negari; & ob id datur ars, quæ syllogismi indirecti redeuntur ad directos: ergo &c.

20. Secunda sententia communior docet intellectum necessitari quoad exercitium ad assensum conclusionis; posse tamen indirectè impediri à voluntate, quæ non necessitatur ad attendendum, & cogitandum de præmissis. Ita plures quos citat, & sequitur Parra hic dub. 5. Oviedo cō-

trov. 9. puncto. 4. S. Thoma quæst. 24. art. 3. docetur à D. Thoma 1. p. quæst. 82. art. 2. dicente: *Quod naturaliter ex necessitate inheret intellectus principijs, & conclusionibus habentibus necessariam connexionem cum illis.* Vide S. Doct. 1. 2. quæst. 17. art. 6. ubi uberius, & expressius tradit hanc sententiam. Ibi distinguit duplicem applicationem intellectus, unam ad attendendum objecto; alteram ad assentiendum illi. Et dicit primam esse in potestate voluntatis; non autem secundam, quia est naturalis & necessaria, quando objectum est evidenter verum.

A ratione probat Mag. à S. Thoma, quia præsentè objecto, & lumine irradiante, oculis apertis, nequit voluntas nostra impedire visionem; unde tunc visio est necessaria quoad exercitium: ergo dum intellectui est præsentè objectum conclusionis irradiatum luce præmissarum evidentium; nequit voluntas impedire directè assensum conclusionis. Patet consequentia à paritate, quæ valet, quoniam intellectus est oculus animæ. Rursus ratio antecedentis, & consequentis est eadem, nempe quod omnia, quæ concurrunt ad visionem ocularem, sunt agentia naturalia, ut oculus, lumen, objectum; quare semel

mel applicata, agunt necessario: at etiam in assensu conclusionis omnia quæ concurrunt, naturalia sunt, ut intellectus, lumen præmissarum, & objectum: ergo semel applicata agunt necessario; nec potest effectus impediri directè à voluntate. Indirectè quidem potest, vel retrahendo intellectum ab assensu præmissarum, vel distrahendo aliò intellectum.

21. Nostra sententia est cum DD. sententiæ secundæ quæ expressa est in N. B. Egidio in 2. Sentent. distinct. 24. par. 1. q. 1. art. 2. ubi ait: *Conclusio non voluntariè, sed necessario sequitur ex præmissis.* Id probat ex definitione syllogismi, qui est oratio, in qua præmissis positis, necesse est aliud sequi ex eo quod sic positæ sūt. Tradit insuper ibi doctrinam allegatam ex D. Thoma pro secunda sententia. Unde pro isto asserto habemus concordem mentem utriusque Beati Doctoris.

Accedit autoritas P. N. Augustini cap. 3. Dialecticæ, cujus verba dedimus num. 14. ubi positis his præmissis quisquis ambulat, movetur: sed iste homo ambulat, dicit: *Ille summa sequitur, quæ jam necessario concedatur, id est, igitur homo iste movetur.* Ea dicit quod intellectus necessario tenetur

concedere hanc summam, sic vocatur ab antiquis conclusio, quoniam in ea resumitur, & quasi breviatur integer discursus præmissarum. Ergo non liberè, aut contingenter intellectus assentitur, sed necessario. Et quod hic sermo sit de necessitate quoad exercitium, patet ex verbis P. N. qui non dicit, quod conclusio illa debeat concedi, sed quod actu concedatur, & necessario concedatur. Necessitas autem actus est necessitas quoad exercitium.

22. A ratione probatur eadem sententia in hac demonstratione, aut syllogismo identico. *Omnis homo est animal: sed Petrus est homo: ergo Petrus est animal.* Qui concedit majorem hujus syllogismi, concedit quod animal convenit subjecto homini, & omni contento sub homine: rursus qui concedit minorem, concedit quod Petrus continetur sub homine: ergo non potest dissentire huic propositioni: *Ergo Petrus est animal; nec potest ei non assentiri.* Patet consequentia, quia implicat quod intellectus simul assentiat huic *Petrus est homo*, & huic *Petrus non est homo.* Non enim duo contradictoria possunt esse simul vera, nec simul assentiri ab intellectu. At tunc assentiretur primæ in minori; & as-

assentitur secundæ in conclusione si illam negaret, vel nõ concederet assentiendo; nam per inde est negare Petrum esse animal, ac asserere non esse animal: & asserere non esse animal, est asserere non esse hominem, cum concessũ sit omnem hominem esse animal: ergo qui non assentitur huic conclusioni *Petrus est animal*, assentitur huic *Petrus non est homo*; quæ est contradictoria minoris syllogismi dati.

Confirmatur. In syllogismo perfecto taliter inferitur conclusio, quod ab antiquis DD. & SS. PP. non ponebantur nisi solæ præmissæ, quando arguebant cum hæreticis, ut ex P. August. supra observavimus. Ergo quia conclusio ipsa virtualiter continetur in præmissis, & suapte natura sequitur ex illis. Ergo semel concessis præmissis in eis conceditur conclusio virtualiter. Patet consequentia, quia implicat assensus præmissarum, qui non sit assensus contenti in præmissis. Nunc sic. Sed qui concedit conclusionem virtualiter contentam in præmissis, nequit dissentiri conclusioni formali, nec omittere assensum illius; alioquin assentiretur vero, in præmissis virtualiter existentibus, & non assentiretur eidem vero, in conclusione existentibus.

ti formaliter; unde fortius moveret intellectum veritas virtualiter existens, quàm eadem veritas existens formaliter, quod est absurdum: ergo qui concedit præmissas necessitatur quoad exercitiũ ad assensum conclusionis.

23. Hinc facilè dissolvuntur fundamenta contraria posita num. 19. Ad 1. dicimus ex D. Thoma, & N. B. Egidio hinc allegatis, quod duplex est exercitium intellectus in ordine ad præmissas, unum est, quo illas apprehendit, & sibi applicat, ut cognoscat earum veritatem: aliud est, quo semel cognita veritate, illi assentitur. Primum exercitium est contingens intellectui, quia in eo subordinatur voluntati, à qua potest impediri, ne consideret de veritate præmissarum. Hoc facit voluntas imperando intellectui, quod se avertat à tali cognitione, & sic contingit peccatoribus, de quibus dicitur in Psalm. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* En culpatur voluntas avertens intellectum à consideratione legis divinæ. Etiam voluntas distrahit intellectum ab objecto, imperando, quod consideret, & proponat ei alia objecta, ut dicebant Hebræi Jeremiæ tristitia nuntianti, *Nuntia nobis prospera.* Ceterum semel

mel cogniti veritate, non est in potestate voluntatis impedire assensum intellectus. Quia omnia quæ ad illum concurrunt, sunt agentia naturalia, ut in simili de visione oculari dictum est num. 20. Argumentum probat primum: unde probat quod indirectè potest assensus conclusionis impediri à voluntate: & hoc concedimus. Nil probat de secundo, & in eo stat sententia nostra dicens, quod semel cognitis præmissis, & illatione conclusionis, necessitatur intellectus ad assensum, nec sic potest impediri, ut dictum est.

Ad confirmationem dicimus conclusionem syllogismi practici esse evidentem evidentia conformi rationi, sed non evidentia conformi appetitui. Quare cum voluntas in operando non semper sequatur rationem, sed appetitum; ideò aliquando agit oppositum conclusionis practicæ evidētis. In speculativa sola ratio attenditur, non appetitus: & ideò conclusio evidens speculativa petit assensum necessarium, quem nõ petit practica. Vel dic, quod voluntas in sensu composito evidētis conclusionis practicæ nunquam agit oppositum, sed peccat, quoniam appetitui cedens, retrahit imperio

suo intellectum, ne consideret præmissas practicas evidētes, sed syllogizet defectuosè in quatuor terminis circa bonum delectabile: unde directè non impedit assensum conclusionis practicæ, sed indirectè, ut dictum est.

24. Ad secundum fundamentum respondetur ex N. B. Egidio hinc lib. 1. Poster. textu 5. quod potest intellectus malè dispositus cognoscere causam, & ignorare id, cujus est causa. Quare cum præmissæ sint causæ cõclusionis, si quis concessis præmissis, negat conclusionem, habet intellectum malè dispositum ob defectum Logicæ, & artis doctoris bonitatem consequentia. Si tamen intellectus cognoscat præmissas, ut causas conclusionis, iste nequit assentiri præmissis, & non assentiri cõclusioni. Hinc fit quod, attendente natura intellectus, assensus conclusionis est necessarius, ut dicit nostra sententia; sed per accidens ob malam affectionem, & tarditatẽ intellectus in cognoscendo præmissas, ut causas conclusionis, sequitur quod eis concessis negetur conclusio, & quod necessarius sit habitus ad assentiendum conclusioni. Sic apud omnium sententiam intellectus est necessitatus ad assentiendum primis principijs

776 LIB. VII. ET VIII.
pijs. Et tamen datur lumen principiorum, quod est habitus, additus intellectui pro tali assensu. Et refert N. B. Egidius, quod Parisijs fuit quidam, constanter negans hoc principium *Totum est majus sua parte*. Habebat certe intellectum male dispositum. Idem dic in casu nostro.

Ad 1. confirmationem dic, quod continuatio assensus conclusionis pendet ex continuatione assensus præmissarum; & continuatio ista pendet ex voluntate potente intellectum applicare ad alia objecta. Hinc nil contra nos: quoniam concedimus voluntati plenum dominium sic applicandi, vel distrahendi intellectum. Ceterum semel applicato intellectu, jam quidquid sequitur, necessarium est, nempe assensus veri, dissensus falsi.

Ad 2. confirmationem dic, quod ex præmissis bene dispositis, naturaliter sequitur conclusio directa: at potest sequi indirecta ob vitium intellectus, & ejus malam affectionem, aut tarditatem. Cumque hæc prava dispositio sit corrigenda per artem, datur ars reducendi syllogismos indirectos ad directos & facilitandi ad directos. Nec hic intervenit voluntas determinans, ut contendit con-

LOGIC.
firmatio, sed ars adjuvans naturam perentem conclusionem directam. Ergo sicut hæc petitur à natura; sic necessitas ejus illationis naturalis est, & quoad exercitium necessaria.

§. IV.

Explicantur species, & partes demonstrationis, & ad illam præcognita, & prænotiones.

25. **D**emonstratio alia est *Propter quid*, alia *quia*. Has duas species demonstrationis assignatur à DD. cum Philosopho hic. Prima est à priori, & per causam, quando videlicet in conclusione infertur effectus aliquis, & probatur per præmissas, in quibus est causa talis effectus. Supponamus calorem esse causam siccitatis. Hæc est demonstratio à priori. *Omne calidum est siccum: sed ignis est calidus: ergo ignis est siccus*. Vbi nota, quod cum quatuor sint genera causarum, nempe materialis, formalis, efficiens, & finalis, per omnes potest aliquid demonstrari à priori, demonstratione *Propter quid*. Quoniam autem Deus nullam habet causam, nulla potest esse de Deo demonstratio à priori. Nihilominus

QVÆST. III.

§. IV 777

minus probatur à priori intellectualitas ex immaterialitate; eò quod est ratio formalis à priori inferens illam; quæ quoniam causa non est, sed ratio; ideò est dubium, an ille syllogismus debeat dici demonstratio, an non? Sed lis est de nomine, pro qua vide dicta hæc num. 8.

Ob id etiam essentia ejuscumque rei non potest à priori probari de illa re; immò nec prima principia, & veritates immediatæ, sic possunt demonstrari. Ratio est, quia nullum est medium quod sit prius, & vera causa, unde comprobetur evidenter. Quapropter pro talibus demonstrandis solùm est recursus ad demonstrationem *quia*, & à posteriori, quæ ideò est utilissima inscientijs, quæ non ita frequenter demonstrant à priori, sicut à posteriori, & per effectus. Immo cum demonstratio procedat ex *notionibus*, ut dictum est: & nobis effectus sint notiores, quam causæ; nam videmus effectus, & latent nos causæ eorum: ideò ex visione effectuum movemur indagare causas, & sic procedimus à posteriori, de effectu ad causam.

26. Hinc est etiam quod prima passio objecti scientiarum non potest demonstrari à priori, sed à postero-

ri. Ratio est, quia pro demonstratione tria requiruntur, nempe subjectum, de quo demonstratur aliquid; res, quæ demonstratur de subjecto: & medium, quod est causa ejus quod demonstratur. Atqui pro prima passione subjecti, nulla datur causa, quæ sit medium ab utroque distinctum: ergo prima passio à priori est indemonstrabilis. Supponamus risibilitatem esse primam passionem hominis: hæc à priori probatur sic: *Omne animal rationale est risibile: sed omnis homo est animal rationale: ergo omnis homo est risibilis*. Medium est distinctio hominis nempe *animal rationale*. At hoc medium non est distinctum à subjecto, nempe ab homine: ergo non est medium demonstrativum. Ob id Gavardi vocat hunc syllogismum identicum, renuens concedere demonstrativum. Contradicit Godoy cum alijs, de quo vide num. 8.

Demonstratio *quia* est demonstratio à posteriori, & per effectus, in qua effectus ponitur in præmissis, & ex illis infertur causa in conclusione v.g. *Omne quod movetur in mundo, ab alio movetur: sed non datur in moventibus processus infinitum: ergo deveniendum est ad primum motorem immotum*. Sic probatur existètia Dei primi motoris immobilis, ut dicemus

7. Physic. & probatur ex creaturis. Huiusmodi probatio utilissima est, immo nobis necessaria, ut docet P. N. Aug. 4. de Genesi ad litt. cap. 32. ubi ait: *Mens itaque humana prius hæc, quo facta sunt; per sensus corporis experitur, eorumque notitiam, pro infirmitatis humane modulo capit, & deinde querit eorum causas.*

27. Explicatis speciebus demonstrationis, restat exponere partes eiusdem. Hic non est opus plura cumulare, quoniam demonstratio est artefactum logicale, quod in ratione argumentationis non differt, ab alijs syllogismis topico, & sophistico, cum quibus convenit ratione formæ, & à quibus differt solum ratione materiæ, ut ex diffinitione demonstrationis data constat. Quare cum in Summulis abundè explicatæ sint partes syllogismi, idem de demonstratione, nempe eius partes proximas esse præmissas, & conclusionem cum nota illationis; partes autè remotas esse terminos, qui sunt tres, nempe duas extremitates, quæ in conclusione ununtur, & mediū, cum quo extremitates ununtur in præmissis. Restant explicanda præcognita, & prænotiones: pro quibus supponenda est vera sententia Aristot. de eo quod scientiæ dantur, & de novo

acquiruntur. Hæc media sententia Physic. supponenda est contra duas extremas; quarum brevem notitiã hæc dabimus.

28. Prima sententia fuit Heracliti, & Cratylī doctentium nullam esse in nobis scientiam, aut veram cognitionem; nec posse à nobis aliquid certò sciri. Hoc dogma amplexati sunt Academici, de omnibus dubitantes, nihilque certum esse defendentes. Hos impugnavit P. Augusti tribus libris, immediate post Baptismum scriptis, ubi apparet quale erat adhuc in limine gratiæ acumen ingenij Augustiniani. Refellitur hic error ex ipso dogmate erroneo. Quoniam vel certum & verum est nihil esse certum; vel hoc non est verum: si non est verum? Ergo contradictorium verum est, nempe aliquid certò sciri. Si verò dogma Academicum est verum: ergo jam datur aliquod verum, certò scibile, & de eo datur scientia.

Per oppositum Plato docebat dari scientias, easque esse infusas nobis à cōceptionis instanti; nec eas posse de novo acquiri. Has ponebat derivatas in mente nostra ex ideis, quas dicebat necessarias ad generationem, & scientiam. De eius mente satis dictum est lib. 3. quæst.

Nunc solum restat ponere fundamentum, quo negabat scientias de novo acquiri. Nam cum querimus scire aliquid, vel illud scimus, vel illud ignoramus. Si scimus? Ergo ante acquisitionem scientiæ habemus scientiam. Si illud ignoramus? Ergo etiam si obvium fuerit, quod querimus, non invenimus ut si quisquerat hominem sibi ignotū, non inveniet, etiã si obvium habeat. Hoc fundamentum solvitur ab Aristot. hic dicente, quod ante scientiam conclusionis, in qua prædicatur passio de subiecto scientiæ, habemus quidem prænotionem aliquam tui subiecti; tum passionis, quæ affirmatur de subiecto, tum etiam præmissarum, ubi adest illud primū principium, unde infertur cōclusio. Quare non querimus plene ignotum; alioquin nō inveniremus, ut bene arguit Plato. Nec querimus plene notum, alioquin superfluum esset querere, & indagare. sed prænotum semiplene, & virtualiter in præmissis, querimus plene notum in conclusione demonstrata. Hæc solutio, quæ est etiam P. Augustini allegati lib. 1. Logic. quæst. 1. num. 4. qui lib. 10. de Trinitate cap. 2. dicit: *Nullus itaque amat incognita, etiam cum appetit scire*

quod nescit, aut enim genere notum habet, quod amat, idque nosse expetit etiam in resingula &c. Mutà verbum amat, & loco illius pone querit: habebis in Augustino solutionem datam. Hæc ergo solutio traditur ab Aristotele sequenti asserto, quod habetur hic textu.

29. *Omnis doctrina, & omnis disciplina intellectiva, ex præcedenti fit cognitione, en non querimus ignotum, sed querimus jam notum, quia omnis doctrina, quam querimus, fit ex præcedenti cognitione eius, quod querimus scire modo explicato in solutione. Et observa quod Philosophus agens de generatione scientiarum, procedit sicut agendo de generatione rerum: semper medius inter extremos errores. De generatione fuerunt duo errores, nempe, unus eorum, qui dicebant nihil de novo generari; quia ex nihilo nihil fit. Unde ponebant formas latitare in materiis, & solum detegi de novo; sicut Platonici posuerunt scientias ab initio infusas nobis, & solum detegi de novo per reminiscentiã. Alter fuit error eorum, qui ponebant omnia fieri ex nihilo in aet. Aristoteles hunc medium utrumque errorem, dicit omnia generari ex materia, quod est sens in potentia. Et etiam*

citea acquisitionem scientia-
 rum medius dicit, scientias acqui-
 ri nō de objecto scito in actis,
 nec de objecto plenē igno-
 to, sed de objecto virtualiter,
 & quasi potentialiter cognito.
 Hinc fit, quod cum scien-
 tia acquiratur per demonstra-
 tionem, qua probatur aliqua
 conclusio: si ante scientiam
 de objecto conclusionis jam
 objectum est aequaliter no-
 tum, ante demonstrationē de-
 bent dari aliqua præcognita:
 & cum hæc præcognita de-
 beant nosci aliqua cognitio-
 ne, oportet explicare hanc
 prænotionem, vel cognitionē.
 En necessitas agendi de præ-
 cognitis, & prænotionibus.
 30. Antequam illa
 designemus, oportet explica-
 re assertum Arist. *Omnis doctrina,
 & omnis disciplina &c.* Adverte
 cum N. B. Egidio hinc discrimen
 doctrinæ, & disciplinæ.
 Eadem cognitio objecti, in do-
 cete est doctrina, in discipulo
 addiscete est disciplina: Qua-
 re, ut omnem cognitionem
 comprehendat Philosophus
 tum docentis, tum addiscētis,
 dicit *Omnis doctrina, & omnis dis-
 ciplina.* Addit intellectiva, quia co-
 gnitio sensitiva, hoc est habi-
 ta per sensus, nō fit ex præce-
 denti cognitione; quare ex-
 cluditur cognitio sensitiva ab
 illo asserto. Philosophi
 Ratio huius asserti pro-
 ponitur sic ad D. N. hic: *Omnia*

cognitio, vel est conclusio
 vel principiorum. Si conclusio
 bonum? Supponit cognitio-
 nem principiorum, unde in-
 fertur conclusio. Si est princi-
 piorum? Supponit cognitio-
 nem via sensus, memorie, &
 experientie. Unde non po-
 nendo unam cognitionem
 sequi ex alia, datur proces-
 sus in infinitum, sic Jordo
 disponendus est. Conclusio
 supponit cognitionem prin-
 cipiorum, unde fit: principia
 cognoscuntur cognitione se-
 cuta ad memoriam, & expe-
 rientiam: & memoria & ex-
 perientia sequuntur ex co-
 gnitione sensitiva per sensus.
 Hic fititur, quia cognitio sen-
 sitiva non supponit aliam co-
 gnitionem: sed solum præsen-
 tiam objecti sensibilis per vi-
 sum, auditum &c. Quo ve-
 rificatur illud dogma certum,
 quod omnis cognitio nostra
 incipit à sensu: non autem ab
 ideis, ut voluerunt Platonici.
 31. Jam verò, qua
 prænosci debent ante scien-
 tiam, & demonstrationem, sū-
 tria, nempe subjectum, passio,
 & principium, per quod pas-
 sio probatur de subjecto. Au-
 di D. Thomam angelicam clar-
 ritate hoc exponentem, &
 probantem 1. Rost ubi dicitur
 dicit sic: *Est sciendum, quod id
 cuius scientia per demonstrationem
 queritur, est aliqua conclusio, in qua
 propria passio de aliquo subjecto præ-*

dica

tratur: quia quidem conclusio infer-
 tur ex aliquibus principiis. Et quia
 cognitio simplicium per se dicitur cogiti-
 onem compositorum, nec esset, quod
 antequam habeatur cognitio conclu-
 sionis, cognoscatur aliquomodo sub-
 jectum, & passio. Et similiter oportet
 quod ante cognoscatur principium, ex
 quo conclusio infertur, cum ex cogiti-
 one principij conclusio inferatur.
 Obiō Eundem conclusionem
 nostri debent subjectum, & pas-
 sio prædicata de subjecto. Ra-
 tio est quia simplicia debent
 cognosci ante composita; si-
 cut habent esse prius simpli-
 cia, quam composita; & co-
 gnoscitur sequitur ad esse: sed
 conclusio est composita, nam
 est propositio: subjectum au-
 tem & passio sunt simplicia,
 quia sunt termini conclusio-
 nis, & terminus quid simplex
 est: ergo ante conclusionem
 debent prænosci subjectum, &
 passio. De principio est alia
 ratio. Nam ex cognitione prin-
 cipij sequitur conclusio: ergo
 nisi principium sit præcogni-
 tum, non potest conclusio co-
 gnosci. Hanc rationem dedit P.
 N. Augusti lib. de Quantitate
 Animæ cap. 6. dicens: *Quomo-
 do possit adseminari, que concludi-
 tur, per se, nisi prius aliquid con-
 celeatur. Concedat autem quid possit
 quod nesciretur. Et ita ista ratio, nisi
 inveniret in me aliquid cognitum, quo
 dicitur ad incognitum ducere, nihil*

omnino potest illi dari discerni; nec illam
 propriam rationem nominari. Quam-
 obrem frustra nihil non assensuris an-
 te rationem necessario esse in nobis
 aliquam scientiam, unde ratio sumat
 exordium. Sic enim vocat conclu-
 sionem: & scilicet hinc ap-
 pellat quod nos prænotionem,
 quoniam ex præcognitione cau-
 sator scientia. Ob id etiam libe-
 ro de Trin. cap. 1. dicitur: *in
 pressam cuiuscumque in animo habito
 remus notitiam, nullo ad eam discen-
 dam studio fragyremus.* Hic adverte
 que contra numerum præco-
 gnitorum obijciuntur, quod
 doctrina data est de præco-
 gnitis ante demonstrationem,
 si vetò assignentur præcogni-
 ta in discursu demonstrationis,
 erunt quinque, scilicet
 subjectum, passio, principium,
 medium, & bonitas conse-
 quentia. Tria prima jam pro-
 bata sunt. Reliqua patet, quia
 dum actu fit demonstratio, sub-
 jectum, & passio identifican-
 tur cum medio in præmissis
 ergo debet ante conclusionem
 prænosci medium, ut cognos-
 ceatur talis identitas. Bonitas
 ante conclusionem cognoscitur
 tur præmissa inferentes, con-
 clusionem, sed illam inferunt
 quia consequentia est bonitas
 ergo debet prænosci bonitas
 consequentia. Hæc sunt quæ
 in actuali decursu demonstra-
 tionis præcognita sunt quin-
 que.

farium. Nam scientia est de conclusione demonstrata; & sic est de necessariò vero, probato ex primis, veris, notioribus &c. Sapientia est de conclusione demonstrata per altissimas causas; & sola veritas necessaria potest sic demonstrari. Intelligentia est de primis principiis cognitis sine discursu; & talia sunt necessariò vera.

Observe etiam, quòd dicta de cognitionibus, intelligenda sunt de habitibus, ut lib. 1. notatum est, quia nullum est discrimen scientiæ actualis, & habitualis, nisi quòd actualis est cognitio, habitualis est habitus. Unde definitiones datæ pro actibus, applicantur habitibus, si dum dicitur *cognitio*, dicatur *habitus*. De intellectu negant aliqui esse distinctum habitum à potentia intellectiva. Nam sicut voluntas sine habitu distincto inclinatur ad amandum se, & bonum in communi; ita intellectus sine habitu distincto inclinatur ad assentiendum primis principiis. Nec ulla apparet indifferentia in intellectu relatè ad assensum principiorum, quæ tollatur per additionem habitus. Nihilominus tenendum cum Philosopho 6. Ethic. & cum D. Thoma ibidem dari habitum distinctum. Ratio id suadet;

quia potentia intellectiva est indifferens ad omnè verum in particulari; quare ut determinatur ad veritatem principiorum, indiget habitu superaddito. Nec est paritas de voluntate, tum quia hæc nõ determinatur per species objecti, ut intellectus, sed per se ipsam est appetitus omnis boni. Tum quia etiã in probono in particulari indiget habitibus diversis. Vide Ioann. à S. Thoma in Logica quaest. 26. art. 1.

2. Philosophus loco citato Ethic. alios duos habitus addit, qui non sunt determinati ad verum, sed indifferentes ad verum & falsum; ob idque non sunt virtutes intellectuales, quia eis potest subsistere falsitas; & virtus est *Bona qualitas mentis, quam nemo malè utitur*, ut docet P. N. August. quem omnes sequuntur. Isti habitus sic indifferentes sunt suspicio, & opinio, ad quam reducitur fides humana, quæ à plerisque non distinguitur ab opinione, licet revera distincta sit, ut patebit, tum ex utriusque definitione, tum ex medio procedendi; quia fides est assensus propter auctoritatem dicentis, opinio est assensus propter medium probativum; in opinione intervenit discursus probabilis, sed non in fide,

de, quia sine discursu credimus dictis aliorum.

Est ergo opinio *Assensus per medium topicum, vel probabile circa unam partem*. In hoc differt à scientia, quoniam scientia est assensus per medium demonstrativum; & cum medium sit certum & evidens; idè scientia est assensus certus & evidens. Rursus medium demonstrativum est verissimum, unde concludit veritatem certissimam, cui datur assensus. At opinio fit per medium probabile in utraque partem; quo fit, ut inclinet in unam partem, sed cum incertitudine, & cum formidine alterius partis: & forsam inclinatur in partem falsam. Hinc est, ut sciens per scientiam certificatur de eo quod scit. Ceterum opinans non est certus de veritate sui assensus, quare assentitur cum formidine errandi. Ob id aliqui diffiniunt opinionem sic: Est *Assensus unius partis cum formidine alterius*. Ceterum hæc diffinitio licet sit vera nobis, qui tenemus formidinem esse de essentia opinionis; alijs id negantibus non probatur.

3. Fides est *Assensus præstitus dicto propter auctoritatem dicentis*. Hæc fides est Divina si dicens sit Deus; humana si testimonium sit humanum. Quo fit, ut homo, qui fallere po-

test, & falli, non dat testimonium infallibile, sed fallibile; unde potest humanæ fidei subsistere falsum, sicut & opinioni. E contra cum testimonium Dei loquentis sit infallibile; ob id fides nostra Divina infallibilis est; immò certior quàm cognitio scientifica, & demonstrativa. Ratio horum est: quia assensus sumit certitudinem à medio, in quo cognoscimus. Sed Fides nostra Divina nititur testimonio Dei, quod est medium infallibilius quàm demonstratio scientiæ naturalis: ergo Fides Divina superat in certitudine omnes scientias naturales. Hinc fit, quòd hæc veritas *Deus est*, certius tenetur à rustico Christiano, quàm à Philosopho Gentili, quia hic illi assentitur per scientiam naturalem, rusticus propter testimonium Dei: & hoc est medium assentiendi certius, & infallibilius.

Suspicio est *Inclinatio intellectus in unam partem propter leves conjecturas*. Hinc est quòd suspicio est opinio imperfecta, eò quòd inclinatur intellectus in unam partem, ut opinio, sed cum majori formidine erroris, quia levi fundamento inclinatur intellectus. At suspicio perfectior est quàm dubitatio: hæc diffinitur *Cognitio objecti in utramque partem sine demonstratione*. Quare cum suspi-

cio determinet intellectum in unam partem, tollit imperfectionem dubietatis, qua laborat intellectus dum pendulus utrimque manet.

4. Hic dabitur de opinione, an essentialiter habeat annexam formidinem alterius partis? Negat Durandus quæst. 1. Prologi art. 2. ibidem N. Argentinas, & N. Michael à Massa, impugnatus à N. Arimin. quæst. 2. Prologi art. 4. Probatur hæc sent. ex Aristot. 1. Post. textu 44. dicente: quod de eodem objecto in diversis subjectis potest esse scientia, & opinio: sed objectum scientiæ est necessarium: ergo de objecto necessario potest esse opinio. Nunc sic. Si opinio de objecto necessario haberet adjunctam formidinem, non esset opinio, sed error: ergo quia opinio talis non est adjuncta formidine. Probatur antecedens. Habere formidinem in assensu, est putare objectum ejus posse aliter se habere: sed putare de objecto necessario, quod possit aliter se habere, est error: ergo si opinio &c.

Secundò, si de hoc objecto necessario *calum est incorruptibile*, haberemus opinionem cum formidine, ille assensus simul esset verus, & falsus: sed hoc implicat: ergo id ex quo sequitur. Probatur maj. Nam in primis ille assensus simul esset ve-

rus, cum esset de re vera. Deinde non esset verus, quia per formidinem judicarem quod objectum potest aliter se habere, & hoc non est verum, sed falsum.

Tertiò sequeretur quod qui habens scientiam de objecto, colligit rationes probabiles pro eodem objecto, destrueret scientiam: at hoc est falsum: ergo. Probatur maj. Qui colligit rationes probabiles pro objecto, colligit rationes pro opinione, unde si opinio includit formidinem, colliguntur rationes pro formidine: sed formido est destructiva scientiæ; cum scientia sit assensus certus excludens omnem formidinem: ergo qui &c.

Quartò, si opinio habet annexam formidinem, qui multiplicat rationes topicas pro opinione, auget formidinem: at hoc esse falsum docet experientia, quia eò minor est formido assensus, quod plures ad sunt rationes pro illo: ergo &c. Confirmatur. Nam etiam sequeretur, quod eo magis quis vellet formidare, quo vellet opinari; quod patet esse falsum.

Quintò, si opinio includeret formidinem, non esset dispositio ad scientiam: sed juxta Aristot. & veritatem rationes probabiles disponunt ad scientiam: ergo quia opinio non

non includit formidinem. Probatur maj. Dispositio ad formam non est contraria formæ: sed formido est contraria scientiæ excludenti omnem formidinem: ergo.

Tandem Aristot. 7. Ethic. cap. 3. dicit: Quosdam ita adherere suis opinionibus, sicut alij adherent conclusionibus demonstrativis: sed in his nulla est formido: ergo neque in illis opinionibus. Urgetur: quia aliqua sunt opiniones, ita communiter ab omnibus receptæ, & confirmatæ, ut de illis nulla sit formido, & dubitatio. Ergo quia de essentia opinionis formido non est.

5. Contraria sententia est communis, & traditur à Capreolo, plura loca D. Thomæ colligente, ubi expressè docetur à S. Doct. Eam docet etiã N. B. Agidius in 2. Sentent. dist. 1. par. 1. quæst. 1. art. 3. ad 2. & ab utroque Doctore docetur cum Aristot. 1. Poster. textu 44. usque ad finem libri. Eam Interpretes communiter tradunt, sed non explicant uniformiter. Quare Avicena lib. 6. Naturalium part. 5. cap. 1. diffinit opinionem sic, est *Conceptio ad quam acceditur cum formidine alterius partis*. Et Linconensis diffinit sic: *Est acceptio minus partis cum timore alterius*.

Probatur multis hæc sententia à N. Ariminenfi ubi su-

prà: nobis breviter hæc sententia suadenda est sic: Mediū ducens ad assensum opinativum, movet cum formidine alterius partis: ergo assensus sequitur essentialiter est formidolosus. Patet consequentia, quia talis est effectus, qualis est causa. Antecedens probatur. Medium opinativum non habet necessariam connexionem cum objecto assensus; in hoc enim differt medium probabile à medio demonstrativo, quod hoc habet necessariam connexionem cum re demonstrata, secus illud: sed quoniã medium demonstrativum habet necessariam connexionem cum re demonstrata; ideo movet ad assensum sine formidine: ergo à contrario, quoniã medium topicum non habet necessariam connexionem cum objecto, movet cum formidine ad assensum illius.

Urgetur. Quod medium est magis connexum cum objecto, eò firmiorem inducit opinionem, & minus formidolosam. Patet etiam experientia, quod quando pro aliqua opinione concurrunt plures rationes probabiles, eò redditur probabilior, & minori formidine erroris assentimur: sed medium opinionis nunquam est evidenter, & necessariò connexum cum objecto; alioquin non jã opinativum medium esset, sed

demonstrativum: ergo nunquā sic movet ad assensum, ut non inducat aliquam formidinem.

6. Tertia sententia volens utramque conciliare, docet quod formido potest stare dupliciter, nempe ex parte medij inclinantis ad assensum, & ex parte effectus relictī in subiecto vi assensus. De prima formidine dicunt hi DD. esse essentialē opinioni. De secunda hoc negant, quia plura credimus sine formidine, v. g. Romam esse; item multis assentimur sine formidine, v. g. huic *Omnis mater diligit filium suum*. Rursum cum detur evidentia moralis, quæ non sufficit ad scientiam, ut supra dictum est; illa comitatur opinionem: sed evidentia moralis excludit formidinem à subiecto: ergo opinio sic moraliter evidens, & certa, nō habet adjunctam formidinem.

Noster Villanova hīc distinguit in opinione duos actus, unum directum, quo quis assentitur objecto probabili: alterum reflexum, quo intellectus videt objectum posse aliter se habere. Utërque est formidolofus. Ceterum sine reflexo potest esse opinio, & hoc suadent motiva primæ sententiæ. At semper est formido in actu directo, & hoc probant fundamenta secundæ sententiæ.

7. Ex his sententijs no-

stra sit secunda cum DD. num. 5. allegatis. Nec ei contradicunt tertia, & quarta sententia, quæ forsan sunt explicationes secundæ. Id nobis tenendum est medium opinativum non habere necessariam connexionem cum objecto; item esse obsecurum relatè ad objectum, ad differentiam medij demonstrativi, quod connexionem necessariam, claram, & evidentem habet cum objecto: sed ex obsecuritate, & ex fallibilitate connexionis cum objecto, nascitur formido assensus: ergo attentō medio opinionis, inducit formidinem. Nec obest quod opinio aliquando conjungitur cum evidentia morali. Nam cum opinio sit dispositio ad scientiam, quò minus formidolosa, eò magis disponit. Unde quando est evidens moraliter, tunc est ultima dispositio ad scientiam; sed dispositio etiam ultima, non est forma ad quam disponit: ergo nec opinio sic evidens, attingit certitudinem scientiæ, quæ sola excludit omnem formidinē. Rursum illa evidentia moralis non est de objecto assensus; nam per medium probabile nunquā talis habetur: sed est de probabilitate assensus, vel de motivis extrinsecis. De quibus vide Joano. à S. Thoma in Logica; nec licet hīc apponere quæ difficulter explicantur tractatu

de

de fide circa evidentiam credibilitatis.

8. Ad fundam. primæ sententiæ posita num. 4. respondemus concedendo primum syllogismum, & neg. antecedens subsumptum. Ad probationem antecedentis dic, quod formido assensus de objecto necessario, non est actus reflexus judicans objectum necessarium posse aliter se habere. Hoc enim iudicium error est; non opinio, ut benè dicit arguens. Ceterum tale iudicium non est necessarium ad opinionem, ut benè notat Villanova. Consistit ergo formido illius assensus in eo quod assensus ille vi medij probabilis non est firmus, & de illius veritate dubitari potest. In hoc nullus error est. Potest tamen esse, quia sic opinans, cum per medium topicum non videat necessitatem objecti, potest iudicare objectum illud posse aliter se habere, quod si iudicet, errat: sed non est necessarium tale iudicium, ut dictum est.

Ad 2. dic, quod assensus de objecto necessario, ut sit opinativus, non indiget iudicio de eo, quod objectum potest aliter se habere; alioquin semper esset falsus. Indiget iudicio de eo quod assensus ille nō est certus, & de illius veritate dubitare possumus. At hoc est solum reflectere supra im-

perfectiōnem intellectus opinantis, & medij opinativi, quod fit sine errore.

Ad 3. dic, quod qui habet scientiam de objecto, non colligit rationes probabiles pro opinione de eodem objecto; nam de eodem non dantur in eodem intellectu scientia, & opinio, ut dicemus. Colliguntur rationes illæ, ut patet in Aristot. qui postquam demonstravit aliquam conclusionem eandem probat rationibus topicis, & aliquando ab auctoritate Philosophorum, quæ facit fidem humanam: colliguntur ergo primò, ut removeatur prohibens impedimentum scientiæ. Sic Theologi veritates revelatas de fide, probant rationibus, ut eis removeant impedimenta fidei. Secundò, ut in discipulis disponant ad scientiam, quod faciunt generando in eis opinionem, & disponendo ad demonstrationem, qua generatur scientia, & ea generata, cessat in eis opinio. Unde nunquam sic colligens rationes, destruit scientiam, sed alios disponit ad ipsam.

9. Ad 4. respondet N. Gregorius instando. Nam formido sine dubio est de essentia suspitionis: & tamen crescentibus conjecturis, crescit suspicio, sed minuitur formido: ergo licet de essentia opinionis sit formido, multiplicatis

tis

ris rationibus, crescit opinio, sed formido minuitur. Similiter difficultas est de essentia continentia: & tamen multiplicatis actibus, crescit continentia, & minuitur difficultas. Dicede respondemus, quod formido est quid distinctum ab opinione, sed ei adjunctum essentialiter; quare non crescit, vel decrevit cum opinione, sed potius quæ augent opinionem, minuunt formidinem. Inde non sequitur, quod aliquando opinio sit sine aliquo gradu formidinis, ut ex dictis exemplis patet. Hinc patet ad confirmationem.

Ad 5. dic cum N. Gregorio quod dispositio per se talis, nunquam est contraria formæ, ut calor respectu ignis. At dispositio per accidens talis, est contraria formæ. Sic juxta Aristot. 2. Ethic. cap. ultimo, virtutum contrarium aliquando disponit ad virtutem mediam, v. g. avarus si tendit in prodigalitate, disponitur ut sit liberalis. Et dum quis est in uno extremo, deflectit in aliud, ut maneat in medio. Opinio est dispositio per accidens ad scientiam.

Ad Aristotelem dic ibi nomine opinionis intelligere ignorantiam prave dispositionis. Affert enim exemplum Heracliti dicentis omnia esse in continuo motu. Nec hoc putabat

probabile, sed necessarium; quare non habebat opinionem, sed errorem, & ignorantiam prave dispositionis: unde nil mirum si nullam habebat formidinem. Ad aliud dic illas opiniones communes excludere formidinem de probabilitate, quia putantur certo probabiles. At non excludunt formidinem de objecto opinatos; quia experientia docuit tales aliquando falsificari. Communis fuit opinio antiquitus nullos esse Antipodas; terram Zonam esse inhabitabilem; & multa similiter opinata. Sed experientia magistra tales opiniones evanuerunt, & falsificatae sunt. Quod in moralibus passim videmus opiniones damnari ab Ecclesia, ut falsas, quæ sine formidine putabatur à DD. certo probabiles.

§. II.

Deciditur an scientia, & opinio circa idem objectum possint esse in eodem intellectu.

10. **N**ON est dubium, an in eodem intellectu possit esse scientia & opinio de diversis objectis, quia id conceditur ab omnibus cum Aristot. 1. Poster. textu 44. & patet, quia possumus habere scientiam de eo quod homo

mo est risibilis, & opinionem de eo quod mundus potuit esse ab aeterno. Nec dubitatur, an de eodem objecto possit esse scientia, & opinio in diversis subjectis: nam Philosophus, & Sapiens scit Solem esse majorem terra, quia hæc veritas demonstratur: rusticus tamen id audiens à viro docto, solum habet opinionem hujus asserti. Tandem nulli dubium quod de eodem objecto in eodem intellectu potest esse scientia, & opinio in diversis temporibus, nam in me plures assensus possunt esse logicales, aut alterius objecti per rationes probabiles, qui generant opinionem, & me disponunt ad scientiam, & demonstrationem de eodem objecto, quam habeo post opinionem.

Est ergo difficultas de scientia, & opinione de eodem objecto in eodem instanti. Hæc difficultas ex duplici capite potest desumi. Primum an in eodem intellectu possit esse simul duplex cognitio ejusdem objecti? Ceterum in hoc sensu non disputatur hic, quia nil speciale est pro scientia, & opinione, cum sit eadem difficultas in pluralitate quorumcumque actuum. Secundò ex claritate scientiæ, & obscuritate opinionis; ex certitudine, & incertitudine; ex securitate, & formidine, quæ comitantur scientiam,

& opinionem, ob idque videntur incompatibiles in eodem intellectu. Difficultas hæc hic deciditur hoc sensu: sed observata triplicem fieri combinationem: nempe comparando actum scientiæ cum actu opinionis; rursus habitum cum habitu; tandem habitum unius cum actu alterius. Major est difficultas in comparatione utriusque actus, unde de illa erit præcipua decisio, & inde ad alias patebit solutio.

11. Prima sententia affirmat utrumque actum esse compatibilem. Ita ex Antiquis S. Bonaventura, Alensis, Albertus Magnus, Altifiodorësis citati à P. Valentia 2.2. disp. 1. q. 1. puncto 4. ex nostris Argentinas, Toletus, Massa, & alij citati à Villanova hic. Ex Thomistis Cabero, Moneda, & alij. Videtur mens D. Thomæ in 3. Sent. dist. 31. q. 2. art. 1. quæstionum. 1. ad 4. ubi ait: *Opinio, & scientia, quævis sint de eodem, non tamen secundum idem mediū, sed secundum diversa; & ideo possunt esse simul. Sed fides, & visio patriæ sunt de eodem, & secundum idem mediū, & ideo perfectio unius non patitur imperfectio nem alterius.* Ea S. Doctor docet scientiam, & opinionem posse esse simul. Dat rationem, quia scientia est clara, & opinio obscura; illa certa, hæc incerta sine contradictione, quia non sunt per idem mediū, sed per di-

diversa: quare licet claritas visionis beatæ pugnet cum obscuritate fidei, non sic in scientia, & opinione. Disparitas est, quia scientia, & opinio habentur per diversa media; fides, & visio per idem medium haberentur, si in eodem intellectu adunarentur.

Confirmatur ex S. Doct. i. 2. quæst. 67. art. 3. ubi ait: *Impossibile est quod cognitio perfecta, & imperfecta ex parte medij conveniant in uno medio: sed nihil prohibet quod conveniant in uno subjecto. Potest enim unus homo cognoscere eandem conclusionem per medium probabile, & demonstrativum.* Ecce opinio, & scientia de eodem objecto non possunt dari in eodem intellectu per idem medium; bene vero per diversa. Idem docuit 1. par. quæst. 58. art. 7. ad 3. & quæst. 62. art. 7. ad 3. & 3. par. quæst. 9. art. 3. ad 2. ait: *Opinio ex syllogismo dialectico causata, est via ad scientiam, que per demonstrationem acquiritur: qua tamen acquisita, potest remanere cognitio, que est per syllogismum dialecticum.* At ista est opinio: ergo simul cum scientia acquisita manet opinio de eodem objecto.

12. A ratione probatur. Quia de essentia opinionis non est formido positiva, sed negativa; hoc est quod assensus talis non sit certus: sed assensus ex se non certus, stare potest cum scientia, habente certitu-

dinem: ergo opinio & scientia de eodem objecto non sunt incompatibiles. Secundò sicut se habent præmissæ necessariæ ad assensum certum, ita probabiles ad opinativum; sed quando habemus præmissas necessarias, semper sequitur assensus necessarius: ergo quando habemus probabiles, sequitur opinativus. Ergo si eidem intellectui applicentur simul præmissæ necessariæ, & probabiles de eodem objecto, habebit simul duplicem assensum scientiæ, & opinionis.

Tertiò, quando habemus scientiam de objecto, & nobis applicantur præmissæ probabiles, istæ aliquid faciunt: sed non faciunt scientiam nec augmentum scientiæ, ut patet, qui per solam demonstrationem generatur, & augetur scientia: ergo generant, & faciunt opinionem in sensu composito scientiæ de eodem objecto. Quartò scientia & opinio se habent sicut lux Solis, & lux candelæ: sed lux utraque potest applicari eidem spatio, & eundem aërem illuminare: ergo & scientia, & opinio possunt eundem intellectum illuminare de eodem objecto.

Quintò potest eadem voluntas velle efficaciter, & inefficaciter idem objectum, ut patet in Deo respectu salutis cuiuslibet prædestinati. Potest etiam

tiam velle liberè, & necessariò idem objectum, ut patet in voluntate Christi, quæ necessariò, & liberè Deum amavit, ut docent aliqui Thomistæ: ergo poterit idem intellectus assentiri eidem objecto firmiter per scientiam, & non firmiter per opinionem. Confirmatur. Magis opponuntur gaudium, & tristitia, quàm certitudo, & incertitudo. Sed de eodem objecto potest esse gaudium, & tristitia, ut patet in Christo Domino relate ad passionem, de qua gaudium, & tristitiam habuit: ergo &c.

Sextò: Magis opponuntur iudicia de objectis contradictorijs, quàm assensus certus, & incertus ejusdem objecti: sed per diversa media coherent in eodem intellectu iudicia de objectis contradictorijs; nam ex causis naturalibus potest quis judicare iste morietur; & tamen per revelationem potest judicare iste sanabitur. Immo sic contigit Ezechia, cui dictum est *Morieris, & non vires*: quod verum erat a terentis causis naturalibus. Sed ei dictum est etiam *vives*, & ab eo creditum vi revelationis ad pro rogatione suæ vitæ per miraculum: ergo melius in eodem intellectu esse possunt assensus certus, & incertus ejusdem objecti per diversa media.

13. Contraria sententia, quæ expressa est in N. B. Eg-

dio: Poster. textu 41. est communis, & docetur à Thomistis, & Egidianis, eis demptis, qui pro prima allegati sunt. Ea colligitur ex P. N. August. locis allegandis §. sequenti, ubi negat in eodem intellectu scientiam, & fidem de eodem objecto. At non minus opponuntur scientia, & opinio, quàm scientia, & fides; quoniam illæ pugnant in certitudine, & incertitudine; istæ in claritate, & obscuritate: ergo si in eodem intellectu nequeunt esse assensus clarus, & obscurus ejusdem objecti adhuc per diversa media; sic nec certus & incertus per media diversa.

Probatur primò ex Arist. i. Poster. cap. 26. dicente: *Opinio namque, & scientia, non omnino ejusdem est.* Et rationem assignat ibi sic: *Ex his autem emergit fieri non posse, ut simul idem opinetur quisquam, & sciat, nam simul existimationem haberet, & aliter, & non aliter idem se se haberet, quod fieri nequit.* Quod explicans S. Thomas ibi, & 2. 2. quæst. 1. art. 5. ad 4. dicit: *Scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem; quia de ratione scientiæ est, quod id quod scitur, existimetur esse impossibile aliter se habere; de ratione autem opinionis est, quod id quod est opinatum, existimetur impossibile aliter se habere.* Atqui idem intellectus nequit de eodem objecto existimare posse aliter se habere, & non posse aliter se habere; quia hoc foret assentiri

duplici cōtradictorio, quod est planè impossibile, sicut impossibile est rem simul esse, & non esse: ergo scientia, & opinio de mente Philosophi, & D. Thomæ, nequeunt dari in eodem intellectu de eodem objecto.

Confirmatur ex eodem S. Doct. 1. 2. quæst. 67. art. 3. ubi ait: *De ratione opinionis est quòd accipiatur unum cum formidine alterius oppositi: de ratione verò scientiæ, quòd habeat firmam adhesionem*: sed implicat quòd idem intellectus accipiat objectum cum formidine oppositi, si aliunde habet eidem objecto firmam adhesionem: alioquin firmiter, & non firmiter adhereret eidem objecto: ergo implicat scientia, & opinio in eodem intellectu de eodem objecto. Idem docet quæst. 14. de Verit. art. 9. dicens: *Non videtur possibile quòd aliquis de eodem habeat scientiam, & opinionem; quia opinio est cum formidine alterius partis, quam formidinem scientia excludit*. Vide S. Doct. 1. Poster. lect. 44.

Expresius 2. 2. quæst. 1. art. ad 4. docet, *Quòd de eodem secundum idem non potest in uno homine esse simul scientia, neque cum opinione, neque cum fide: alia tamen, & alia ratione. Scientia enim cum opinione simul esse non potest simpliciter de eodem, qui a de ratione scientiæ est, quòd id quod scitur, existimetur esse: impossibile aliter se habere: de ratione verò opinionis est, quòd id quod est opinatum, existimetur possibile aliter se habere.* (De fide verò, & scientia subdit)

Quòd solum ex parte visi, & non visi repugnant.

14. En duplex ratio huius sententiæ tradita à Philosopho, & D. Thoma. Prima quòd implicat intellectus iudicare de eodem objecto posse aliter se habere, & non posse aliter se habere: sed si haberet scientiam simul & opinionem, per scientiam existimaret objectum non posse aliter se habere; per opinionem verò putaret posse aliter se habere: ergo implicat scientia, & opinio de eodem objecto. Secunda, quia implicat intellectum adherere eidem objecto firmiter, & non firmiter: sed per scientiam adhereret firmiter; per opinionem non firmiter: ergo &c. Vide dicta num. 15.

Confirmatur alia ratione B. Ægidij. Motivum opinionis est infirmum, & obscurum; motivum scientiæ est clarum, perfectum, & vehemens: sed motivum obscurum nequit movere in conspectu motivi clarissimi: sicut stellæ in conspectu Solis non possunt illuminare: ergo stante medio demonstrativo generante scientiam objecti, nequit medium topicum movere intellectum ad assensum opinativum. Hæc ratio probat directè, quòd ratio probabilis non generat opinionem in habente scientiam de objecto. Quòd si velis ducere ad impossibile, forma sic rationem istam. Implicat quòd idem objectum sit clarum, & non

clarum respectu eiusdem intellectus: sed si de eodem esset scientia & opinio, iam objectum idem esset clarum per medium scientificum, & non clarum per medium opinativum: ergo implicat in eodem intellectu scientia & opinio de eodem objecto.

15. Nec valet communis solutio DD. 1. sententiæ, nempe quòd hæc repugnant eidem intellectui per idem medium, sed non per diversa. Non valet, quia idem intellectus adhuc per diversa media non potest assentiri duplici contradictoria. Rursus eadem materia prima adhuc per diversa media non potest habere simul formam, & carentiã formæ: aut duas formas contrarias. Idem diaphanum nequit habere simul lucem, & tenebras, licet causentur per diversa media: ergo nec idem intellectus relatè ad idem objectum potest habere per diversa media assensum clarum, & obscurum, certum, & incertum.

Magister Sancto Thoma ubi supra explicat optimè quando diversitas medij tollit contradictionem, quando non; nam certum est aliquando tolli, at certum etiam est non semper tolli. Quare ut in presenti pateat, an tollatur, necne, oportet explicare hoc, & fundare decisionem nostram. Diversitas medij tollit contradictionem, quando media non sunt contraria, nec

causant in subjecto effectus contrarios. Sic in Beatis, & in Christo Domino est duplex scientia eiusdem objecti supernaturalis nempe visio beata, & scientia infusa: illa est intuitiva, hæc abstractiva. Sed adunantur in eodem intellectu, tum quia media contraria non sunt; tum quia non dant subjecto effectus contrarios. Sic in eadè anima Christi adunantur per formas diversas sanctitas substantialis, & accidentalis; quoniam gratia habitualis, & unio hypostatica non sunt media opposita, nec præstant subjecto effectus incōpossibiles.

Ceterum, quando media sunt contraria, & dant subjecto effectus contrarios, tunc diversitas mediorum non solvit contradictionem. Hoc patet tum exemplis datis lucis, & tenebrarum, formæ, & carentiæ formæ. Et generaliter loquendo, omnes effectus repugnantes, ut esse vivum, & mortuum; esse rationale, & irrationale &c. Omnes hi effectus oriuntur ex diversis causis, & per media diversa, ut esse vivum per animam, esse mortuum per formam cadavericam. Nec diversitas mediorum tollit à subjecto repugnantiam. Hoc idè, quia anima, & forma cadaverica, sunt media pugnantia inter se, & præstant subjecto effectus oppositos: ergo quoties media sic opposita sunt, & dant

subjecto effectus oppositos, diversitas medij non solvit cōtradictionem.

Atqui medium sciētiæ est oppositum medio opinativo, & dant subjecto effectus oppositos: ergo diversitas mediorum non solvit repugnantiam, quam inferunt rationes nostræ. Probat̄ur min. Medium scientificū est clarum, certum; & sine formidine. Medium opinativum est obscurum, incertum, & cum formidine. Hæc pugnant inter se. Rursus medium scientificū causat in intellectu assensū clarū, certum, & sine formidine. Medium opinativum causat assensum obscurum, incertū, & formidolosum: isti sunt effectus oppositi: ergo medium sciētiæ est oppositum medio opinativo, & dant subjecto effectus oppositos.

16. Quia istam sententiam putamus veriore, & nostrorum DD. menti conformiorem, ideò, ut eam teneamus, fundamenta cōtraria solvemus. Ad primam authoritatem D. Thomæ positam num. 11. respondent aliqui S. Doct. tenuisse in Sententiarijs illam sententiā, sed illam postea in Summa retractasse. Melius fortasse dicitur, quòd ibi gratis admittit illam sententiam, negans paritatem ad coexistentiam fidei; & visionis Dei, de qua erat quaestio. Hinc nil contra nos, cum

potius doctrina de coexistentia scientiæ, & opinionis admittatur à D. Thomā, ut aliena sententia, quam non probat, sed permittit disputandi gratia.

Ad confirmationem ex S. Doctore respōdemus cum Ioā. à S. Thoma, & PP. Salmant. quòd cognitio per medium probabile potest dupliciter se habere, nempe exercitè, & signatè. Habetur exercitè, quando intellectus per mediū probabile movetur assentiri objecto. Et tunc assensus est formidolosus, & incertus, quia medium movens incertum est, & inconnexum cū objecto. Habetur signatè, quando intellectus habens scientiam de objecto, non movetur assentiri objecto per medium probabile, cō quòd hoc medium nullius est virtutis ut moveat, in conspectu medij demonstrativi, ut de luce stellarum in conspectu Solis dictum est num. 14. at cognitio per illud medium probabile videt quòd objectum probabiliter suadetur. Hæc cognitio sic sumpta non est incerta, sed certissima, quia certissimum est, quòd medium probabile probabiliter infert, & suadet objectum. Aliunde cū talis cognitio non moveatur assentiri objecto vi medij probabilis, incerta non est. Immo vocari potest scientifica respectu objecti, quoniam medium demonstrativū impediens

ne medium probabile moveat, impedit movendo ad assensum certum saltem præsuppositivè; unde in habente scientiam cognitio per medium probabile signatum, est scientifica præsuppositivè. Vocatur tamen imperfecta, quoniam non procedit formaliter per medium demonstrativum, ut procedit cognitio formaliter scientifica.

Sic explicatis authoritatibus adductis in confirmatione, nec voluntaria solutione, sed de mente S. Doct. 3. par. quaest. 9. art. 3. ad 2. cessat plenè objectio. Nam concedimus quòd potest homo cognoscere eandem conclusionem per medium demonstrativum, & per medium probabile signatè, negamus exercitè, quia in conspectu fortioris motivi, nequit moveri per medium probabile. Inde nil contra nos: quia cognitio per medium probabile signatè, non est opinio, nec incerta, sed certa, & scientifica, utpote mota per medium demonstrativum præsuppositum. Dicitur imperfecta, reflatè ad formaliter scientificam, quoniam hæc solum præsuppositivè scientifica est: ceterum tam certa, quam altera, utpote eidem medio adhaerens: quod vocatur diversum, quoniam nō movet formaliter utrobiq, sed solum in cognitione formaliter scientifica.

17. Ad rationem posi-

tam num. 12. neg. maj. nam supra à num. 5. & seqq. ostensum est quòd formido positiva est de essentia opinionis. Immo hæc traditum est ex D. Thoma, & de mente Philosophi compertū est, quòd opinio habet adjunctam existimationē de eo; quòd objectum potest aliter se habere. Hoc autem nedum est carētia certitudinis, sed est positiva hæsitatio, incertitudo, & formido alterius oppositi. Quare cum certitudine scientiæ stare non potest. Ad 2. dist. consequens: ergo quando habemus præmissas probabiles, habemus assensum opinativum. Si fit in intellectu carente præmissis necessarijs, concedo consequentiam, aliter, nego consequentiā. Quia semel applicatis præmissis necessarijs, & præmissis probabilibus eidem intellectui, necessariæ movent, probabiles non movent, nec possunt in conspectu aliarū. Quare solum sequitur assensus scientificus, & minimè opinativus.

Ad 3. dic, quòd quādo habemus scientiam de objecto, & nobis applicantur præmissæ probabiles, istæ nil ex se faciunt, quia nos non possunt movere, ut dictum est. Conducunt tamen ad cognoscendum per tale mediū suaderi probabiliter objectum. Conducunt etiam, ut alijs persuadeatur probabiliter, ut removeatur prohibens, nempe ob-

blivio objecti. Et sicut in non habente scientiam disponunt ad scientiam, sic in habente scientiam, disponunt ad majus augmentum scientiæ. Ad 4. neg. min. quia candela in conspectu Solis nō lucet, nec est ratio formalis videndi.

18. Ad 5. respondemus primò instando: nam si tenet paritas de voluntate ad intellectum: ergo sicut voluntas per unum motivum potest velle aliquid, & per aliud velle oppositum; ita intellectus diversis motivis posset assentiri duplici cōtradictorio, quod omnes negāt. Item sicut diversis motivis conciliantur in eadem volūtate gaudium, & tristitia de eodem objecto, sic possent in eodem intellectu conciliari assensus, & dissensus ejusdem objecti: quod ab omnibus dicitur impossibile.

Directè respondemus, quòd duplex illa voluntas Dei non est de eodem objecto formaliter, sed de eodem identicè. Revera objecta terminativa sunt diversa, nam voluntas inefficax terminatur ad salutem D. Petri, ut consequibilem per media sufficientia. Voluntas efficax terminatur ad salutem D. Petri ut cōsequibilem per auxilia efficacia. Eadem salus ut sic, vel sic consequibilis, est duplex objectū terminativum: unde non sunt illæ voluntates de eodem obje-

cto formaliter. At scientia, & opinio, si darentur, forent de eodem objecto formaliter; immò de eis sic procedit quæstio, ut dictum est: quare non tenet paritas de voluntate.

Ad instantiam de amore necessario, & libero Christi Domini, non admittimus illam sententiam; quoniam Christus Dominus amore necessario Deum amavit regulato visione beata. Nec opus est hinc admittere sententiam, quam in præsentī pro meritis non possumus expēdere. Ad aliud de tristitia, & gaudio Christi, dic non fuisse de eodem objecto formaliter, sed de diversis: quoniam gaudebat de morte ut bona nobis ad finem redemptionis; & tristabatur de morte ut mala suæ naturæ. Hæc sunt objecta formaliter distincta, quare nil inde contra nos.

Ad 6. dic, quòd illa judicia de contradictorijs allegata, non sunt de eodem objecto, sed de diversis, quod patet, nam diversitas mediorū refūditur in objectum, ut faciat objecta distincta sic: *Iste morietur attentō ordine causarum, nisi impediatur. Iste non morietur attentā dispositione Divina impediēte causas secundas.* Hæc sunt objecta formaliter diversa; quare de eis sine oppositione potest esse assensus in eodē intellectu. At in nostro casu objectum est idem formaliter; nec diversitas mediorum refunditur in objectum

ctum, sed in solas cognitiones, ut pugnent inter se, & dent intellectui effectus oppositos, ut dictum est: ergo ex paritate nihil convincitur contra nos.

19. Deciso dubio quoad actus, restat quoad habitus. Communis sententia inter DD. allegatos num. 13. negat habitus esse compatibles. Probatur. Quia habitus inclinant in actus sibi similes: sed actus scientiæ, & opinionis, sunt incompatibiles, ut probatum est: ergo & habitus scientiæ, & opinionis. Rursus illa oppositio quæ est in actibus exercita in actu secundò, datur inter habitus in actu primo: sed inter actus est talis, ut sint incompatibiles: ergo & inter habitus. Tandem idè pugnant actus, quia habent certitudinem, & incertitudinem; claritatem, & obscuritatem: at etiā habitus habent eandem repugnantiam, quia scientia est clara, & certa; & opinio obscura, & incerta: ergo &c.

Contrariam sententiam docet Villanova hinc cum Arist. Egidio, & N. Arimin. quibus assentior. Et probatur, quia licet in eadem voluntate sint incompatibiles actus amoris, & odij de eodem objecto; non tamen potentia ad amorem, & potentia ad odium. Idem dic de quibuscumque actibus oppositis, in quibus repugnat potētia simultatis, sed non simultas potētiæ:

ergo licet actus opinionis, & scientiæ, sint incompatibiles, secus habitus uterque. Et confirmatur, nam qui acquirit habitum opinionis de objecto, si postea per demonstrationem acquirit scientiam de eodem, non destruit habitum opinionis: ergo manet in sensu composito habitus scientiæ. Antecedens probatur. Nam tales habitus nō opponuntur formaliter, ut patet, sed solū causaliter, quatenus sunt causativi actuum oppositorum: sed oppositio causalis solū impedit, ne habitus opinionis exeat in actum opinativum in conspectu scientiæ: ergo licet impediatur habitus opinativus, ne se exerceat, at non destruitur. Immò nec ejus usus totaliter impeditur, quia adhuc in conspectu scientiæ se potest exercere per media probabilia signatè, ut dictum est num. 16.

Ad fundamenta contraria dic, quòd licet habitus inclinēt, non semper sunt expediti, sed aliquando impediti; nec tunc impedimenta destrunt habitus, sed purè impediunt. Sic se habet scientia relatè ad habitum opinionis. Ad 2. dic, quòd oppositio habituum est causalis, non formalis: quare eorum actus sūt incompatibiles, non autem habitus ipsi, ut de potētia amoris, & potentia odij dictum est, quæ etiam causaliter opponuntur.

tur. Hinc ad 3. dic, quod claritas, & obscuritas habituum etiã est causalis, ab actibus derivata, & in actus similes inclinans. Hæc non se excludit mutuò ab eodem subjecto; sed mutuò se impedit, ne prorūpat in actum; in qua pugna causali, vincit scientia, quæ fortiori motivo nititur, ut exeat in actus scientificos impediendo opinativos, & permittendo solum actus per media probabilia signatè, ut dictū est num. 16. Vide num. 11. ultimam auctoritatem D. Thom. quæ confirmat hanc nostrã sententiam.

20. Restat tertiã comparatio habitus cū actu. In qua qui docent habitus esse incomparabiles, dicunt consequenter, quod habitus unius cum actu alterius non opponuntur formaliter ex natura rei; at opponuntur per accidēs. Ratio primi est, quia habitus est sola inclinatio in actum; sed inclinatio in actū opinionis v.g. ex natura rei nō opponitur cum actu scientiæ: ergo habitus unius ex natura rei, non opponitur cum actu alterius. Probatur min. Lapis per suam gravitatem inclinatur deorsum: sed cum hac inclinatione stat actualis tendentia sursum; ergo quia inclinatio in unum actum non opponitur ex natura rei cum actu opposito. Id constat etiam in habente habitum virtutis, qui potest peccare pec-

cato opposito virtuti. Et in habente fidem habitualementem, qui potest transeunter videre clarè Divinam essentiam, ut de D. Paulo docent Theologi cum D. Thoma 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 3.

Ratio secundi est, quia habitus inclinans in actus sibi similes, inclinatur in actus oppositos, quibus generatur habitus oppositus. v.g. habitus opinativus inclinatur in actus opinionis, quibus ipse generatur. Ergo qui tenet habitus inter se opponi, debet dicere, quod habitus scientiæ opponitur actui opinativo, quo generatur habitus opinativus, sibi oppositus.

21. Nostra sententia negans habitus inter se opponi, negat etiam habitum unius opponi cum actu alterius. Explicatur. Nam stante habitu opinativo, si fiat demonstratio, acquiritur scientia, quæ non destruit habitum opinativum, sed purè impedit ejus exercitiam, ut dictum est num. 19. Ergo quia habitus opinionis nō habet oppositionem cum actu scientiæ. Observa, quod habens habitum scientiæ de objecto, nequit prorūpere in actum opinativum, eò quod non sinit intellectum moveri per medium probabile. At hoc non est vi oppositionis habitus cum actu, sed vi efficaciamedij demonstrativi in movendo, quæ non sinit medium probabile

babile. At hoc non est vi oppositionis habitus cū actu, sed vi efficaciamedij demonstrativi in movendo, quæ non sinit mediū probabile movere. Sic lux Solis non sinit stellas lucere; at non ratione oppositionis, cū lux lucis non opponatur; sed ratione vehementioris virtutis illuminandi.

Observa quod sunt habitus aliqui, qui pereunt semelposito actu contrario, ut gratia, & charitas deperduntur per unicū peccatum mortale. Sunt autem alij habitus, qui non sic tolluntur, quia nec per unicum actum generantur. Sic virtutes acquisite nostris actibus, nec uno acquiruntur, nec uno opposito deperduntur, sed multis, & repetitis. Scientia, & opinio sunt habitus, qui unico actu acquiruntur, quod sanè de scientia pater, quia ejus actus plenè cōvincit intellectum, & ipsum relinquit habitualiter inclinatum ad assentiendum firmiter objecto. Hinc venit, ut sicut charitas pugnat cum actu opposito, sic scientia cum actu opinativo juxta DD. contrariã sententiã. At revera non est sic. Tum quia scientia non excludit actum opinionis vi oppositionis, ut dictum est. Tum quia nec charitas impedit peccatum, nec peccato expellitur, quia peccatum destruat habitum charitatis, sed quia impedit influxum causæ,

conservantis charitatem, quatenus avertit hominem à Deo conservante, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 12.

De dicitur an scientia, & fides possint esse de eodem objecto in eodem intellectu.

22. **N**ON est dubium de fide humana, sed de divina; nam cum humana vel non differat ab opinione, vel æquè incerta sit, & obscura, ac opinio, quidquid de scientia, & opinione dictum est, dicendum est etiam de scientia & fide humana. Est ergo dubium de divina, quæ ab Apostolo definitur sic ad Hebræos 11. *Est autem fides substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium.* Eam explicat N. B. Egidius in 2. Sentent. dist. 23. quæst. 2. art. 2. cum quo dicimus, quod fides est substantia, non quia sit ens substantiale, sed quia sicut substantia est fundamentum, & basis sustentans omnia accidentia, unde dicitur substantia à substando, vel sustentando: ita fides, quæ accidens est entitativè de genere qualitatis, vocatur substantia, quia est fundamentum, & basis ædificij spiritualis, sustentans spem, charitatem, & alias virtutes. Dicitur *sperandarum rerum,*

ad denotandum ejus objectum, quod est Deus. Ob id enim differunt virtutes Theologicae à moralibus, quoniam illae, nempe fides, spes, & charitas, habent pro objecto Deum in se. Dicitur *argumentum* ad denotandum quòd est actus intellectus. Et juxta P. N. August. lib. 2. de Peccat. meritis, & remiss. alia versio legit *convictio non apparentium*: quo denotatur non esse utcumque argumentum, sed firmum, & convincens. Dicitur non apparentium, quia fides est de non visis.

Hinc oritur difficultas, quia fides est de non visis, & de non apparentibus; scientia est de visis, de evidentibus, de apparentibus: ergo videntur incompatibiles, scientia, & fides de eodem objecto in eodem intellectu. Rursum scientia est; cognitio clara, fides est cognitio obscura: ergo pugnant in claritate, quare videntur inconjunctibiles. Ob hæc & alia disputatur hoc præcipue à Theologis 2. 2. quæst. 1. & aequaliter à Philosophis hic, cum quibus brevem aliquam discussionem dubij proponam.

23. Prima sententia, quam tenet Suárez, & aliqui Societatis, ex nostris Argentinas quæst. 2. Prologi art. 2. Lusitanus, & Puteanus, docet fidem compatibilem cum scientia de eodem objecto in eodem intellectu. Vbi observa quòd N. Argentinas

nedum loquitur de scientia abstractiva, ut sunt scientiæ nostræ naturales, sed de intuitiva, ut est visio Beatorum: quare docet quòd in Beatis manet fides, & spes quoad habitus, qui exoriant animam juxta, non tamen quoad actus, quia sic evacuantur in Patria juxta decretalem Papæ Benedicti.

Probatur hæc sententia 1. Quia Philosophus denuò conversus ad fidem, tenetur credere hanc veritatem *Deus est*: & tamen cognoscit evidenter illam per demonstrationem factam in 7. Physic. qua probatur à posteriori evidenter existentia Dei: ergo simul habet scientiam, & fidem divinam illius veritatis.

Secundò, Theologia est scientia strictè talis: sed respectu ejusdem veritatis potest dari fides, & demonstratio Theologica: ergo potest simul dari scientia, & fides. Probatur min. Pone hanc veritatem, *Datur in Christo duplex voluntas*, Divina, & humana. Hæc potest credi vi hujus testimonij Divini Christi distinguentis voluntates, dum dixit: *Non mea voluntas, sed tua fiat*. Rursum potest demonstrari sic: *Vbi cumque datur duplex natura intellectualis, præcisè datur duplex voluntas: sed in Christo est duplex natura intellectualis, Divina, & humana: ergo in eo est duplex voluntas Divina, & humana.*

Tertiò, Apostolus Paulus in raptu vidit clarè Divinam es-

sentiam: & tamen non perdidit fidem: ergo quia cum scientia data stat fides de eodem objecto. Confirmatur. Sicut fides est de non visis, ita desiderium est de non possessis: sed Angeli Beati Deum possidentes, habent desiderium, ut dicitur in Epistola Petri de Deo, *In quem desiderant Angeli prospicere*: ergo & cum visione, & scia stabit fides.

Quartò, non est de essentia fidei quòd subjectum non habeat evidentiam rei creditæ: sed hoc ipso potest conjungi scientia, & fides de eodem objecto: ergo &c. Probatur maj. Primò, quòd subjectum non videat quòd credit, est conditio se tenens ex parte subjecti: sed conditio nequit esse de essentia fidei: ergo. Secundò, quia essentia fidei consistit unicè in eo quòd sit assensus objecti propter autoritatem Dei, revelantis obscure: sed stat Deum obscure revelare, & quòd intellectus aliunde habeat evidentiam objecti revelati: ergo. Tertiò, quia de essentia fidei non est obscuritas privativa subjecti: ergo est compatibilis cum claritate scientiæ. Probatur antecedens. Fides est lumen spirituale intellectus: sed implicat quòd de essentia luminis sit obscuritas: sicut quòd de essentia lucis sint tenebræ: ergo.

Quintò ex N. Argentine sic: Lumen gloriæ, & lumen fi-

dei sunt compatibilia: ergo & fides, & visio beata. Patet consequentia, quia quando antecedentia compatiantur, consequentia compatibilia sunt: sed ex lumine gloriæ sequitur visio beata; ex lumine fidei fides: ergo si lumen gloriæ, &c. Probatur antecedens. Illa sunt compatibilia, quæ nec materialè, nec formalem habent oppositionem: ita se habent lumen gloriæ, & lumen fidei: ergo. Probatur min. In primis solum opponuntur materialiter, quæ sunt solo numero distincta, ut duæ albedines, duo calores, qui nequeunt esse in eodem subjecto. Lumen gloriæ, & fidei sunt specie diversa, unde non opponuntur materialiter.

De oppositione formali probatur sic. Quæ opponuntur formaliter, opponuntur vel privativè, vel contradictoriè, vel contrariè, vel relativè. At utrumque lumen nullo ex his modis mutuo opponitur: ergo non habet oppositionem formalem. Probatur min. per partes. In primis non opponuntur contradictoriè, & privativè, quia utrumque est ens positivum. Deinde nec contrariè, quia lumen lumini non contrariatur, sed tenebræ. Rursum sicut fides solum contrariatur infidelitati, sic lumen fidei solum contrariatur tenebris infidelitatis. Tandem non opponuntur relativè, quia sic oppo-

si a mutuo se ponunt, & mutuo se perimunt; fides autem præcedit lumen gloriæ: unde non est correlativum ejus, nec relativè opposita illi.

24. Contraria sententia est P. N. Augustini, D. Thomæ, B. Ægidij locis allegatis, & hic expendendis. Eam tenent Thomistæ, & DD. nostri, quos vide in Villanova hic. Ex alijs Scotus, Richardus, Molina, Fonseca, & est communior apud scholasticos, cum quibus dicimus primò, quòd de eodem objecto nequit dari fides, & scientia in eodem intellectu. Probatur primò ex diffinitione Apostoli data; supra quã S. Gregorius Homil. 26. in Evangelio dicit: *Vnde liquidè constat, fidem earum rerum argumentum esse, quæ apparere non possunt: quæ enim apparent, jam fidem non habent; sed agnitionem.* Et P. N. August. tractatu 40. in Joannè ait: *Quid est fides? Credere quod non vides.* Et tractatu 79. *Hæc est laus fidei, si quod creditur, non videtur.* Sed per sciëntiam apparet objectum, & dicitur videri ab intellectu, quoniam evidenter cognoscitur: ergo de objecto scito nequit esse fides.

Hoc argumento utitur N. B. Ægidius in 2. dist. 23. quæst. 2. art. 2. & D. Thomas 2. 2. q. 1. art. 4. & 5. dicens: *Fides non potest esse de visis aut secundum sensum aut secundum intellectum: & quia oportet quæcumque sunt scita, aliquo-*

do esse visa: concludit idem non posse esse scitum, & creditum. Confirmatur ex illo Joannis 20. *Quia vidisti me, Thomas, credidisti.* Vbi S. Gregorius Papa, *Aliud vidit aliud Credidit: hominem ergo vidit, & Deum confessus est.* En recurrit ad diversitatem objectorum, ne ponat de eodem objecto visionem, & fidem.

Sumpsit S. Pontifex doctrinam istam à P. N. Augustino, qui tractatu 79. in Joannem sic ait: *Ille, cui dictum est, quia vidisti, credidisti; non hoc credidit, quod vidit; sed aliud vidit, & aliud credidit. Vidit enim hominem, credidit Deum.* Eodem modo loquuntur SS. PP. ad verba illa Joannis. Ergo de mente eorum tenendum est, quòd de eodem objecto nequit esse scientia, & fides, adhuc per diversa media. Patet hæc consequentia, quia si diversitas medij sufficeret ut de eodem objecto haberemus fidem, & visionem; PP. non recurrerent ad diversitatem objectorum pro visione, & fide, dicendo aliud, & aliud.

25. A ratione probatur eadem sententia. Assensus fidei est essentialiter obscurus, quia est *non apparentium*: assensus sciëntiæ est essentialiter clarus, quia fit ex per se notis, & evidentibus: sed implicat quòd intellectus assentiatur eidem objecto clarè & obscurè, adhuc per diversa media: ergo implicat adhuc

huc per diversa media fides, & sciëntia de eodem objecto in eodem intellectu. Probatur min. Implicat quòd idem diaphanum sit clarum, & obscurum, adhuc per diversas causas, & principia. Rursus implicat quòd in eadem materia sint forma, & ejus privatio adhuc per diversas causas, & principia: ergo implicat, quòd intellectus assentiatur clarè, & obscurè eidem objecto, adhuc per diversa media. Vide dicta num. 15.

Confirmatur. Possibile nõ assentire, & non possibile non assentire, sunt modales contradictoriæ, quæ non possunt convenire simul eidem intellectui relatè ad idem objectum: sed habens fidem, potest non assentire objecto; & habens scientiam non potest non assentire eidem objecto: ergo scientia, & fides de eodem objecto non possunt stare in eodem intellectu. minor quoad 1. partem patet ex P. August. dicente, *Cum cetera possit homo non volens, credere non potest, nisi volens.* Quoad 2. partem patet, quia medium demonstrativum sciëntiæ necessitat intellectum assentiri objecto demonstrato, ut dictum est hic quæst. 3. num. 18. & seqq.

Explicatur. Assensus fidei est essentialiter liber, & meritorius in obsequium Dei, quatenus oritur ab intellectu indifferenti ad assentiendum, & determi-

nato à voluntate, quæ etiam adjuvat per piam affectionem. Id enim docetur à Theologis tractatu de fide, & colligitur ex verbis datis P. N. Augustini docentis, quòd nemo credit nisi volens. Sed qui habet scientiam, & evidentiam de aliquo objecto, non est indifferens assentire illi, nec indiget imperio voluntatis, ut assentiatur, superfluaque est pia affectio voluntatis: ergo qui habet sciëntiam de objecto nequit de illo habere fidem. Minor patet ex dictis quæst. præcedenti §. 3. ubi probatum est, quòd intellectus necessitatur assentiri objecto per præmissas necessarias demonstrationis. Si necessitatur, non est indifferens assentire, & non assentire: si nõ est indifferens, non eget imperio voluntatis, tollente indifferentiam.

Confirmatur secundò. Ita se habet fides ad evidentiam, sicut spes ad possessionem. Nã sicut spes est via, & tendentia ad possessionem, sic fides est via, & tendentia ad visionem claram; unde dicit Apostolus *Per fidem ambulamus.* Ob hæc etiam fides, & spes, sunt virtutes viatorum; & fidei datur pro premio, & termino visio beata; spei autem correspondet fruitio, & possessio, sed spes dicit in subjecto negationem possessionis, non solam per ipsum actum spei, sed per quodcumque medium

dium: ergo fides dicit privationem visionis, & evidentiae, nō solum per medium fidei, sed per quodcumque medium.

Tertiò confirmatur ex Epist. 2. Petri Apost. ubi de verbo Dei dicit: *Cui benefacitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco.* En verbum fidei est lucerna lucens intellectui, veluti loco caliginoso: sed intellectus habens scientiam de objecto, non est caliginosus relatè ad illud objectum, sed illuminatus claritate scientiæ de objecto: ergo verbum Dei non est verbum fidei relatè ad intellectum, scientia illustratum: & cōsequenter, nec stat fides cum scientia de eodem objecto. Patet hæc consequētia, quia ubi nō est motivum fidei, non est fides; motivum autem fidei est verbum Dei, intellectui applicatum ut lucerna loco caliginoso. Omittimus alia pro Theologis, ad quos spectat proluxa dubij huius decisio, & solutionum, quæ his dari solent, enervatio.

Ad fundam. sententiæ cōtrariæ posita num. 23. respondemus, & ad primum dicimus varias esse solutiones, & prolixas impugnationes, ita ut de modo quo fides de existentia Dei maneat in Philosopho, integra tractetur quæstio. Aliqui negant Philosophum talem habere fidem de existentia Dei, quia de illa habet evidentiam, & sciē-

tiam. Hæc solutio habet contra se, quod hic Philosophus deterioris conditionis esset, quàm rusticus, quod est absurdum. Probatur sequela. Nam primò rusticus haberet meritum in fide de existentia Dei, & Philosophus non posset tale meritum habere. Secundò rusticus de existentia Dei haberet assensum fidei certum certitudine fidei, Philosophus assensum scientiæ certitudine inferiori ad fidem.

Respondetur ad primum damnatum, quod meritum stat in promptitudine animi ad credendum, quod Deus dicit: hanc habet Philosophus, licet impeditus scientia, non possit credere. Quare non perdit meritum. Solutio videtur D. Thomæ 2. 2. quæst. 2. art. 10. ad 1. ubi ait: *Quando habet homo voluntatem credendi ea, quæ sunt fidei, etiam si habeat rationem demonstrativam ad aliquod verum, puta ad hoc, quod est Deum esse, non propter hoc tollitur, vel diminuitur meritum fidei.* En meritum fidei est in voluntate credendi: at Philosophus potest habere efficacitorem, & intensiorem animum credendi, quàm rusticus: ergo sine detrimento meriti, immò cum potentia plus merendi, impeditur credere.

Secundum damnatum removetur primò, instando in Beatissima Virgine MARIA, quæ nō potuit credere se cōcepisse sine virili consortio, cum hoc my-

sterium virginittatis suæ fuerit evidens Virgini Matri. Nec idè inferioris certitudinis fuit assensus Virginis, quàm noster, dum assentimur virginittati ejus revelatæ nobis in sacro Evangelio, in Isaia, & SS. Scripturis. Secundò responderetur directè, quod assensus existentiae Dei, qui est in Philosopho corroboratur à fide, & à Deo revelante eandem veritatem demonstratam; ita ut in illa sit duplex certitudo una per medium demonstratiōis, & hæc est inferior ad certitudinē fidei. Altera derivata à Deo loquente, & revelante talem veritatem: & hæc est certitudo fidei. Solutio sumitur ex D. Thomæ 2. 2. quæst. 4. art. 8. ad 2. ubi S. Doct. ponit exemplum in eo, qui format aliquam demonstratiōem, & videt quod illa approbatur ab aliquo viro magnæ scientiæ; iste sine dubio roboratur in sua demonstratiōe. Sic Philosophus demonstrans Deum existere: si postea audit Deum testari de se existentiam, audit omniscium Deum approbare suam demonstratiōem: ergo inde roboratur, & novam certitudinem acquirit supra naturalem suæ demonstratiōis: quare assensus ejus æqualis certitudinis est, ac in rustico.

27. Alij respondent, quod existentia Dei Authoris naturæ, non est mysterium fidei, sed existentia Dei, ut Authoris gratiæ.

Quod suadent, quia Apostolus dicit: *Accedentem ad Deum, oportet credere quia est, & quia Remunerator est.* In hoc enim continētur omnes articuli supernaturales, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 1. art. 5. at non continētur in Deo, ut Authore naturæ: ergo in Deo ut Authore gratiæ. Sola existentia Dei Authoris naturæ est demonstrabilis, non autem existentia Dei Authoris supernaturalis. Quo fit, ut habeat Philosophus scientiā de existentia Dei Authoris naturæ, & fidem de existentia ejusdem Authoris gratiæ: unde non sunt de eodem objecto, sed de diversis formaliter.

Hæc solutio impugnatur, quoniam Apostolus duo exprimit credenda, *Quia est: & quia remunerator est.* Sed existentia, & mysteria Dei Authoris supernaturalis continētur sub secundo, nempe *Quia remunerator est:* ergo sub primò continetur existentia Dei Authoris naturæ. Rursus in symbolo proponitur nobis credendus Deus ut Creator Cœli, & terra: sic enim existit ut Author naturæ: ergo sic debet credi.

Respondetur ex D. Thomæ q. 14. de Veritate art. 9. ad 8. dicente: *Quod Deum esse prout demonstratum, non est articulus fidei, sed unitas Divinæ essentiae qualis ponitur à fidelibus cum Omnipotentia, & omnium providentia, & alijs huiusmodi, quæ proba*

bari non possint. Ecce existētia Dei demonstrata, non est articulus fidei: sed demonstratur existentia Dei Authoris naturæ in 7. Physic. ergo hæc non est de fide, sed sola existentia ejusdem, ut Authoris grātiæ. Vel dic, quòd existentia Dei Authoris naturæ, se sola est demonstrabilis, at ita non est de fide. Illa verò, ut conjuncta cum Omnipotentia, & Providētia Dei, est de fide; sed sic conjuncta nō est demonstrabilis, ut docet D. Thomas. Ex quo patet ad objecta. Nam primò dici potest *ly quia est* intelligi de sola existētia Dei Authoris supernaturalis, cui etiam quid addit ratio Remuneratoris. Vel si de existentia Dei Authoris naturæ intelligitur, non est de existentia sola, sed conjuncta cum Omnipotentia, & Providētia; quali modo non est demonstrabilis. Ad aliud de Symbolo dic articulum non esse de Deo Creatore solùm Cœli, & terræ, sed visibilibus, & invisibilibus, in quibus comprehenduntur effectus grātiæ. Vel dic *ly Creatorem* dicere Omnipotentiam, & Providētia, quæ non possunt demonstrari, nec certò cognosci, nisi per fidem.

28. Ad 2. positum eodem n. 22. respondetur Theologiam non esse scientiam strictè talem, quia non est habitus evidens, sed obscurus; quia pro-

cedit ex revelatis obscurè, & per lumen fidei obscurum. Reliquæ scientiæ sunt evidentes, quia demonstrant per principia nota, & clara. Ceterùm Theologia non habet principia nisi articulos fidei; qui licet excedat in certitudine principia scientiarum, sunt inferiores in claritate. Hinc Theologia est certior scientijs, sed obscurior. Habet quidem evidentiam illationis, sed non consequentis. Cum hac scientia, vel sapientia sic obscura, non pugnat fides, immò coheret, & in ea fundatur. Nostra conclusio est de fide cum scientijs evidentibus, unde nil contra nos.

Ad 3. respondetur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 179. art. 3. ubi ait: *Dicendum, quòd quia Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter, sed solùm habuit actum beatorum, consequens est, ut simul tunc non habuerit actum fidei; fuit tamen simul in eo habitus fidei.* En S. Doct. negat in raptu Pauli simultatem actus fidei, & actus visionis, de qua est conclusio nostra. Concedit tamen habitum fidei conjungi cum actu visionis, de quo erit tertia conclusio nostra. Ad confirmationem dic, quòd Angeli non desiderant stricto desiderio Deum videre, quia jam possident, nec est quòd desiderarent. Desiderant desiderio lato, quòd opponitur fastidio juxta illud S. Gregorij distinguē-

tis

tis inter delicias spirituales, & corporales, per hoc quòd corporales dum non habentur, desiderantur; dum habentur, in fastidio sunt. At contra deliciæ spirituales, dum non habentur in fastidio sunt; dum habentur, desiderantur. Vel dic, quòd Angeli Beati possidentes visionē actualem, desiderant ejus continuationem, & perpetuitatem. Vel tandem dic, quòd desiderant amplius, & amplius videre; quoniam amanti non sufficit semel respexisse, ut dicit S. Gregorius de Magdalena, iterùm, & iterùm respiciente sepulchrum.

Ad 4. nego maj. Ad 1. probationem majoris, quòd conditio requisita ad fidem, nequit in recto constituere fidem; benè tamen in obliquo. Sic carētia possessionis objecti sperati est conditio ad spem, & cōstitutiva spei in obliquo, licet non in recto. Ad 2. probationem majoris dic, quòd subjecto habenti scientiam de objecto, potest Deus revelare obscurè tale objectum; ceterùm nō movebitur ex revelatione illa; nam ut hæc moveat, requirit in subjecto carentiam evidentiam objecti revelati. Sicut ut medium probabile moveat intellectum, requirit in intellectu carentiam medij demonstrativi, ut dictum est §. præcedenti. Jam verò ad fidem non sufficit quòd Deus revelet, sed quòd revelatio moveat ad assensum; quòd

non contingit in habente scientiam, & evidentiam de objecto revelato. Ad 3. probationem dic, quòd licet lumen fidei in se non sit tenebrosum, ut benè dicitur ab arguente; petit tamen, ut illuminet, spatium caliginosum, ut dictum est ex Apost. Petro. Intellectus autem habens evidentiam, non est caliginosus, sed irradiatus lumine evidenti: unde est incapax illuminari per fidem.

29. Ad 5. fundamentum ex nostro Argentinatè dic, quòd lumen fidei potest sumi pro revelatione ipsa, quæ juxta Apostolum Petrum est lucerna lucens in caliginoso loco, & ei debemus attendere. Hac non est incompatibilis cum lumine gloriæ: ceterùm nequit movere ad assensum in conspectu luminis gloriæ, quia non invenit intellectum caliginosum, sed illuminatum, ut supra dictum est. Quare coexistentia luminis gloriæ, & revelationis non probat coexistentiã visionis, & fidei; quia fides non sequitur ex revelatione utcumque, sed ex revelatione movēte; & hoc modo non coexistit luminis revelatio. Nec impeditur revelatio illuminare, & movere vi alicujus oppositionis cum lumine gloriæ; sed vi luminis excedentis, ut de luce stellarum dictum est in conspectu Solis. Potest tamen iste excessus vocari oppositio penes perfectum, & imperfectum; quia lumen fidei

Kkkkk

est

est imperfectum relatè ad lumen gloria: & implicat intellectum esse simul perfectum & imperfectum; in via simul & termino, ut docet D. Thomas 1. 2. q. 67. art. 3. & B. Ægid. Quodl. 2. quaest. 30. §. *Ad argumentum.*

Accipiendo autem lumen fidei pro habitu fidei, in quo sensu procedit Argentinas, concedimus utrumque lumen esse compatibile, & de hoc erit sequens conclusio nostra. Negamus tamen consequentiam ad actus utriusque luminis, quam etiam negavimus de scientia, & opinione, quæ quoad habitus compatible, sed quoad actus sunt incompatible. Est ergo mala hæc argumentatio. Quando antecedentia sunt compatible, consequentia compatible sunt. Nam potentia amandi, & potentia odio habendi sunt antecedentia amoris, & odij: & tamen licet antecedentia compatible, actus ipsi sunt incompatible. Horum ratio est, quia in antecedentibus non est oppositio formalis, ut bene probat Argentinas, sed est oppositio causalis, ut à nobis probata est. Oppositio ergo causalis non obstat, ut antecedentia simul sint; obstat tamen, ut consequentia sint compatible.

30. Dicimus 2. Quòd habitus fidei, & habitus scientiæ sunt compatible in eodem intellectu circa idem objectum. Ita illi DD. quos num. 19. allega-

vimus pro compatibilitate habitus opinionis, & habitus scientiæ. Probatio hujus asserti eadè est, ac ibi posita manet pro tali sententia. Confirmatur autem fundamento N. Argentinatis posito num. 23. cum quo dicendum ad argumentum de superfluitate, quòd in habente lumen gloriæ non superfluit lumen fidei, sicut nec superfluit habitus virtutù temperantiæ, fortitudinis, & aliarum; qui manent in Beatis sine exercitio harum virtutum; manent tamen ad ornatum animæ. Sic habitus fidei impotens exerceri in cœlo à Beatis, manet ad ornatum Animæ sanctæ; nec evacuatur fides aut spes in Patria quoad habitum, sed quoad actum; & sic facilè exponuntur verba Apostoli Pauli docentis in patria solam manere charitatem. Manet quidem sola quoad actum, quia amor viæ continuatur in Patria, & ibi continuatur, imò ibi solum perfectè impletur præceptum de diligendo Deo super omnia. Ceterum quoad habitum manent omnes virtutes, tum Theologicæ, tum morales, & cardinales. Quæ obstant, soluta sunt num. 19.

Dicimus 3. Habitus fidei est compatible cum visione Beata, & actu scientiæ naturalis. Hoc patet primò ex autoritate D. Thomæ, allegata num. 28. ubi de Apostolo Paulo dicit non amisisse habitum fidei, dum rap-

ptu

ptus in cœlum, vidit gloriam Dei. Confirmatur. Dum fidelis Christianus concludit demonstrativè aliquam veritatem revelaram, quam priùs credebat, v.g. Deum esse immensum, non deperdit fidem; quis enim hoc audeat dicere? Ergo quia cum habitu fidei præcedente manet, & comparitur scientia actualis. Observa quòd tunc habitus fidei, qui inclinabat ad assensum immensitatis, posita demonstratione, cessat inclinare; at hoc non est defectu habitus, sed defectu virtutis morricis, & inclinatricis, quæ impeditur à for-

tiori motivo, & inclinativo. Dici potest etiam quòd habitus fidei dat certitudinem supernaturalem assensui demonstrativo, ut explicatum est num. 26. Observa 2. quòd lumen gloriæ, & lumen scientiæ de objecto, sicut non permittunt actum opinativum, ut dicebamus num. 21. sic nec sinunt actum fidei, quia vi excessus in movendo, non permittunt revelationem obscuram movere ad assensum. Permittunt tamen revelationem signatè assentiri, ut de opinione, & scientia dictum est.

¶

QUÆSTIO ULTIMA.

De unitate, & subalternatione scientiarum.

§. I.

Explicata unitate scientiarum, exponitur quomodo subalternantur, & ad quid?

1. LICET in Proemialibus Logicæ, ubi sermo est de unitate specifica ipsius, tractetur de principio unde desumitur unitas scientiarum; ab Aristotele disputatur hic 1. Post. text. 41. ubi S. Thomas, B. Ægidius, & alij interpretes. De hoc etiam tractat Arist. 6. Metaphysicæ cap. 1. ubi etiam N. B. Ægidius, qui & alibi disputat de

hoc, ut in Prologo ad Physicam & in Prologo ad lib. Sent. q. 1. art. 1. & alijs locis, quos videre poteris in N. Villanova lib. Post. dub. 9. Ibi advertit de mente aliorum quæstionem istam esse difficillimam ob varias, & distinctas sententias DD. circa unitatem specificam scientiarum: monet tamen de mente propria, DD. in re convenire, nec

nisi in re explicanda dissi-
dere. Conciliat tandem de mente Phi-
losophi, & N. B. Egidij omnes
sententias loco laudato cap. 3.

Quoniam autem lib. 1. Lo-
gica nostra quaest. 6. satis osten-
dimus de mente P. N. Augustini,
D. Thomae, & B. Egidij, prin-
cipium, unde scientiae desumunt
suam unitatem, ut Logicam u-
nam in specie suaderemus; ideo
hic omittimus denuò id disqui-
rere: si quid dictis addere de-
bemus; id in Metaphysica, Deo
favente, cumulatius invenies.
Nunc autem ex dictis habes,
quòd unitas numerica scientiae
sumitur à subjecto sciente; quia
omnia accidentia individuatur
à subjecto; in quo recipiuntur;
scientia autem accidens est de
genere qualitatis; ut diximus
lib. 6. Unitas autem generica
scientiarum sumitur ab abstra-
ctione à materia; quia in ea
conveniunt plures species scien-
tiae, quae solo genere convenire
possunt, ut Mathematicae om-
nes, quae conveniunt in abstra-
ctione à materia singulari, à
qua sumunt suam unitatem ge-
nericam proximam. Unitas au-
tem specifica, quae est formalis,
sumitur ab objecto formali. Et
loco citato decisum est pro Lo-
gica, & alijs scientijs, an hoc
objectum formale sit *Quod*, vel
Quo. Vide ibi dicta.

2. De subalternatione
Scientiarum egit Philosophus

hic 1. Post. ubi etiam D. Tho-
mas lect. 25. & B. Egidius: sed
uberitis in Prolog. ad lib. Sent.
q. 2. art. 1. ubi explicat quid sit
subalternatio, quatuorplex, &
quas conditiones petat propria
subalternatio. Sunt aliqua sci-
tu digna de subalternatione,
quare hic breviter apponenda
duximus de mente utriusque
Beati Doct. quae circa subal-
ternationem Theologiae nostrae
Theologiae Beatorum, expendit
N. Gavardi in Theologia tom.
1. q. 3. Proemial. art. 8.

Scientiam subalternari, est
unam alteri subterni, modo
quo in Summalis diximus dari
oppositionem subalternam pro-
positionum, quatenus particu-
laris continetur sub universali.
Quare sicut propositio univer-
salis dicitur subalternans, quia
continet sub se particularem;
& particularis dicitur subalter-
nata, quoniam continetur sub
universali: ita in scientijs voca-
tur subalterna, quae continet
sub se alias; dicitur subalterna-
ta, quae sub alia continetur. Qua-
drupliciter una scientia potest
sub alia contineri. Primo ex par-
te finis: secundo ex parte sub-
jecti: tertio ex parte principio-
rum: quarto ex parte modi at-
tingendi objectum.

3. Ex parte finis una
scientia subordinatur alteri,
quando finis unius est superior
ad finem alterius; hoc modo
omnes

omnes scientiae subordinatur
Theologiae, quia finis omnium
est inferior ad Deum, qui est
finis Theologiae. Vel quia finis
unius scientiae continetur sub
fine alterius: & hoc modo om-
nes scientiae subalternantur Me-
taphysicae, cujus finis est ens in
communi, sub quo continen-
tur omnia entia in particulari.
Vel quoniam finis unius ordi-
natur ad finem alterius, ut fra-
nificativa ad equestrem; eque-
stris ad militarem; militaris
ad politicam. Haec subalterna-
tio importat famularum, quo
sensu S. Hieronymus supra illud
Sapientiae, mittētis ancillas suas;
ut vocarent ad arcem &c. dicit
scientias naturales esse ancillas
Scripturae sacrae, & nostrae Theo-
logiae, eique deservire debent, &
famulari, non autem dominari
in templo Dei, vera domo sa-
pientiae: & hinc docemur con-
ciones sacras debere ornari lit-
teris saecularibus, quantum suf-
ficiat, ut famulentur sacrae Scri-
pturae, quam debemus exponere,
& ut scientiarum Regina ven-
nerari.

Haec subalternatio impro-
pria est, nec est de qua agitur in
praesenti. Nam in praesenti tra-
ctatur de subalternatione con-
sistente in dependentia ab alio
quoad manifestationem verita-
tis. Dicitur est supra, quòd om-
nis scientia habetur per demō-
strationem, & quòd demonstra-

tio procedit ex se notis, id est
ex primis principijs. At qui dan-
tur aliqua scientiae, quae non habent
prima principia, sed illa reci-
piunt ab alijs scientijs superio-
ribus: ergo istae scientiae depen-
dent ab alijs quoad manifesta-
tionem veritatis suorum prin-
cipiorum. Haec dependentia est
propria subalternatio, de qua
nunc agitur. Ceterum haec non
datur in scientijs naturalibus
relatè ad Theologiam, quoniam
ab ea non dependent pro mani-
festatione suorum principiorum;
licet illi famulentur, ut dictum
est. Sic etiam omnes virtutes
famulantur charitati, ab ea or-
dinantur, & earum finis subor-
dinatur fini charitatis. Et tamē
famulatus iste, & subordinatio
non est propria, sed impropria
subalternatio. Ergo subalterna-
tio, quae tantum est ex parte fi-
nis scientiarum, est impropria,
nec de illa nunc sermo est.

4. Ex parte subjecti
una scientia subordinatur alte-
ri, quando objectum unius con-
tinetur sub objecto alterius, sic
accipitur subjectum, pro obje-
cto. Haec continentia potest ef-
se dupliciter: primo, quando
objectum unius continetur sub
objecto alterius, ut species sub
genere. V. g. scientia de homi-
ne continetur sub scientia de
animali, quia homo continetur
sub animali; scientia de coelo
sub scientia de corpore mobi-
li,

li, quia cœlum est species corporis contenta sub genere corporis mobilis. Secundo quando objectum unius continetur sub objecto alterius ratione aliqujus accidentis superadditi. Sic musica agens de numero sonoro, continetur sub Arithmetica, quæ tractat de numero; quia tractat de eodem numero, cui additur ratio sonori, quæ accidentalis est numero. Sic etiam Perspectiva, quæ agit de linea visuali, continetur sub Geometria quæ agit de linea, cui additur visualitas, quæ accidentalis est lineæ.

Ex his subalternationibus prima est impropria, secunda autem est propriissima, de qua in præsentî. Ratio primi est: quia scientiæ ita debent subalternari, ut maneant distinctæ, nec possunt distingui, nisi habeant diversa objecta: sed species contenta sub genere, non constituit diversum objectum à genere: ergo non constituit subalternationem scientiarum. Probatur minor. Eadem scientia, quæ tractat de genere, tractat de speciebus, contentis sub illo: ergo species non constituit diversum objectum scientiæ à genere. Probatur antecedens rum exemplis, quia eadem Metaphysica, quæ tractat de ente, agit de substantia, & accidente, cuius sub ente continentur. Eadem Philosophia, quæ agit de

motu in genere, agit de speciebus motus. Tum ratione, quoniam ad scientiam spectat definire suum objectum, & dividere in suas species: ergo scientia, quæ agit de genere, tractat, media divisione, de speciebus contentis sub genere. Quare sicut species objecti contenta sub genere, vi hujus continentiæ non constituit objectum diversæ scientiæ à scientia tractante de genere: sic nec constituit strictam subalternationem, quæ solum datur inter scientias distinctas.

Ratio secundi est: quia propria subalternatio datur inter ea, quæ habent materialiter idem objectum, sed formaliter diversum; alioquin non forent scientiæ diversæ, ut dictum est: sed ut convenient materialiter in objecto, & differant formaliter, debet aliquid addere unum objectum supra aliud; & hoc additum debet esse accidentale: ergo in hoc consistit stricta subalternatio. Minor quoad 1. partem patet, quia si objectum unius nil addit supra objectum alterius, objecta non erunt distincta, sed plenè idem. Quoad secundam probatur. Id quod objectum inferioris scientiæ addit objecto superioris, nequit esse de essentia superioris, nec passio illius. Ratio est clara, quia scientia agens de objecto superiori, tractat de illo,

&

& de omnibus sibi essentialibus; & de illo demonstrat ejus passiones: ergo ut scientia inferior habeat aliquid diversum cognoscendum, debet esse aliquid plenè accidentale objecto superioris scientiæ.

Explicatur in Perspectiva, quæ agit de linea visuali. Hęc scientia si solum ageret de linea, non differret à Geometria, quæ de linea agit: ergo ut sint diversæ scientiæ, oportet objecta esse distincta; nec possunt sic distingui objecta, nisi objectum Perspectivæ aliquid addat objecto Geometriæ. Iam verò hoc additum nequit esse essentialiter lineæ, nec passio ejus, quia Geometria, agens de linea, tractat de omnibus essentialibus lineæ, item demonstrat de linea omnes ejus passiones: ergo non restat quid de novo alia scientia demonstret de linea, nisi sit quid accidentale lineæ. Hoc est visualitas in linea: ratio sonori in numero: ratio obscuri revelati in fide: & sic de alijs. Hinc dicitur quòd scientia subalternata debet addere differentiam extraneam objecto scientiæ subalternantis. Dicitur differentia extranea id quod à nobis dictum est accidentale superadditum.

5. Ex parte principiorum una scientia subalternatur alteri, quando subalternata probat suas conclusiones per principia alterius scientiæ, à qua de-

sumuntur. Hoc contingit dupliciter: primo quando probatur conclusio per principia omnibus scientijs communia, ut sunt *Quodlibet est, vel non est. Contradictoria nequeunt esse simul vera. Dicitur de omni &c.* Hoc modo omnes scientiæ subalternantur Metaphysicæ, & Logicæ; quia illa principia sunt logicalia, & metaphysicalia, quare dependent scientiæ omnes à Logica, & Metaphysica ut his principijs probent suas conclusiones. Ceterum hæc subalternatio impropria est, quia scientiæ, ut sint tales, non indigent probare suas conclusiones ex talibus principijs. Ratio constat ex dictis pro demonstratione. Scientia ut sit scientia debet procedere demonstrative: sed demonstratio non semper fit per dignitates, quæ sunt prima principia simpliciter prima, & omnibus scientijs communia: ergo dependentia scientiarum à Metaphysica, & Logica quoad principia explicata, non est propria subalternatio.

Secundo contingit subalternatio ex parte principiorum, quando scientia resolvit suas conclusiones in principia quæ non sunt per se nota, sed probantur ab alia scientia superiori. Sic Chirurgia plura probat ex hoc principio *Vulnera circularia tardius sanantur.* At hoc principium licet experimentaliter sit verum, non est per se notum: qua-

qua-

quare si Chirurgus velit illud probare, debet recurrere ad Geometriam, docentem, & probantem figuram circularem difficilius conjungere suas partes, quia figura circularis caret angulis. Ob id dicitur, quod principia scientiæ subalternatæ, sunt conclusiones scientiæ subalternantis ab ea probatæ, & demonstratæ. Talia sunt principia Musicæ relatè ad Arithmeticam; Perspectivæ relatè ad Geometriam: Et juxta Thomistas nostræ Theologiæ relatè ad visionem Beatam. Hæc subalternatio est propria, & reducitur ad propriam, suprâ explicatam.

6. Ex parte modi attingendi objectum datur subalternatio, quando una scientia attingit objectum modo subtili, altera modo grosso, quod explicatur his vocibus *Rudi minerva, pingui minerva*. Sic Astrologia subtiliter considerat cursum stellarum, sed Nautica modo grosso; quare Nautica subalternatur Astrologiæ ex parte modi attingendi objectum. Sic Summulæ nostræ, quæ nunc vocantur Dialectica, modo grosso, & rudi minerva tractat de univocis, æquivocis, & analogis, de quibus Logica magna, & Metaphysica tractant subtiliter. Hæc subalternatio est impropria, quia solæ artes, & præcipuè mechanice, tractant modo grosso de objecto suo; nam scientiæ, quæ pro-

cedunt diffiniendo, dividendo, & demonstrando, incedunt subtiliter per subtilia media scientiæ.

7. Subalternatio stricta jam explicata, varias petit conditiones, in quorum numero variant DD. Gavardi assignat sex: Villanova quatuor: Sancto Thoma tres. Ceterum præcipuæ, quæ à N. B. Ægidio q. 2. Prologi art. 1. assignantur, sunt hæc. Prima, quod scientia subalternans, & subalternata, debent esse de eodem objecto aliquomodo. Probatur primò. Quia Philosophus hic dicit, quod scientia subalternata agit de objecto *propter quid est*; scientia autem subalternata agit de objecto *quia est*. Sed nisi habeant aliquomodo idem objectum, utroque modo cognoscibile, & demonstrabile demonstratione *quid*, & demonstratione *quia*, non tenet doctrina Philosophi: ergo debent aliquomodo esse de eodem objecto. Clariùs probatur ex dictis. Scientiæ subalternatæ debent esse distinctæ, & una pendere ab alia: sed qua parte sunt distinctæ, debent habere diversa objecta formalia; qua parte una dependet ab alia, debent convenire in eodem objecto; alioquin non esset cur potius musica subalternaretur Arithmeticæ, quàm Philosophiæ, si non convenirent in agendo de eodem numero, licet sub diver-

fa

sa ratione formali: ergo scientiæ subalternatæ; & subalternatæ, debent convenire aliquomodo in eodem objecto.


Secunda conditio est, quod subalternata debet in suo objecto aliquid addere objecto subalternantis. Patet ex dictis, quia si nihil adderet, nil haberet quod non esset consideratum à scientia subalternante: ergo superflueret scientia subalternata pro eodem objecto. Rursus non stat distinctio scientiæ subalternatæ à scientia subalternante, sine distinctio aliqua objecti unius ab objecto alterius: sed si subalternata nil adderet objecto subalternantis, non differret objectum ejus ab objecto alterius: ergo debet sic addere.

Tertia conditio est, quod hoc additum sit quid extraneum objecto scientiæ superioris; id est, quod non sit passio dimanans ab objecto superioris, nec per se causetur à tali objecto. Ratio est, quia scientia superior attingens suum objectum, attingit ejus passiones, & effectus per se ab illo, causatos: ergo ut scientia subalternata addat aliquid non cognitum à subalternante, illud debet esse extraneum, modo explicato. Hinc est quod de linea curva non datur scientia distincta à Geometriæ; quia curvitas est passio lineæ. Vnde Geometria agens de linea, tractat etiam de curvitate. At quomò-

visualitas non est passio, nec effectus lineæ; ideo de illa non agit Geometria, sed Perspectiva subalternata. Observa quod hoc additum debet esse scibile, & habere passiones demonstrabiles. Ob id non datur scientia subalternata de linea calida, bene verò de linea visuali. Quoniam linea visualis habet passiones scibiles, & demonstrabiles, secus linea calida.

Quarta conditio est, quod illud additum sit compositibile cum objecto, cui additur. Ob id non datur scientia subalternata de linea alba; nec de corpore spirituali: quia albedo non est compositibilis cum linea, eo quod petunt colores superficiem extensam latitudinaliter. Et spiritualitas extranea corpori, est illi repugnans, & incompositibilis. Ex his satis constat quid sit subalternatio scientiarum, & quæ scientiæ dici possunt strictè subalternari. At quoniam dictum est, quod principia scientiæ subalternatæ sunt conclusiones subalternantis, & sic desumpta à subalternante; videtur quod scientia subalternata solum erit scientia, quando continuatur cum subalternante. Hoc du-

bium decidendum est breviter, pro quo.



LLLLL

§. II.

§. II.

Deciditur, an subalternata sit scientia, quando non continuatur cum subalternante.

8. **R**atio dubitandi est hæc: Scientia quælibet debet demonstrare suas conclusiones per principia nota, & evidentiā; alioquin assensus sequutus non esset certus, & evidens; & sic non esset scientificus: sed principia scientiæ subalternatæ non sunt per se nota huic scientiæ, sed sunt conclusiones demonstratæ à scientiâ subalternatâ: ergo nisi quis habeat simul scientiam subalternatam, nequit esse certus, & evidenter convictus de veritate illorum principiorum; unde arguens ex eis non procedit ex per se notis. Confirmatur. Principia scientiæ subalternatæ non sunt immediatè per se nota, sed mediatè; quia scilicet probantur à scientiâ superiori per alia principia immediata: ergo qui non potest illa probare per alia principia, non habet evidentiā adhuc mediam de illis principijs: ergo qui caret scientiâ subalternatâ, nequit habere assensum evidentem subalternatæ: unde subalternata non erit scientiâ, nisi continuetur cum subalternante, & in consortio illius.

Confirmatur 2. & explicatur. Hoc est principium Chirurgiæ unde potest alia concludere; *Vulnera circularia tardius curantur.* Hoc principium non est immediatum, sed mediatum, quia probatur per aliud principium Geometriæ, ut dictum est num. 5. Vel ergo Chirurgus cognoscit illud principium potens illud probare, vel non potens illud probare? Si potest: ergo habet scientiam Geometriæ; & sic habemus quod Chirurgia est scientia quatenus continuatur cum subalternante. Si non potest: ergo de illo principio non habet evidentiā, sed fidem, qua credit illud principium verum propter attestatorem DD. Sed ex principio noto solum per fidem, quæ obscura est, ut diximus quæst. precedenti, nequit concludi assensus evidens. Rursus cum fides humana sit fallibilis, principium notum per fidem, nequit inferre conclusionem certam: ergo qui non habet scientiam Geometriæ, nequit concludere ex illo principio assensum certum, & evidentem, qualis debet esse scientificus.

Confirmatur 3. Qui obliviscitur mediæ probativi conclusionis, per hoc præcisè destruitur in eo scientiâ; nam caret evidentiâ, & probatione conclusionis. Rursus si per impossibile quis perderet habitum prin-

principiorum, in eo destrueretur scientiâ, quia non esset unde ministraretur principia probativa: sed scientiâ subalternatâ dat principia subalternatâ, ut dictum est: ergo in eo, in quo non est scientiâ subalternans, nequit esse scientiâ subalternata sub ratione scientiæ. Quate in exemplo dato dicendum est; quod Chirurgus carens scientiâ Geometriæ; non habet assensum scientificum Chirurgicum; sed vel opinativum, vel experimentalem.

Hæc possunt confirmari ex D. Thoma q. 14. de veritate art. 9. ubi ait: *Quod quæcumque sciuntur, propriè accepta scientiâ, cognoscuntur per relationem in prima principia, quæ per se præstò sunt intellectui.* Sed quando subalternata scientiâ non continuatur cum subalternante; tunc principia ejus non sunt præstò nota intellectui, imò solum sunt nota experimentaliter, vel per fidem; ut dictum est: ergo tunc scientiâ subalternata non est propria scientiâ.

9. Per oppositum videtur, quod sit scientiâ subalternata etiam non continuetur cum subalternante. Id docet Ioann. à S. Thoma in Log. q. 26. art. 3. dicitque esse communem sententiam Thomistarum, quæ sumitur ex varijs locis S. Doct. præcipuè 1. p. q. 1. art. 2. ubi scientiâ subalternatam vocat ab-

solutè scientiâ. Videtur hoc dicendum ex principijs Thomistarum, quibus docent Theologiam viatorum esse propriè scientiâ; cum tamen subalternatâ sit Theologiâ Beatorum; & nostra Theologia in via non continuatur scientiâ beatâ: ergo licet subalternata scientiâ non continuetur cum subalternante, scientiâ absolutè est.

Suadetur 1. Quia scientiâ subalternata non est diversus habitus, quando continuatur cum subalternante, ac dum non continuatur: sed quando continuatur, tunc est scientiâ, & habitus scientificus: ergo etiam quando non continuatur. Probatur major: nam continuari, vel non continuari solum arguit ex parte subjecti statum perfectum dum continuatur, & imperfectum dum non continuatur: sed status perfectus vel imperfectus subjecti scientiæ, non mutat intrinsicè habitus, nec illos distinguit: ergo.

Secundò: Habitibus scientiæ subalternatæ, quando non continuatur cum subalternante, de se postulat sic continuari: ergo est idem habitus, ac erit dum continuatur cum subalternata. Patet consequentiâ primò, quia si per continuationem non maneret idem habitus, sed destrueretur, & alius novus generaretur; habitus non continuatus inclinans in continuatione.

inclinat in sui destructionē; & hoc implicat. 2. Quia inclinare in continuationem, est inclinare in evidentiam habendam per continuationem cum subalternante: sed solus assensus ex natura sua scientificus, potest inclinare in evidentiam: ergo habitus scientiæ subalternatæ, etiam dum non continuatur cum subalternante, scientificus est; & sic est idem, ac dum continuatur. 3. Quia si non maneret idem post continuationem, ac erat ante, frustra peteret continuationem illam, quā nunquam fecū coniungere posset: ergo si petit, & non frustra petit, manet idem habitus continuatus, ac non continuatus; & cōsequēter ex se semper scientificus.

10. Nobis in hoc dubio videtur dicendum utramque sententiā posse aliquomodo conciliari, utendo distinctione insinuata à Mag. Sancto Thoma. Habitus scientiæ subalternatæ in se entitativè scientificus est, nec mutatur qui erat ante continuationem, dum postea continuatur cum scientiā subalternante, ut satis probant fundamenta Thomistica, quæ confirmantur sic. Habitus non scientificus, est opinativus procedens ex topicis, & probabilibus: sed habitus opinativus non petit evidentiam, quam petit scientiā subalternata, dum

non continuatur, & petit continuari cum subalternante: ergo habitus ille ex sua specie, & entitate scientificus est, nec mutatur entitativè dum continuatur. Rursus principia scientiæ subalternatæ ex se evidētia sūt, & certa respectu intellectus benè dispositi, ut est habens scientiā subalternam: ergo quidquid sit de mala dispositione subjecti, talia principia ex se inferunt conclusionem certam, evidentem, & consequenter scientificam.

Confirmatur ex D. Thoma Opusc. 70. q. 2. art. 2. ad 5. Non omnia prima principia sūt omnibus nota, & consequenter nec evidentia. Imò potest intellectus ita pravè disponi, ut neget principia notissima, quod testatur N. B. Egidius de hoc principio *Totum est majus sua parte*, quod à quodam negatum est. Sed prava dispositio intellectus nō tollit à principiis, quod sint prima principia ex se inductiva assensus scientifici: ergo carentiā debitæ dispositionis in subjecto, orta ex defectu scientiæ subalternantis, non tollit, quod habitus subalternatus in se essentialiter & entitativè scientificus sit.

Cum hoc stat, quod respectu subjecti carentis scientiā subalternante, habitus subalternatus non habeat modum, & statum scientiæ. Et hoc probat prima

prima sententiā. Nam qui nescit resolvere conclusionem in sua principia, nō est sciēs quoad statum, nec in eo est scientiā perfectè. Sed qui caret scientiā subalternante, nequit resolvere conclusionem in prima principia subalternantis: ergo habitus subalternatæ non habet statum sciētiae in illo; sed est quasi scientiā imperfecta, & inchoata, postulans perfici per continuationem cum subalternante.

Observa quod 1. sententiā contendit forsan habitum illū esse opinativum, quoniam ejus assensus procedit ex principiis creditis per fidem, non scitis per demonstrationem. At hoc negandum est cum 2. sententiā. Quia licet principia subalternatæ, non continuatæ cum subalternante, cognoscantur per fidem; at non influunt in assensum ratione fidei qua creduntur, sed ratione evidentiæ creditæ, quam revera habent: at talis evidentia credita influit in assensum evidentem, & certū, qui est entitativè scientificus: ergo assensus sequutus scientificus est, non opinativus.

II. Ad fundamenta 1. sententiæ posita num. 8. respondetur facilè ex dictis. Ad 1. dic, quod, carēs scientiā subalternante, & procedens ex principiis scientiæ subalternatæ procedit ex per se notis entitativè, & creditis ut per se notis

fide, supplente defectum scientiæ subalternantis. Quare habet assensum certum, & entitativè evidentem, sed in statu imperfecto, & inchoato defectu dispositionis subjecti, ut dictum est. Ad 1. confirmationem dic, quod carens scientiā subalternante non habet evidentiam principiorum ab ipso probabilem, habet tamen evidentiam ab ipso creditam: quod sufficit ut habeat habitum scientificum in statu imperfecto, ut dictum est.

Ad 2. confirmationem dic, quod Chirurgus carens Geometria, nescit per fidem illud principium: & hæc fides est incerta, & obscura, quoniam humana est, cui potest subesse falsum. At assensus inde sequutus est certus, & evidens, quoniam non movetur ad illum ex fide, sed ex evidentia reali, & vera illius principij; credita tamen per fidem, suppletentem defectū Geometriæ subalternantis. Hoc supplementum indicat ex parte subjecti statum imperfectū scientiæ, sed non destruit scientiam.

Ad 3. nega conseq. Quia carens scientiā subalternata, licet nō habeat unde probet principia, habet unde probet conclusiones subalternatæ scientiæ, nempe, habet principia evidentia credita: ergo non se habet sicut ille, qui caret medio probativo, & lumine principiorū; nam

nam iste non habet unde probet conclusiones scientiæ, nec per medium scitū, nec per medium creditum. Ad autoritatem D. Thomæ, dic S. Doctorem ibi negare scientiam subalternatam esse propriè scientiam, sed non negat esse absolute scientiam, ut constat ex loco, à nobis allegato, & alijs, quos videre poteris in Ioanne à Sancto Thoma ubi supra.

12. Restat videre quomodo scientiæ deperduntur? nã ex dictis constat quomodo generantur, nempe per demonstrationem. Respondemus breviter, quòd licet scientia habitualis sit qualitas permanens, nec dependeat ab actuali cognitione, quia etiam dum dormimus, & nihil cogitamus, manent scientiæ in nobis, ut docet M. P. N. Augustinus lib. 10. Confessionum cap. 17. at tamen ex varijs causis possunt amitti. Et quidem esse in genere amissibiles, probat M. P. N. August. ex eo quòd in nobis non est idem sapere, & esse. Vnde lib. 15. de Trinit. cap. 13. ait: *Nostras scientias esse amissibiles, & receptibiles, quia non est hæc nobis esse, quod scire vel sapere.*

Tripliciter possunt amitti, nempe per oblivionem; per læsionem; & per errorem oppositum. De oblivione dicit S. P. N. loco citato cap. 15. *Mul-*

ta novimus, quæ per memoriã quodammodo vivunt, ita & oblivione quodammodo moriuntur. De læsione dicit sic lib. de Categ. cap. 12. *Languor aliquis, & casu injecta debilitas, amputat disciplinas.* Quia videlicet infirmitas dissipat spiritus, organa lædit, & temperiem cerebri notabiliter offendit. De errore constat ex lib. 8. de Civitate Dei cap. 14. ubi docet M. P. N. quòd veritas est de essentia scientiæ: sed error contrariatur veritati, & eam destruit; ergo errore scientia destruitur.

Error, quo scientia destruitur, nascitur ex ignorantia juxta S. P. N. lib. 22. de Civitate Dei cap. 22. ubi de ignorantia dicit. *Ex qua omnis error existit.* Quare sicut apud Aristotelè scientia, & demonstratio petit præcognita, & præcognitionem; ita error ei oppositus petit præignorata, & præignorantiam. Vnde in Enchiridio Laurent. cap. 17. dicit: *Non enim nisi ignorantia errari potest.* Subjungit tamen sic: *Non est tamen consequens, ut continuo quis erret; qui aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit; pro vero quippe approbat falsum, quod est erroris proprium.* Hinc patet quòd licet ignorantia sit mater erroris, non parturit infelicem foetum, nisi concipiat errorem, existimando se scire quod nescit: quare licet de ignorantibus debeamus dolere, de

ijs maxime dolendum, qui ignorantem suam ignorantiam, existimant se scire quod nesciunt. Error ergo juxta M. P. N. lib. 9. de Trin. cap. 11. diffinitur sic: *Error est pro alio alterius approbatio.* Vnde in Enchiridio loco citato dicit: *Nihil aliud est errare, quàm verum putare quod est falsum, falsumque quod verum est; vel certum habere pro incerto, incertumve pro certo, sive falsum sit, sive verum.* Dñs N. JESVS CHRISTVS, qui via, veritas, & vita est, nos

viventes in hac vita mortali, liberet ab ignorantia, & errore, dirigatque ad se immutabilem veritatem. *Ad quam* (verba sunt P. N. August. 15. de Trinitate) *cum pervenerimus, cessabunt multa ista quæ dieimus, & non pervenimus: & manebis unus, Deus meus, omnia in omnibus, & sine fine dicemus unum, laudantes te in unum, & in te facti etiam nos unum. Domine Dñs meus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in hoc libro de tuo, agnoscant & tui; si qua de meo, & tu ignosce, & tui. Amen.*



I N D E X.
LIBRORVM QUÆSTIONUM,

§§. HVIVS SECVNDI TOMI.

LIBER TERTIVS DE VNIVERSALIBVS.

- Quæst. 1. An dentur universalia in essendo?*
- § 1. **E**xplicatur quid sit & quotu-
plex universale? p. 1.
- § 2. Probatum contra Nominales dari
universalia in essendo, & non solum
in representando. p. 4.
- § 3. Expenduntur fundamenta Nomina-
lium, & R.R. Societatis. p. 9.
- Quæst. 2. Vtrum dentur universalia
in essendo ab inferioribus sepa-
rata.*
- § 1. Explicatur sententia Platonis jux-
ta mentem Aristotelicam. p. 18.
- § 2. Explicatur sententia Platonis cum
P. August. & vindicatur ab impos-
sura Aristotelica. p. 20.
- § 3. Rationibus suadet sententiam
Platonis preponendam esse Aristote-
lica. p. 27.
- Quæst. 3. Quomodo dentur in re-
bus universalia?*
- § 1. Quædam supponuntur, & ratio
dubitandi proponitur. p. 34.
- § 2. Expenditur singularis sententia
Veneti, Burlei, & Caramuelis. p. 37.
- § 3. Expenditur sententia P. Fonseca
circa unitatem positivam naturæ se-
cundum se. p. 47.
- § 4. Expenditur universale Scoticum,
sive formale ex natura rei. p. 53.
- § 5. Expenditur universale Thomisti-
cum juxta communio rem sententiæ.
p. 61.
- § 6. Nostra sententia proponitur, ex-
plicatur, & probatur. 77.
- § 7. Solvuntur argumenta contra no-
stram sententiam. p. 94.
- Quæst. 4. Per quam potentiam in-
tellectus fiat universale?*
- § 1. Quædam prenotantur, & contro-
vertitur discrimen universalis logi-
ci, & metaphysici. p. 117.
- § 2. Sententiæ proponuntur, & suis
fundamentis comprobantur. p. 128.
- § 3. Nostra sententia proponitur &
probatur ex P. August. D. Thom.
& N.B.D. p. 133.
- § 4. Expenduntur aliæ sententiæ cum
suis fundamentis. p. 140.
- § 5. Deciditur an sufficiat ad univer-
sale abstrahere naturam ab uno in-
dividuo. p. 152.
- Quæst. 5. Vtrum universale con-
servetur in actuali prædicatione?*
- § 1. Referuntur sententiæ cum suis
fundamentis. p. 156.
- § 2. Nostra sententiæ proponitur & pro-
batur. p. 159.
- § 3. Expenduntur aliorum sententiæ.
p. 162.
- Quæst. 6. An inter gradus meta-
physicos detur præcisio objectiva?*
- § 1. Quædam prenotantur pro sensu
quæstionis. 167.
- § 2. Fundamenta proponuntur pro præ-
cisionibus objectivis. p. 171.
- § 3. Fundamenta Nominalium contra
præ-

- precisiones objectivas pro formalibus proponitur. 174.
- §. 4. Nōstra sententia proponitur, & probatur. 177.
- §. 5. Probatur quod in Angelis non est precisio objectiva, sed formalis. 184.
- §. 6. Solvuntur Argumenta contra assertionem datam pro Angelis. 188.
- §. 7. Expenduntur aliæ sententiæ cum suis fundamentis. 204.
- §. 8. Expenduntur fundamenta secundæ sententiæ contra præcisionem objectivam. 213.
- Quæst. 7. Vtrum inter gradus Metaphysicos detur distinctio formalis ex natura rei?
- §. 1. Explicantur varia genera distinctionis, & proxime agitur de distinctione modali. 221.
- §. 2. Explicatur distinctio formalis ex natura rei, & proponuntur fundamenta Scotistarum 229.
- §. 3. Proponuntur fundamenta sententiæ negantis distinctionem formalem ex natura rei 233.
- §. 4. Nōstra sententia proponitur & probatur contra distinctionem formalem ex natura rei. 238.
- §. 5. Expenduntur fundamenta Scotistarum 247
- Quæst. 8. An inter gradus Metaphysicos detur distinctio virtualis intrinseca?
- §. 1. Explicatur ratio dubitandi, & probatur sententia negativa. 255.
- §. 2. Expenduntur fundamenta distinctionis virtualis intrinseca. 259.
- Quæst. 9. Vtrum inter gradus Metaphysicos detur distinctio rationis?

- §. 1. Explicatur ratio dubitandi, & sententiæ referuntur cum suis fundamentis. 266.
- §. 2. Quibusdam notatis nōstra sententia proponitur, & probatur. 272.
- §. 3. Expenduntur fundamenta contraria 284.

LIBER QUARTVS DE PRÆDICABILIBVS.

Quæst. 1. An divisio universalis in quinque prædicabilia sit adæquata & generis in suas species.

- §. 1. Probatur cum communi sententia divisionem esse adæquatam. 300.
- §. 2. Probatur quod universale est genus ad quinque prædicabilia. 313.

Quæst. 2. Quid sit genus, quidve diffinitum in diffinitione generis?

- §. 1. Traditur diffinitio generis, & quedam contraria dissolvuntur. 317.
- §. 2. Sententiæ referuntur, & suis fundamentis comprobantur. 321.

Quæst. 3. Quomodo, & de quibus inferioribus prædicatur genus?

- §. 1. Assignantur ea inferiora de quibus genus, ut genus prædicatur. 330.
- §. 2. Deciditur An genus prædicatur de specie ut totum an ut pars. 334.

Quæst. 4. Quid & quotuplex sit species, quidve & quotuplex individuum

- §. 1. Assignatur diffinitio speciei, & circa ea quedam dubiola dissolvuntur. 342.

- §. 2. Explicatur quid sit individuum, & dubiola quedam dissolvuntur. 351.

Quæst. 5. An natura Angelica sit species prædicabilis?

§. 1.

- §. 1. Explicatur sensus questionis, & ratio dubitandi. 356.
- §. 2. Principales sententiæ proponuntur, & suis fundamentis comprobantur. 366.
- §. 3. Expenditur singularis sententia Recentioris Augustiniani. 369.
- §. 4. Eligitur sententia negans naturam Angelicam esse speciem prædicabilem. 379.
- §. 5. Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum & aliqua denuo objiciuntur contra nostram. 382.
- Quæst. 6. Quomodo species sunt sicut numeri?
- §. Vnic. Explicatur dubium, & defenditur possibilis species medians inter duas immediatas. 387.
- Quæst. 7. Quid sit differentia, quotuplex, & de quibus est prædicabilis?
- §. 1. Traditur diffinitio differentię & quedam dubiola dissolvuntur. 390.
- §. 2. An differentia prædicetur ut totum, vel ut pars 394.
- Quæst. 8. An differentia infima includat subalternas
- §. 1. Proponuntur sententiæ cum suis fundamentis. 398.
- §. 2. Præfertur communis sententia negativa, quæ iterum confirmatur. 402.
- §. 3. Solvuntur fundamenta sententiæ contrariæ. 404.
- Quæst. 9. Quid, & quotuplex sit proprium?
- §. Vnic. Traditur diffinitio, & divisio Proprij, & quedam dubiola proponuntur. 408.
- Quæst. 1. Quid sit accidens quintum prædicabile?

- §. Vnic. Traditur diffinitio, & quedam concernentia explicatur. 411.
- Quæst. 11. Apendix de prædicationibus?
- §. 1. Explicatur quid sit prædicatio, & quotuplex 414.
- §. 2. Comparantur concreta concretis. 417.
- §. 3. Comparantur abstracta ad invicem. 418.
- §. Vltim. Comparantur abstracta concretis, & concreta abstractis. 419.

LIBER QUINTVS DE ANTE PRÆDICAMENTIS.

Quæst. 1. Quid sint equivoca, univoca, analogæ, & denominativa?

- §. 1. **D**iffiniuntur omnia quæ hoc titulo continentur. 421.

§. 2. DE Complexis, & in complexis, & de regulis, divisionibusque antepredicamentibus 424.

Quæst. 2. Quid & quotuplex sit analogia?

- §. 1. Relatis sententijs nōstra proponitur, & probatur. 427.

§. 2. Solvuntur quæ militant contra datam doctrinam. 432.

Quæst. 3. Quanam sint causæ analogiæ, & quorū conditiones analogorum?

- §. 1. Probatur sufficere transcendentiam ad causandam analogiam. 438.

§. 2. Dependētia in participanda ratione communi est sufficiens causa analogiæ. 442.

§. 3. Designantur aliæ causæ analogiæ. 447.

§. 4. Explicantur conditiones analogorum. 446.

Quæst.

Quaest. 4. An ens transcendat omnium inferiorum differentias?

§. 1. Defenditur sententia negativa. 449.

§. 1. Solvuntur argumenta contraria. 454.

Quaest. 5. Vtrum ens sit analogum ad Deum, & creaturas, ad substantiam, & accidens?

§. 1. Deciditur questio quoad Deum, & creaturas. 459.

§. 2. Deciditur questio quantum ad substantiam, & accidens. 473.

§. 3. Solvuntur argumenta contra omnes assertiones. 466.

Quaest. 6. Qua Analogia sit ens analogum ad Deum, & creaturas ad substantiam, & accidens?

§. 1. Referuntur sententiae cum suis fundamentis. 471.

§. 2. Nostra sententia proponitur, & probatur. 476.

§. 3. Expenduntur aliae sententiae. 481.

Quaest. 7. An detur conceptus entis perfectè præcisus ab inferioribus?

§. 1. Quibusdam notatis probatur præcisio imperfecta entis. 485.

§. 2. Probatur impossibilis præcisio entis à suis differentijs. 492.

§. 3. Solvuntur argumenta contraria. 498.

LIBER SEXTVS DE X. PRÆDICAMENTIS, SEV CATEGORIJS ARISTOTELICIS.

Quaest. 1. Quid & quotuplex sit prædicamentum?

§. 1. Explicatur quid sit prædicamentum, & quas conditiones requirat. 507.

§. 2. Deciditur an divisio entis in decem prædicamenta sit adæquata 509.

Quaest. 2. Quid & quotuplex sit substantia?

§. 1. Quibusdam notatis expenditur constitutum substantiae. 512.

§. 2. De prima & secunda substantia & de utriusque proprietatibus. 519.

Quaest. 3. An Deus ponatur in prædicamento substantiae?

§. 1. Negativa sententia probatur auctoritate, & ratione. 524.

§. 2. Solvuntur argumenta contraria. 527.

§. 3. Quid dicendum sit de Angelis, & Caelis explicatur, 533.

Quaest. 4. Quid sit & in quo consistat essentia quantitatis?

§. 1. Ostenditur quantitas distincta à re quanta. 536.

§. 2. Expenduntur aliquae sententiae circa essentiam quantitatis. 544.

§. 3. Vera, & communis sententia proponitur, & probatur. 548.

Quaest. 5. Vtrum substantia ex se & independententer à quantitate habeat partes?

§. 1. Prima sententia propugnans in substantia partes extensas proponitur cum suis fundamentis. 550.

§. 2. Proponitur & expenditur secunda sententia negans in substantia partes extensas, & concedens distinctas. 558.

§. 3. Tertia sententia PP. Complutensium proponitur, & expeditur. 563.

§. 4. Nostra sententia proponitur, & probatur. 569.

§. 5. Solvuntur argumenta. 575.

§. 6. Corollaria notatu digna precedentis doctrinae breviter insinuatur. 587.

Quaest. 6. Quotuplex sit quantitas, & quas

quas habeat proprietates?

§. 1. Traditur prima divisio, & deciditur an numerus sit prima species quantitatis. 592.

§. 2. Subdividitur quantitas continua, & quaedam dubiola deciduntur. 596.

§. 3. Subdividitur quantitas discreta: & explicantur proprietates quantitatis. 599.

Quaest. 7. Quid sit relatio & quotuplex?

§. 1. Explicatur diffinitio & essentia relationis. 602.

§. 2. Explicantur divisiones relationis in communi 611.

Quaest. 8. An detur in rebus relatio prædicamentalis, quotuplex sit, & quas habeat proprietates?

§. 1. Probatur communis sententia docens in rebus relationes prædicamentales. 615.

§. 2. Explicantur relationes primi generis fundatae in unitate, & numero. 621.

§. 3. Explicantur relationes secundi generis fundatae in actione & passione. 626.

§. 4. Explicantur relationes tertij generis, nec non conditiones & proprietates relationis prædicamentalis. 328.

Quaest. 9. Vtrum relatio distinguatur realiter à suo fundamento?

§. 1. Proponuntur fundamenta sententiae affirmantis. 632.

§. 2. Explicantur fundamenta sententiae negantis. 635.

§. 3. Nostra sententia ponitur & probatur 638.

§. 4. Solvuntur quaedam contra specia-

lem N. D. sententiam 639.

§. 5. Expenduntur fundamenta aliarum sententiarum. 655.

Quaest. 10. Vtrum relatio terminetur ad absolutum?

§. 1. Quibusdam notatis proponuntur sententiae cum suis fundamentis. 663.

§. 2. Nostra sententia proponitur, & probatur. 669.

§. 3. Expenduntur fundamenta posita pro alijs sententijs. 674.

Quaest. 11. Vtrum relatio specificetur à termino?

§. 1. Variæ sententiae proponuntur circa unitatem specificam, & numericam relationis. 679.

§. 2. Nostra sententia ex N. F. D. proponitur, & reliquae expenduntur. 683.

Quaest. 12. Quid sit qualitas, quotuplex, & quot ejus proprietates?

§. 1. Explicatur essentia qualitatis, & traditur ejus diffinitio. 689.

§. 2. Assignantur, & explicantur species qualitatis, ejusque proprietates. 691.

Quaest. 13. Quid sint sex ultima Prædicamenta?

§. Vnic. Explicantur eorum diffinitiones & quaedam eorum dubiola dissolvuntur. 695.

Quaest. 14. Quid sint & quot Postprædicamenta Aristotelica?

§. Vnic. Explicatur oppositio, prioritas, simultas, motus, & modus habendi. 707.

LIB. VII. ET VIII. LOGICÆ DE INTERPRETATIONE, SEV PERIPHERIAS: DE PRIORI, ET POSTERIORI ANALYSI.

Quaest.

Quaest. 1. Quid sit veritas enuntiationis & in quo consistat?

- §. 1. Ostenditur veritatem consistere in conformitate enuntiationis cum ob- jecto. 712.
- §. 2. Deciditur quid sit conformitas ista enuntiationis cum ob- jecto. 722.
- §. 3. Explicatur veritas formalis res- p. 727.

Quaest. 2. Quibus actibus intellectus & qualiter conveniat veritas?

- §. 1. Deciditur an veritas sit solum in intellectu componente, & dividente. 732.
- §. 2. Deciditur quo sensu propositio po- tesse transire de vera in falsam. 736.
- §. 3. Deciditur quo sensu una proposi- tio sit verior altera. 739.
- §. 4. Deciditur an propositio de futu- ro contingenti habeat determinatam veritatem. 742.

Quaest. 3. Quid sit demonstratio, quae par- tes ejus, quae species, & quae ad ip- sam requisita?

- §. 1. Explicatur definitio demonstra- tionis, & multa dubia deciduntur circa praemissas, & modum causandi conclusionem. 753.
- §. 2. Deciditur quomodo praemissa can-

sant conclusionem, & an sint causas partiales. 761.

§. 3. Explicatur qualiter necessitatur intellectus ex vi praemissarum ad as- sensum conclusionis. 769.

§. 4. Explicantur species, & partes demonstrationis, & ad illam praeco- gnita, & praerotiones. 776.

Quaest. 4. Quid sit scientia, & an sit com- patibilis cum fide, & opinione?

- §. 1. Traditur definitio diversarum cognitionum, & discutitur, an for- mido sit de essentia opinionis. 783.
- §. 2. Deciditur an scientia & opinio circa idem obiectum possint esse in eodem intellectu. 790.
- §. 3. Deciditur an scientia, & fides possint esse de eodem obiecto in eodem intellectu. 801.

Quaest. ultim. De unitate & subalterna- tione scientiarum?

- §. 1. Explicata unitate scientiarum, exponitur quomodo subalternantur & ad quid. 811.
- §. 2. Deciditur, an subalternata sit scientia, quando non continuatur cum subalter- nante. 818.

FINIS.

